55150

# DE
# MELANCHOLIA
# ET
# *MORBIS MELANCHOLICIS.*

auctore A. C. Lorry.

Quæque ipſe miſerrima vidi. *Virg. Æneid.* II.

TOMUS PRIMUS.

*LUTETIÆ PARISIORUM,*

Apud P. GUILLELMUM CAVELIER, viâ San-Jacobæâ, ſub ſigno Lilii aurei.

M. DCC. LXV.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis.*

1765.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# CLARISSIMO VIRO GUILLELMO-LUDOVICO LE MONNIER,

*Regis Medico Primario ordinario; Academiarum Regiarum Berolinenſis, Londinenſis, Pariſienſis Socio; Botanices Profeſſori Regio, Doctori Medico Pariſienſi,*

ANNÆUS-CAROLUS LORRY. D. M. P. S.

*IN tantâ rerum humanarum fragilitate,* MONNERI *dilectiſſime, duo tantùm mihi videntur homini ingenuo expetenda, ſolaque digna eſſe, ut in iis exquirendis, & omni ope atque operâ reperiundis, tota vita impendatur. Primum eſt Veritatis inveſtigatio; alterum verò Amicitiæ cultura. Ubi enim veritas affulſit, quaſi illa nos ad noſtræ inſtitutum naturæ revocaret, mirâ*

*quadam ſuî admiratione homines allicit atque veluti reluctantes trahit; in eâ mens prorsùs conquieſcit fracta laboribus & ærumnis, brevìque naſcitur in homine veritatis avido,* nil admirari *illud Horatianum, quo ſolo vita & efficitur beata, & in hac felicitate ſervatur. Amicitiâ verò omnes, quas vel ipſa ſophia retundere non valet, deliniuntur calamitates. Partem oneris non minimam in ſe ſuſcipiente illâ, minùs gravant incommoda, multiplicatur contrà & increſcit, quæ ſecundas res ſequitur animi jucunditas. At nulla dulcior eſt, nulla potentiùs devinciens amicitia, quàm quæ ex animorum conjunctione nata ſtudiorum communione confirmatur. Ea dudum inter nos ſancita, laborum atque animorum concordia, nec officiorum indiget adminiculo, nec faſtu verborum, quaſi enarrando creſcere valeat. Verùm aliquid ineſt deliciarum, quod ſenſus ipſe verbis exprimere nequit, publico quodam ſacramento initum illud vincu-*

*lum coram omnibus palam profiteri.*

*Forſan non abeſt ab eo, quo te proſequor cultu, aliquid jactantiæ. Cùm me tanto non indignum amico gloriari contingit, quem tot invidere mihi poſſint, Artis ſalutiferæ cultorem ſanctiſſimum, rerum Phyſicarum promotorem eximium, Regibus acceptum, & ſplendidioris Aulæ honoribus inſignem. Verùm abſit ab amicitiâ obſequioſa adulatio. Conjunctionem iſtam animorum, quæ nos in ſorte diſpari ita fortiter devinxit, ut nullis unquam obſcurata fuerit nebulis, junior olim effecit ætas Scientiarum amore flagrans, & audax profanum vulgus ſpernere. Te poſteà rapuit Aula, ſcientiiſque divitem, dignitatibus auxit, plaudente Medicorum choro. Mihi ſatìs ſuperque conceſſit, dum tenuem Graiæ Camenæ ſpiritum, Parca non mendax reliquit, otiumque nec turpe, nec cytharâ carens, ſimul verò dulciſſimam fraterni contubernii uſuram, quibuſcum ambobus doctrinæ & virtutis laude florentibus, obſcuram ſed felicem*

*vitam tranſigere permiſit hucuſque, ſors nullius nutui obnoxia.*

*Meminiſti porrò in felicibus illis colloquiis, quibus jam frui vix datur, actum ſæpiùs inter nos fuiſſe de Melancholiâ; non unam eſſe ejus naturam ſæpiùs diximus; alteram ſcilicet legibus regi atque adminiſtrari mechanicis advertebamus; alterius mirabamur effectus, non ſolùm omnem judicii captum ſuperantes, ſed & vulgarem ordinem Phyſicarum legum eludentes. Undè ſæpè incerta medendi methodus & titubantis Artis tacitus timor. Actum etiam inter nos de Veterum helleboriſmo, miſerrimâque hodiernorum inſanorum ſorte, quos nimiùm Ars dedignatur, dum mavult impotens dici, quàm anxiæ atque delicatæ curationis faſtidia tolerare. Nec minùs tamen ſtupebamus antiquiores Medicos paſſim de eorum ſanatione, tanquam de arte vulgatiſſimâ loquentes.*

*Inceſſit inde mentem invitam imò &*

*reluctantem, perpetua de Melancholiâ meditatio, Librorum de eâ tractantum perquiſitio indefeſſa; ſimul inita cum Medicis, quos plures habet eruditione & doctrinâ celebrandos Collegium & Urbs noſtra, frequentia colloquia. Utile porrò credidi quod inde extuderam in publica commoda conferre; priùs forſan quàm debitam aſſecutus ſim perfectionem. Quid enim ſi aliqua lux ex noſtris laboribus enaſci poteſt, an cunctari licet? Et ad gloriolæ aucupium leve, limæ laborem & moram, quaſi de ingenii laude certaremus, admittere. Dies diem docet. Sed intereà prælabitur & aufugit vita, laboreſque plurimorum periêre, dum ne aliquid detrimenti accipiat eorum fama, cunctantur. Mihi verò quid de ſtylo, facundiâve ſentiatur æquum eſt. Modò proſint, quæ tibi offero meditata. Primum de Morbo ipſo volumen habe, alterum typis ſimul ne crederem, ſed in annum differrem, fecit ſpes legitima, à Prioris lectione fore, ut*

plures nova mihi lumina ſuppeditent Medici, quos ſolos operi judices agnoſco, ſi ex eorum genere ſint, qui recentiorum inventorum docti, exemplaria Græca non perfunctoriè legerint, ſed fuerint altiùs meditati. Forſan & vineta cœdentur mea, nec cenſoriam critices virgam deprecor. Imò hanc potiùs expoſtulo, cùm doceri me poſſe credam & diſcere amem. Quod utinam fiat, modò inde obſcurum mali genus tot hominum millia, ſocietati non inutilia ſolùm, ſed & nociva reddens, ſub Medicorum dogmaticorum obſervatis diſcat manſueſcere. Saltem & boni Civis, & Medici Pariſienſis, & amici tui officio functus fuerim. Tu verò memorem tuî amare perge. Vale.

Pariſiis, XVI. Decemb. 1764.

# INDEX TITULORUM.

*INTRODUCTIO.* Pag. 1

## PARS PRIMA.

### De Melancholiâ à ſolidorum vitio, ſeu Nervoſâ.

CAP. I. *In quo expenditur nervoſæ Melancholiæ eſſentia*, 10

CAP. II. *De Melancholiæ ſpaſmodicæ naturâ & exiſtentiâ*, 42

CAP. III. *Melancholiæ ſpaſmodicæ deſcriptio*, 51

CAP. IV. *De Cauſis Melancholiæ nerveæ*, 81

CAP. V. *De Signis Melancholiæ nerveæ diagnoſticis*, 103

CAP. VI. *De Signis diagnoſticis variarum Melancholiæ nerveæ cauſarum*, 119

CAP. VII. *De diverſis Symptomatibus*

*quæ novum nomen Melancholiæ nerveæ induunt*, 159
ART. I. *De Morbis Melancholico-nerveis nomine tantùm mutato notabilibus*, 160
§. I. *De Affectionibus hyſtericâ aut hypocondriacâ merè nerveis*, ibid.
§. II. *De Maniâ Melancholicâ merè nerveâ*, 164
§. III. *De Convulſionibus nerveæ Melancholiæ*, 170
ART. II. *De Morbis qui Melancholiam nerveam excipiunt*, 176
§. I. *De Febre lentâ nerveâ*, 177
§. II. *De Tabe nerveâ*, 182
§. III. *De Paralyſi & Hydrope, qui nerveam infectionem excipiunt*, 188

# PARS ALTERA.

## De Melancholiâ & Morbis Melancholicis.

*De Melancholiâ humorali*, pag. 191
CAP. I. *De Veterum Melancholiâ*, 193
CAP. II. *In quo probamus admitti debere Melancholiæ & Atræ Bilæ exiſtentiam*, 227
CAP. III. *De Cauſis Melancholiam producentibus*, 264
CAP. IV. *De Melancholiæ humoralis ſedibus*, 295
CAP. V. *De Melancholiæ humoralis ſignis & effectibus*, 308
ART. I. *De Symptomatibus hypochondriorum*

*& abdominis,* 333
Art. II. *De Symptomatibus partium in thorace contentarum,* 342
Art. III. *De Symptomatibus capitis,* 345
Art. IV. *De Symptomatibus externis cutis & artuum,* 352
CAP. VI. *De Melancholiæ humoralis in alios morbos abeuntis, Symptomatibus,* 339
Art. I. *De Inſaniâ,* 361
Art. II. *De Melancholiâ in Hydropem aut Phtiſim abeunte,* 381
Art. III. *De Melancholiâ motâ, ſeu in Morbos acutos abeunte,* 390

Explicit Index Titulorum.

## *APPROBATIO.*

JUſſu VICE-CANCELLARII legi Manuſcriptum *de Melancholiâ & Morbis melancholicis, &c.* Datum die 15. Junii anni 1764.

MALOUIN.

# DE MELANCHOLIA.

## INTRODUCTIO.

OPERÆ pretium fore credidi, ſi altiùs in Melancholiæ fontes penetrare auſus, obſcuro mali generi aliquid lucis afferre tentaverim; undè & ipſius natura, cauſæ, diverſitates, pleniùs eluceſcant, & curatio, ad quam Ars tota intenditur, & ſecura magis aliquando, & minùs aut medicanti, aut ægrotanti ingrata poſſit evadere.

Melancholia à Boerhaavio definitur, *Morbus in quo æger delirat diù & pertinaciter, ſine febre, uni & eidem ferè cogitationi affixus.* Nec ullam fecit mentionem Vir clariſſimus, mœroris atque mœſtitiæ, quam huic morbo innatam atque inhærentem voluere alii Artis Medicæ Principes, Fernelius, Sennertus, primuſque tum ætate, tum autoritate Galenus.

Sed in Veterum gratiam, à Boerhaavio diſſentire non licet. Etenim quamvis Melancholicorum plerique, in lacrymas effundantur, & præter conſtantium virorum morem omnia tuta metuant, tamen id non in omnibus, non ſemper,

non ubique reperitur. Imò aliqui ſunt qui in effuſos riſus ſolvantur, & lætitiam puerilem prætendant ad objecta vel leviora; unde illud ſolum ad omnes æquè pertinet, ut à ratione dejecti, firmitateque mentis peſſumdatâ, jam animum regere dedidicerint; ſed brutorum animalium more, inſtinctu cœco, ac veluti impetu, ad ea quæ concupiſcunt ferantur, avertanturque cum metu atque furore, ab iis quæ præconcepta opinio ipſis aut inimica, aut odioſa effingit. Hinc illud univerſale eſt ut à Melancholiâ animus fiat imbecillior, (ἀθύμιαν) Græci vocant, quod nos *mentis demiſſionem* vocamus. Eo ſemel poſito mentis vitio, vertuntur animoſi in puſillanimes, fortes in timidos. Unde fit, ut ii omnes qui debilitatæ animæ argumentum præbent affectus, Melancholicis competant, metus, mœror, aut lætitia præter rationem erumpens. Hi verò omnes animi errores ita ſe invicem excipiunt, ut nil deſit menti præter virilem conſtantiam. Melancholia igitur à nobis definietur, *illa mentis imbecillitas à corporis vitiato habitu oriunda, in quâ fortiter concutimur ab objectis aut externis, aut ab imaginandi vi effictis, ita ut jam impoſſibile ſit ideis inde natis obſiſtere, ab iis avelli, aut contra ratione tendere.*

Quamvis autem ab illâ definitione trahatur idea morbi forſan aliquatenus diverſa ab iis quas hucuſque accepimus; parumper ad ea quæ vulgò Melancholicis tribuuntur attendenti, patebit, ut ſpero, quantùm definitio hæc univerſam morbi ideam comprehendat.

Et certè eæ affectiones quibus animus ex-

candeſcit & violentiam concipit, quamvis æquè poſſint Melancholicos afficere, eoſque è rationis limitibus dejicere, tamen cùm & conatus animi majores & aliquam de ſe ſuiſque viribus fiduciam exigant, rariùs, aut breviùs eos occupant, utpote quibus quaſi innata eſt ſuî diffidentia. Hinc contrà timor atque metus magis ipſis familiares ſunt, & generatim omne illud animi affectuum genus, quod depreſſos demiſſoſque ſpiritus arguit; unde ira ipſis metum conſtantem imprimit, invidiamque ſed non animoſam, licèt non ſit aliquando expers jactantiæ.

Inde eſt quòd in hac noſtrâ definitione à Boerhaavio aliquatenus recedimus, dum ait illuſtriſſimus Autor, Melancholicos omnes uni & eidem ideæ affixos eſſe. Id enim, licèt pluribus Melancholicis proprium ſit, non ad omnes æquè pertinet, qui non ſemper, nec perpetuò circa idem objectum delirant; ſed aliquando ratione circa omnia vix utuntur, in eo conſtantes, quòd falſâ ſub imagine ſibi vel maximè obvia effingant, aliiſque ea falſis coloribus pariter depingant. Fatendum tamen eſt quòd error ille rariùs circa ea verſetur, quæ nullum cum iis nexum obtinent, ſed illa tantùm ſpectet quæ ipſos aut metu, aut amore, aut odio aliquatenus poſſunt attingere. Prætereà dùm omnes æquè deliros pronuntiat vir ſummus, legem iniquam videtur ſancire. Non enim, omnes deliri dici poſſunt, qui timore aut mœſtitiâ præter rationem afficiuntur, & melancholico morbo laborant. Etenim licèt altè

infixæ ſint ideæ ipſos afficientes, eiſque vel invitì adhæreant, multi tamen ſeſe ipſos incuſant, morbumque menti imperitare fatentur, ſeſe ab errore avertunt, adeòque eò plus ratione potiri dicendi ſunt, quò illa magis inſilientibus morbidis cauſis obſiſtit, licèt debilitatis ſenſuum organis, verè eos mente laborare fatendum ſit.

Sed ut delirium, ſaltem ſi nomen illud ſtrictiùs ſumatur, non omninò ad Melancholiam conſtituendam requiritur, ita oportet ut animi demiſſio illa melancholica non fugax, non unius diei ſit, ſed quaſi radices egerit, ſitque conſtans atque perpetua, ut morbum conſtituat. Ecquis enim adeò conſtantis animi eſt, adeò habet mentem à corporis commercio diſtinctam atque ſegregatam, ut non illo afflicto affligatur quoque, proſtrato proſternatur, erigatur ſimul, & quaſi condoleat. Unde nemo Melancholiæ reus non foret. Sed velut virtus niſi in conſtantem voluntatis habitum tranſierit, virtutis nomen non meretur: Sic error unius momenti pro vitio haberi non debet, ſi nubila poteſt mens firmior diſcutere, eoſque animi terrores, utut in illos proclivis ſit, innato robore, depellere.

Patet ergo quantùm non confundenda ſit animi affectio, quæ aut mœſtitiam aut metum inducit, cum illâ corporis conditione quæ Melancholiam gignit. Situs eſt morbus iſte noſter in animi affectione ſine causâ, ſaltem illâ quæ cadat in conſtantem virum. Hinc illum, non melancholicum, ſed virtutis amore flagrantem

dixeris, qui in vitia acriùs invehitur, alienis vehementer tangitur infortuniis, & ingemit inopem miſerans. Sed ſi ab illorum objectorum triſtitiâ nunquam ſe divelli patitur, ſi mens illis præter rationis modum inhæret, virtus illius furtim in Melancholiam delabitur. Sic etiam qui leves riſus captat, jocoſus habendus eſt; ſi præter modum ſeſe lætitiæ tradit, eâque totus ita occupatur, ut rurſus ad gravitatem revocari non poſſit, morboſum quid habet, in quo ſaltem illud eſt melancholici, quòd adeſt mentis error debilitatæ & impotentis, jucundiſſimus quidem, & de quo morbum depellentibus dicere poſſit, *Me occidiſtis non ſervaſtis.*

Habemus quidem hîc leviſſimæ & quaſi delitеſcentis Melancholiæ imaginem, ſed ubi jam aliquid vehementiæ adepta eſt in verum delirium vertitur. Tunc homo, aut in dilectam ideam quaſi converſus eſt, fitque vel totus amor, vel totus odium, aut inani terrore correptus, ad minimum motum expaveſcit; nunc falſis imaginibus ſolidam effigiem obducit; nunc fingit omnia falſa, in factis & iis quæ inde colligit argumentis deſipit, merè inſanus.

Sæpe tamen circa alia omnia videtur rectè ſentire, loqui, agere circa unum tantùm objectum delirus, ut Athenienſis ille qui omnes in Pyræo oneratas naves ſui eſſe dominii putabat, teſte Theophraſto, cæteroquin omnia rectè exequebatur, Civis, Patris, Mariti officia. Scilicet alia quæcumque ad peramatam & cui adhærent ideam non pertinent, ſi ad delirii objectum conferantur, ſana dici poſ-

ſunt. Vidi egomet egregium cauſarum actorem qui de graviſſimis rebus prudenter & conſultè reſponderet, de ſeipſo & morbo efficto delirantem. Si tamen propiùs, & ad ſinceræ rationis lancem, ii qui circa objecta à ſe aliena non delirant, ponderentur, raró omninò ratione præditi dicentur; ſed latebit aliquid quòd eos à ratione aberrare, ſagaciori ſatis detegat.

Cùm ergo animi illa imbecillitas à variis pendere corporis conditionibus poſſit, varia etiam ſymptomata habet quæ progrediente tantùm atque graſſante malo diſtingui ſe ſinunt.

Alii ſcilicet ita ſunt conſtituti, ut omnes ac ſinguli cauſarum externarum incurſus illos commoveant, hinc ſummè mobiles & ſunt, & dicuntur, quaſi nervoſum genus ad omnia movendum habeant; ſic res communes & vulgatas in monſtra convertunt, horrent aquas, frigus, æſtum, aſpectum cruoris. Toti concutiuntur ſerræ ſtridore & exploſione tormentorum; eoſdem ſi rumor patulas aures obtundit, pavitantes, ſilentium & tenebræ perterrent, cibos oderunt ad nauſeam & vomitum uſque, ſi quid in iis vel leviter offenderit. Miſerrimi denique homunciones propriâ imbecillitate à recto tramite perpetuò dejiciuntur, quòd & acutiùs ſentiant, & undique pateant cauſis continuò incurrentibus. Hinc fit ut facilè ab ingruentibus imaginationis figmentis toti detineantur, eaque ante oculos ſemper verſentur, in quo mera conſiſtit Melancholia.

Alii contrà, non à naturâ melancholicam dia-

theſin accepêre, ſed à robore nativo per morbum dejectis corporis turbatæ functiones, participem erroris mentem effecêre. Non illi ad omnia leves moventur, inſtar aut puerorum, aut fœminarum, ſed malum altiores egit radices, & ut in prioribus, ipſa idearum & imaginationis aucta vis atque celeritas, malum effecit; ſic in his, ipſum delirii genus peſſumdatam mentis arcem & vitiatam indicat. Hi ſunt qui placidè delirant, & nullatenùs à rationis tono deſciſcunt, licèt ab illâ toto cœlo aberrent.

Quarum quidem affectionum ambitus, ut poſſit quantùm immenſo cauſarum circulo comprehendatur, intelligi; liceat hîc quemlibet interrogare, de ſuæ ſanitatis varietatibus conſcium. Ecquis eſt qui adeò firmo mentis robore gaudet, ut non aliquando ſine causâ quam proferre poſſit, triſtior, & amicis minùs jucundus appareat. Amiſſâ alacritate illâ quam vis ſanitatis per omnes artus infundit, menti nec vigor ſupereſt, nec illud organis ſensûs acumen, quo ab externis objectis novæ naſcantur ideæ. Quaſi plumbeus eſt ad ea quibus aliàs commoveretur. Melancholicum ſeſe arguit, & reverâ eſſet, ſi plurium dierum foret error ille.

Nulla eſt ferè ſanitati inuſta labes, quæ non ab illâ gravitate corporis, & debilitate mentis incipiat; unde rectè Boerhaavius alacritatem in definitione ſanitatis inter conſtantia ejus ſigna numerat. Quam alacritatem nemo meliùs unquàm ad cauſam revocavit Sanctorio;

ex cujus immortalibus monumentis facilè deduces in quo differat eſſe, & ſe ſentire gravem.

En ergo in ſanitate turbatâ quacumque de causâ, habemus primum Melancholiæ elementum, quod ſi ſolum ſubſiſtat ſine alio principe vitio, morbus eſt ſui generis, ſymptoma præcipuum deducens à mentis infirmatæ errore, & vocatur Melancholia de qua hîc agere ſuſcepimus.

Cùm autem mentem turbari, laborare, ægrotare dicimus, non illa intelligenda eſt pars hominis quæ divino afflatu effiсta, nihil terrenæ atque corporeæ labis contrahit, mutationis neſcia, mortis atque morborum ut & corruptelæ triumphatrix, æterno ævo debita ἄφθαρτος, καὶ ἀναλλοίωτος, καὶ ἀκηράτος. Sed ea tantùm quatenus corporeis obſcurata nebulis per ſenſuum infirmitatem mutuatur ideas, ab iis judicia ſtruit, fallaci ſæpe argumento ſuffulta; quæ nunquam terreſtribus exuta vinculis effutire potuiſſet, ita ut nobis ægrotare videatur, aptis deſtituta inſtrumentis.

Quodcumque igitur ſenſorium illud commune, ad quod tum omnes ſenſus externi, tum & ipſa imaginatio atque memoria referuntur, è ſtatu ſano dejicere poteſt, eique imbecillitatis notam inurere, inter Melancholiæ cauſas locum ſibi vindicare debet. Hinc tractatio noſtra & ab ipsâ cauſarum ingenti diverſitate obſcuritatem trahit, & multiplici diviſione opus habet ut ad aliquam lucem poſſit emergere.

Ut ergò aliquis in inſtituendâ hac tractatione ſervetur ordo; bina primùm Melancholiæ

genera diſtinguemus, quorum unum à ſolidorum affectione repetendum ſit, alterum à fluidorum vitiis, ex quibus concurrentibus tertium exurgat genus, forſan frequentius cæteris.

Quam quidem diviſionem admittendam eſſe, & ſedulò diſtinguendam ipſa, ut ſperamus, demonſtrabit Tractatio. Incipiemus à ſolidorum vitiis quæ morbo noſtro cauſam præbent. Deinde ad Melancholiam humoralem progrediemur, cujus, ſæpe ſolidorum vitium ut cauſa eſt ſic & ſymptoma.

# PARS PRIMA.

## *De Melancholiâ à Solidorum vitio, ſeu nervoſâ.*

## CAPUT PRIMUM.

### *In quo expenditur nervoſæ Melancholiæ eſſentia.*

Quod Veteres *intemperiem ſine materia* vocabant, quæ ſcilicet ex ipſo naturæ habitu traxerat originem, id nos cognitâ meliùs corporis humani ſtructurâ, morbum à ſolidorum organis vitiatis pendentem, pronuntiamus. Videbant Veteres nullam incuſari poſſe labem, quæ hoc illudve viſcus peſſumdaret, ad nullum cognitum humoris genus, ferri degenerem ſanguinis compagem; latere tamen aliquid quod recto functionum exercitio obſtaret, & naturam quaſi in intimis penetralibus adoriretur, id intemperiem à nullâ materiâ intùs conceptâ pendentem, vocavêre. Nos illud ſaltem vicimus, ut ſolida per ſe pati poſſe ſciremus; eſſe ſcilicet illa naturæ inſtrumentum, quo functiones perage-

rentur, præbentibus interea alimentum atque flexilitatem corpori, fluidis; adeòque poſſe ſolida vitiari, ſeu quatenus eorum augetur actio, ſeu dum contrà imminuitur, ſive dum quacumque de causâ pervertitur. Si porrò nulla ab humoribus mutuata acrimonia, eorum tonum infringat, tum ab externis cauſis eorum pendere vitium deducimus. Quod quidem cauſarum genus, nullam in corpus humanum, imò nec in ipſa fluida actionem exercet, niſi per illam quam ſolidis impertit, impreſſionem.

Morbum igitur in ſolidis merè conſtitutum qualis eſt Melancholia, quam nervoſam nuncupamus, enodare ſatagentibus, ante omnia neceſſe eſt, ut quomodò poſſint affici ſolida illa, inquiramus; adeòque plus in eorum perpendendâ naturâ, & proprietatibus hæreamus, quam ipſe per ſe ſuſceptæ materiæ ordo poſtulare videretur.

Primùm verò, pro poſtulato nobis concedi requiremus, quod anatome demonſtrat, quod analyſis chemica confirmat, quod ſecantis *autopſia*, aut ſimplex, aut vitro armata, ad evidentiam uſque perduxit (*a*), omnia corporis humani viſcera, vaſa, glandulas, ex fibris conflari, aut membranis à fibrâ nullatenùs abludentibus. Quæ ſimplices primùm, mechanicis gaudent ſtructuræ proprietatibus; poſteà verò organicæ, habent etiam pendentes ab ipſo ſuo organiſmo proprietates. Simplices fibras, & quaſi in mortuo animali conſtitutas, longiori examine hîc ſcrutari foret inutile; ſatis erit ſi illas in homine vivente,

(*a*) *Vid.* Haller, *Phyſiologiæ*, cap. 1°.

vitâ prædiras ſpectemus, quatenùs ſcilicet & virtutis & vitii capaces ſunt.

Proprietates fibrarum quæ elementa corporis humani conſtituunt organicæ, cum mechanicis ſæpe conſentiunt, ipſis aliquando adverſantur. Mechanicæ, quæ fibræ competere poſſunt etiam arte humanâ fabricatæ, ſunt, 1°. robur, quo partibus externis ad earum diviſionem nitentibus reſiſtunt illæ, more funium; quod robur à partium tum craſſitie, tum mutuâ attractione pendet, quæ rurſus attractio à ſoliditate & craſſitie molis repetenda eſt. 2°. Flexilitas, quâ à ſuo ſtatu ſine rupturâ dimoveri poſſunt. 3°. Elaterium denique, quo compreſſæ atque diſtractæ reſiliunt. Cùm verò fibris omnibus competant prout vel exceſſu, vel defectu vitiantur, hæ dotes à naturâ fibris inſitæ, diverſitatem in ſanitate efficiunt, non morbum; mutationi enim obnoxiæ non ſunt, ſaltem illi quæ ſubitò ingruens morbum efficere poteſt; mortuo æquè competunt illæ atque vivo: ſed ab iis pendet varia molis totius craſſities, partim etiam ab iis repeti debet ad motum agilitas, & varietas motûs in fluidis, quæ quidem ad præſentem ſcopum nullatenus ſpectant.

Ineſt verò etiam ex conſtitutione naturæ, fibris mechanica tenſio; quâ fit ut etiam in cadavere nulla ferè ſit pars quæ diviſa non hiet, & hinc atque inde non retrahatur, excepto forſan cerebro, & celluloſo adipem continenti textui.

Ea tamen proprietas non æqualiter omnibus competit partibus, ſed aliæ plus, aliæ minùs retrahuntur. Quod ingentem, utì poſteà patebit, in ſenſu atque mobilitate diverſitatem efficit.

Verùm ſi ita conſtitutis fibris, addatur vitæ vis, & illa per omnes artus æquè profuſa actio, quâ ut verbis Hippocratis (*a*) utar, omnia trahunt atque trahuntur, en novum exurgit contemplationis atque meditationis argumentum.

Illa autem ſuperaddita mechanicæ organica activitas, in partibus omnibus aut ſenſu, aut mobilitate fruentibus partita inæqualiter reperitur, ita ut aliæ plus, aliæ minùs eâ donentur. Conſiſtit autem in tenſione, quâ fibræ in ſe ſemper contrahi nituntur, eamque proprietatem habent, ut plus minùſve contrahantur, pro diverſo cauſarum in illas agentium impulſu.

Demonſtratur illa tenſionis capacitas quam tonùm, & actionem tonicam ad Stahlianorum mentem vocabimus; pluribus argumentis quæ (*b*) raptim indicare ad alia properantibus licebit. Quòd omnia magis tenſa ſint in vivente quàm in cadavere, in vigilante quàm in eo cujus ſopor artus occupat; in laborante quàm in otioſo; in eo qui ſpirituoſa acria, ſtimulantia ſumpſit, quàm in eo qui aquis exundantibus ſuperatur; in viro inflammato quàm in cachecticâ fœminâ; in illo qui ſeſe exercet, quàm in eo qui a corpore ſemotus, meditationi incumbit; uno verbo, actionem corporis auget, & ab illâ adaugetur activitas illa, quæ exinde etiam novas demonſtrationes ſumit, quòd cum nullâ aliâ vi intra corpus exiſtente poſſit confundi.

(*a*) De Natura humana.

(*b*) Nemo uberiùs, nemo dilucidiùs de ea proprietate unquam locutus eſt, quàm D. Ferrein in privatis ſuis Prælectionibus, quas publici Juris aliquando facere exorandus eſt Vir clariſſimus.

Diſtinguitur enim ab actione muſculari quòd hæc muſculis ſolis competat, tonus verò partibus etiam non muſcularibus, ut cùm horremus criſpatâ cute, cùm coma horrore arrigitur, cùm pallor ora occupat, cùm arthritidis dolore vexantur & retrahuntur ligamenta. Quid loquar de retractione uteri ligamentorum, &c.

Nec minùs à convulſione & convulſivo habitu debet diſtingui, cùm hæc contra naturam ſit, illa verò noſtra naturalis; cùm convulſivus motus ſemper cauſam lædentem ſupponat, noſtra verò actio ſemper quaſi naturæ obſequioſa ad externarum cauſarum impulſum arrigatur, & adſit ſemper in ſtatu naturali, excitanda atque adaugenda, quoties activitati naturæ ſuppetiæ novæ ferendæ ſunt. Hinc nuſquam evidentiùs apparet, quàm in iis actionibus ad quas affectionum animi impetu ferimur. Hinc pedibus timor addit alas. Hinc artus & cor ipſum pavore tremit, atque ordine interrupto & perturbato palpitat; hinc ira, furor brevis, vires addit, quibus vincula diſſiliant & rumpantur, ſuperentur amnes, prætervideatur, mortis, vulnerum imago; ſic amor, dum flammas ad uſque oſſa verſat, tota tremore pertentat corpora & ſpernit minas, incendia, pericula: uno verbo, dum ab hiſce animi affectibus ita penitùs mutatur atque invertitur totus homo, ut quaſi in novum animal novis præditum proprietatibus penitùs convertatur, & actiones jam exerat novo acquiſito ſtatui correlativas. Unde intelligitur ſatis, quanti ſit momenti, in hac de Melancholiâ Tractatione, actionis hujus leges propiùs perpendere, lucem toti noſtro operi allaturas.

Cùm autem actio illa tonica, tenſio ſit organica, mechanicæ fibrarum tenſioni quaſi ſuperinfuſa, debet primò tenſionem naturalem adaugere, atque inde omnes ejus effectus. Verùm tenſione auctâ, ſequitur ut exercitium quidem virium majus ſit, cùm nulla ſit vis ſeu actio, quæ non ſupponat tenſionem. Ecquid enim agi aut agere poteſt, ſi non aut trahatur aut adducatur, quid aut trahi aut adduci poteſt, ſi tenſum non ſit? Sequitur etiam robur ipſum, ſeu vis, quâ reſiſtunt fibræ ſuæ diviſioni, offenſam aliquam patiatur, ab eâ tenſione, quia quò aliquid magis tenſum eſt, eò magis diſtrahuntur, atque ad ſeparationem nituntur ejus partes.

Tono illo ſemel aucto, atque in actionem redacto, augeri debet nativum elaterium, effectuſque ejus majores eſſe. Cujus quidem propoſitionis demonſtratio ab ipsâ elaterii naturâ deducitur. Pars enim elaſtica eò magis reſilit, quò magis tenſa eſt, ita ut cognitâ vi elaſticâ, ſimulque tenſionis quantitate, poſſit iniri, reſilientis vis, in parte cognitâ calculus.

Hinc naſcitur ab actione tonicâ mechanicæ tenſioni conjunctâ, vibratilitas in partibus major, ita ut facilior ſit fibrarum vibratio, ſimulque citatiores ſint vibrationes illæ. Ecquid enim aliud eſt vibratio fibræ, quàm reactio tenſæ fibræ in actionem externam? Quæ ſi exiſtit ſemel, proportionem certam obtinere debet, hinc cum tenſione, illinc cum elaſticitate fibrarum, ut norunt Muſici, qui chordas tractant ex animalium fibris fabrefactas.

A vibratilitate pariter naſcitur ex ipſâ rei ne-

ceſſitate, famoſa illa & Melancholiæ fundamentum præbens mobilitas, quâ ſcilicet cauſarum externarum actioni reſponſant fibræ, quæ eò major eſſe debet, quò tenſio ſimul & elaterium majora ſunt; cùm unum & idem ſit vibratile eſſe atque mobile.

Habemus igitur hucuſque demonſtratum, quòd exiſtat actio quædam in corpore tonica dicta, quæ augmenti capax atque decrementi, tenſionem novam facit, mechanicæ ſuperadditam, quæ dum innatum elaterium auget, vibratilitatem ſimul atque mobilitatem fibris impertit. Nunc qui ſint hujus conſequentes effectus videndum eſt.

Neceſſarii ſunt actionis tonicæ effectus quos modò recenſebamus, vis elaſtica, reactio, vibratilitas, atque mobilitas illa quæ corporibus in eadem conditione poſitis pariter competeret. Ab hac proprietate primariâ, in machinâ humanâ pendent ſenſatio, motus; ſeu ſpaſmus ad mentem Veterum, & mira illa proprietas, quâ partes inter ſe conſentiunt & quaſi compatiuntur.

Senſatio ſive ſenſus ab actione corporis externi natus, ſi pro eâ tantùm habetur impreſſione, quæ vividior dolorem pareret, non adeò universìm per omnes corporis partes diffunditur, teſte Hallero, graviſſimæ in Phyſicis autoritatis viro. Sed ſi ſenſationis nomine intelligi poteſt, omnis actio innata in qualibet corporis parte, etiam à parte impulsâ diſſitâ, pendens ab impreſſione externâ ubicumque natâ, etiam ſine mentis conſcientiâ; ſenſus ferè in omnibus corporis partibus habitat, ſaltem in illis ad quas actio tonica pertinet, & quæ nobis argumentum præbent.

Et eâ

Et eâ quidem extenſione ſenſationis nomen in hoc Tractatu intelligere fas erit, quatenus ſcilicet actio aliqua, ſeu potiùs reactio oritur ab impreſſione externâ; reactio prorsùs diverſa ab eâ quæ neceſſariò ſequitur à reſultu corporis elaſtici: ſive, quod idem eſt, ſenſatio dici debet adeſſe, quoties ad occurſum corporis impingentis, naſcitur effectus ab illo diverſus, qui deberet oriri à ſolis proprietatibus mechanicis.

Hinc ad ſenſationem referemus actionem pupillæ & palpebrarum, quâ contrahitur illa, hæ nictitant ad præſentiam radiorum luminis, licèt teſte nunquam ſatis laudato Hallero, aquarum Stygiarum ſtimulum non ſentiant iridis fibrillæ. Sentire dicemus aurem quæ ſono commovetur, radiis lucis non impellitur. Senſus eſt & ſtimulus in corde, cùm ad frangenda obſtacula tremit, & crebris palpitationibus vim auget, aut cùm febrile incendium concitat, licèt cultri acies ipſi dolorem non impingeret; unde non ſine aliquâ rationis ſpecie dici poteſt, ſuum cuique parti ineſſe ſenſilitatis genus, quod ad alias quaſcumque non pertingat. Vis ſcilicet cuique parti indita eſt à ſummo Opifice, in univerſam ſalutem conjurans amicè, atque conſentiens, quæ nullatenùs aliorum viſcerum eſt.

Patet inde quàm latè pateat ſenſationum adeòque ſenſilitatis campus, quod latiùs adhuc extendi, probare facile foret, ſi ſinerent præſcripti limites ultrà in diverſos corporum admiſſorum in unamquamque machinæ humanæ partem effectus inquirere. Cur, v. gr., linguam vellicent acerrimæ tincturæ illæ, aut olea eſſentialia quæ

tendinibus læſis atque dolentibus ſedandis auxilio ſunt ? Cur veſicam cantharides lædant, pulmonibus intactis, & alia multa, quæ partis hujus tonum immutant, illius ſartum tectumque ſervant ? Satis erit ſi didicerint inde Phyſici, Naturam venerari, eique limites nunquam temerariò aſſignare.

Ubi igitur aliqua à ſenſibus mutuata corpus attigit impreſſio, fit motus in parte ſenſum accipiente, ſiquidem ſine motu, corporei nihil agitur. Motus ille, nunc levis, nunc fortior eſt, pro vario corporis impingentis impetu atque figurâ, ſed gradu tantùm differt, à leviſſimâ titillatione, dolor excrucians.

Semel ergo factâ corporis externi in corpus animatum impreſſione, eâque ad commune ſenſorium devectâ, en illicò nova naſcitur ſenſorii communis actio, quâ additur tenſio & quaſi vibratilitas. In omnibus quidem partibus adaugetur illa, ſed in illis præcipuè à quibus cauſa laceſſens, novum poſtulat exercitium. Fit attentio, ut nomine à re ipſâ mutuato aiunt Phyſici, cujus ſi præſentiam intueri libeat, tenſionis additæ effectus agnoſces.

Scilicet ipſo aſpectu quacumque parte dolentem hominem agnoſces, licèt ipſum dolorem vultu premere, & diſſimulare fortis ſuadeat animi conſtantia. Norunt id Pictores, non color, non oculus idem remanet. Hæret ipſe in ſuo circuitu ſanguis, variè agitantur, vibrant atque convelluntur muſculi, & in impreſſam labem omnes conſentiunt vel maximè diſſiti. Quid ſi circa internos ſenſus totus homo verſetur, aut oculo at-

que auribus excipiat aliquid quod ipſum detineat. Fit immobilis. Vita omnis in organum ſentiens videtur derivata ; feriantur omnes aliæ functiones, rigeſcit corpus, ut non ſine aliquâ Naturæ picturâ, Poëtæ verſam in rupem nimio mœrore Niobem finxerint.

Aliæ autem impreſſiones à ſenſorio communi in corporis partes reflexæ, ipſam partem occupant, ut in oculo objecta aſpiciente, axis viſionis augetur aut minuitur, pro ipſorum proximitate aut diſtantiâ, in aurium arrectione, præſertim in brutis, ad ſoni præſentiam, & aliis multis. Aliæ ſunt impreſſiones, quæ partes diſſitas afficiunt ; ſic oculis, aut attactu concepta, Venerea tentigo, in viris veretrum tenſione, teſticulos ſtricturâ afficit, mulierum uterum motibus convulſivis & ſæpè ſpaſmis horrendis jactat undequaque.

At omnibus id commune eſt ut ad præſentiam affectûs corpus omne, magis minùſve, diversè tamen in variis partibus, quaſi arrigatur; undè iræ alia eſt pictura, alia mœrori, qui animi affectus nihil inter ſe commune habent, niſi quod hominem è præſenti ſtatu, tenſione auctâ, dimoveant, in has verò vel illas partes variato impetu deſævientes.

Tanta motuum, tam externorum quàm internorum, diverſitas, in variatâ partium harum vel illarum tenſione conſiſtit, & variè multiplici illarum vibratilitate; quæ quidem vibratilitas, ſine ullâ mentis conſcientiâ, aliquando ſpaſmum efficit, aliquando cum acerbiſſimo ſenſu ſpaſmum non producit, ita ut duplex demonſtretur ſenſorii communis effectus, nunc moveri, nunc ſentire, nunc utrumque ſimul; qui tamen effectus ſi ad ſu-

premum evecti gradum ſupponantur, in id conſentiunt, ut ad divulſionem & lacerationem fibrarum tendant, quod Græci à verbo Σπᾶν, Σπάσμα vocavêre. *Vid.* Galen. *Methodo med. Lib.* 5°.

Hæc ſunt quæ certa atque demonſtrata habemus, circa ſenſationum exercitium. Sive enim vibratione ſolâ, ſive ætheris aut electrici fluidi irradiatione, ſive demum ſolo ſpirituum influxû peragantur, perinde eſt. Nos ea ſola ſequimur, quæ lucem aliquam poſſint in Medicam Praxim profundere. Adeòque leges quibus partes ſenſiles obſecundant, licebit perſequi, cùm ab eorum intimiori perſcrutatione pendeat præcipuè Melancholiæ nervoſæ fundamentum.

Cuilibet homini viventi ex ipsâ vitæ eſſentiâ ſentire datum eſt, ſed ſenſationis gradus non idem eſt. Convellitur puella ab eâ impreſſione quæ vix ruſticum attingat. Cùm porrò ſenſatio quælibet vibrationem ſupponat, ſequitur ut quò vibratilior ſit fibra, eò ſentiat acutiùs. Hinc quò tenſa magis, aut ab ipsâ Naturæ conditione, aut ab âcquiſitâ vi, fibra eò etiam mobilior eſt. Tenſio verò magis gracilitati competit, ut dura firmitas ſeu vis reſiſtendi robuſtiorem ornat. Hinc quibus tenſa magis atque gracilior eſt fibra, his vibratilitas major ineſt, his ergo major ſenſilitas concedenda.

Contrà verò difficiliùs è Naturæ ſtatu dimovetur fibra, quæ craſſiori compage conſtat, & ut ab incurſu rerum externarum minùs commovetur, minùs etiam tenſa eſt, minùs ergo ſenſilis. Porrò ab hâcce ſolâ fibrarum diverſitate pendet omnis ſenſationum in diverſis hominibus diſcre-

ſpantia ; ſi tamen conceſſum fuerit principium illud, quòd ex ipsâ Naturâ deductum dicere fas eſt, ineſſe in ſimilis ſpeciei animalibus eumdem fibrarum numerum.

Hoc poſito, pro demonſtrato habebimus graciliorem fibram, ut celeriùs vibrare, ita ſentire acutiùs ; cùm contrà durior atque robuſtior & lentiùs & minùs vibret ; adeòque minore ſenſûs portione donata ſit.

Cui quidem primariæ ſenſationum legi experientia ita ſuffragatur, ut eam vel ſine rationis adjumento, ſtabiliat. Robuſtus miles membra labore durata gerens, ad tormentorum bellicorum exploſionem non commovetur, horret ad hunc fragorem Urbanus, convellitur fœmina. Conſtantia pariter animi, corporis robori videtur adjuncta: mortem vel inſtantem ridet ferrea agreſtium militum progenies, tremit ad neceſſariam ejus recordationem delicata Urbanorum imaginatio. Hinc iis qui tenero & mobili corpore mentem infirmant, adeſt vividior imaginandi vis, acumen promptius, brevis ſpes ad ſummam deſperationem citò deducta, animi pathemata ingentia, ſed ſpontè ſtatim deferveſcentia. Robuſti & exercitati ſtant ad omnes rerum externarum ingruentium occurſus, quaſi ſuâ mole immoti. Verùm ſi robur illud & in eodem ſtatu conſtantia, illos à plurimis liberos reddit & immunes malis, quæ quaſi continuò tenellos opprimunt, arctior eſt etiam iis deliciarum ambitus, cùm durior fibra nec cantûs amenioribus illecebris, nec Facundiæ artibus, aut Poëtarum harmoniâ, delinimentum accipere poſſit ; ſolus tubarum clangor vix queat

animum incendere, muſculiſque tonicum vigorem addere: ſed ſatis ſit nobis his immoratos fuiſſe, dum eamdem propoſitionem univerſa hominis natura, ſeu ipſum ſpectes morbo affectum, ſive vigentem ſanitate, commonſtret.

Quædam tamen ab hac propoſitione corollaria tenenda ſunt.

1um erit. Quòd gracilior quidem atque tenſior fibra vibret & celeriùs & acutiùs, ſed promptiùs etiam conquieſcat, robuſtior lentiùs atque tardiùs in motum agatur, acceptum verò ſervet diutiùs. Id ex ipsâ fibræ ſeu corporis vibrantis ſtructurâ neceſſariò ſequitur; & inde enodatur, cur in fœminis atque pueris, ira furor brevis, ad ſummum evehatur tam citò, tam celeriter deferveat. Cur ii qui vividâ imaginationis vi percelluntur, tam promptè ab alio objecto, in aliud rapiantur; hinc gentibus per ſe gracilibus & exquiſitâ tenſione donatis, primus impetus pluſquam virorum eſt, ſecundus minor quàm mulierum. Actuoſa magis eſt gracilium virtus, conſtantior craſſiorum, hinc bello aptiores Germani Gallis, apud Cæſarem habentur. Frangebatur horum audacia labore, & cita deſperatio ſuccedebat conatibus, qui vel cœlum invadere minarentur, augebatur contrà in illis vel ipsâ exercitatione.

2um erit. Quòd ſi robuſtior fibra eumdem tenſionis gradum acquiſiverit atque gracilior, cauſæ quæ utramque producere valuerunt, ſunt inter ſe reciprocè ut fibrarum actuoſitates. Scilicet cauſa tantò major eſt quæ tenſionem in robuſtâ produxit, quantò ipſa ad motum accipiendum magis reſiſtit. Si inflammatio eumdem præciſè tenſionis

gradum in pleurâ robuſtâ indixit atque in gracili, quantò major eſſe debet in robuſtâ inflammationis cauſa; hinc intelligitur quâ ratione dici poſſit, periculi pleniores eſſe morbos inflammatorios, in robuſtis quàm in debilibus; cur multò plus terroris & minarum intentet convulſio in robuſto atque viro, quàm in infante atque fœminâ.

Tertio corollario comprehendemus ea quæ circa flexiliorum aut laxiorum fibrarum tenſionem debent ex dictis deduci. Flexilior ſcilicet atque laxior fibræ compages minoris capax eſt tenſionis, adeòque vibratilitatis minoris. Hinc quibus fibra laxa eſt, minùs actuoſi ſunt, minùs alacres, ſed contrà inertes, ſtupidi, vix ad actum concitandi, & rerum externarum occurſu vix commoventur, ipſoſque animi affectus quadam hebetudine ſenſuum retundunt. Hanc igitur fibrarum conditionem inducentes cauſæ, ut nimia redundans undequâque humiditas, aër cœnoſus, vita laxa, otioſa, ſomnus nimius, liquidorum diluentium abuſus, ut inertiam inducunt fibris, ſic medelam præſtant nimiæ tenſioni.

Hæ ſunt leges quibus partium corporis humani ſenſu donatarum, activitas regitur & obſecundat; ſed alius earum ordo exoritur, ab inſilientis cauſæ actione; prout illa eodem impetu agens, aut ſubita eſt, aut ſenſim proſerpens, vel quaſi conſuetudine in habitum deducta, vel nova & prorsùs inſolita corpori in quod agit aut agitur.

Hoc ſub aſpectu ſi ſenſilitatem ſpectes, prima lex erit, ut ſubitus cujuſvis cauſæ inſolitæ impetus, majores in gracilem & tenſam fibram, quàm

in aliam quamvis, effectus exerat. Probat id ipſa vibratilis fibræ proprietas.

Secunda lex erit ut conſtans & æqualiter agens cauſa, magis agat in robuſtam, cujus ex eâdem proprietate vibratio conſtantior eſſe debet. Aſſueſcit faciliùs impreſſioni externæ gracilior fibra, cujus naturæ magis congruit, mutari, & è ſtatu ſuo dimoveri; poſterior contrà quæ à naturâ minùs mutatur, conſtanti ſenſûs exercitatione excitatur. Id jam probatum eſt; ſed clariùs adhuc eluceſcit ex analogiâ ſenſuum internorum ad externos jure deducendâ. His memoria difficilis, ſed firma; illis prompta, ſed labilis & citò diffluens. Attentio his neceſſaria magis, illis minùs. His ineſt patientia victrix, illis primus impetus.

Pro tertiâ lege ponimus illam ab experientiæ teſſerâ ſancitam, ut quæ ſemel ſenſui alicui aſſuevit fibra, minùs ab eo commoveatur, magis ab inaſſueto convellatur, tendatur, vibret: id quotidianâ experientiâ planum fit. Hinc inter tormentorum exploſiones altè ſtertunt milites ſub belli finem; evigilant ad ſonum eundem primo & inaſſueto belli furore. Vomunt omnes & dirè convelluntur, qui primùm navi vehuntur, miſerè affectos rident qui mari aſſueti ſunt. Imò nihil eſt ferè adeò abſurdi, adeò inſoliti cui natura animalium recuſet aſſuefieri, ſi ita dirigatur ſenſatio, ut ſenſim ſine ſenſu quaſi manſueſcat. Quoties videmus pueros, qui cibum aliquem peroſi, ſenſim ita huic aſſueſcunt, ut ab ejus odio furtim in ejus amorem deducantur, aut viciſſim ab amore ferantur in odium, modò familiaritas illa, aut odium illud paulatim inſinuentur. Undè

nova ſeries legum in ſenſationibus exoritur cui paululùm immorari, extra propoſitum non erit.

Prima conſiſtit in illâ maximæ extenſionis annotatione, quòd uni aſſuetus ſenſationi ab eâ vix commovendus, poſſit, tamen ab eo quod obtinuerit circa certas atque determinatas ſenſationes imperio, nullatenùs immunem præſtari ab aliarum vividiſſimo impetu; ſic Duces bello fortiſſimi, quibus murus & æs triplex circa pectus conſtitutus eſt, ut Martis pericula prætervideant, ita ſuî ab alio impetu cauſarum impotentes ſunt, ut ad fragorem fulminis expaveſcant, exſilientem è venâ pacatè ſanguinem aſpectare nequeant, mures, glires horreſcant. Adeò nihil univerſum in corpore animali & ab omni parte beatum eſt.

Conſuetudinis verò etiam inductæ jam alii effectus ſunt, pro vehementiâ cauſæ efficientis.

Impreſſio vehemens, quæ jam in corpus ſuî notam ita inuſſit, ut eum ſemel concuſſum percuſſerit, & animam totam invaſerit atque abſorbſerit, ſuî memorem ſenſum altè impreſſit.

Vibrat igitur, ad objecti cujus tanta fuit efficacia vel ſolam memoriam, fibra ſenſilis, leviùs tamen: at ſi vel minima præſens impreſſio antiquos refricat ſenſus, priſtinam æquali gradu renovat vibrationem & acquiſitam facultatem, quaſi ſervaret ſepoſitam fibra, aut ex animæ ipſius penu depromeret, in actum exerit. Sic quòd medicamentum ſemel vomitum concitavit, vel audito nomine, percellit horrore, & nauſeâ afficit, ſine ullo aut guſtûs, aut odoratûs, aut ſenſûs cujuſvis concurſu. Si verò jam nauſeabundo & horrenti, addatur aliquid horumce ſenſuum memoriæ vires

addens, en vehementiores excitabuntur vomitus quàm primi fuerant, cum incauto, & nihil tale cogitanti, primâ vice oblatum fuit pharmacum illud.

Duplicem hunc igitur aſſuefactionis effectum de Melancholiâ tractare cupientibus ſedulò notare convenit. Vehemens ſcilicet impreſſio, vibrationes ſubitas fibris inducit, & eas quæ ſenſationi dicatæ ſunt cùm præcipuè afficiat, tum cæterarum quoque corporis fibrarum tonum auget, inducitque ſtatum hunc quem nomine vulgato Medici *Erethiſmum* vocant, quaſi conſentiente, & ad irritationem inuſtam compatiente machinâ. Inde ſenſilitas oritur univerſa, & in iis quæ affectæ ſunt fibris, diſpoſitio ad renovandas vibrationes. Contrà verò ſi levis ſit impreſſio illa, ita ut fibras tantummodò titillet, ſenſumque menti levem tradat: cùm repetetur illa vix ſentietur, tantùmque de actione ſuâ perdet, quantùm plus illi mens aſſueſcit undè quaſi vix illi attendat. Tum verò ſi ſenſim ſine ſenſu augeatur, poterit ad illius impulſus vel vehementiores ita ſenſim corpus aſſueſcere, ut jam de illâ nihil ſentiat, ut aiunt, epoto ſæpiùs veneno id profeciſſe Mithridatem, ne poſſint ſibi nocere toxica: aut ut videmus quotidie odore aliquo in habitum tracto, mentem jam ipſius fœtorem non advertere. Sed hujuſce propoſitionis probationi diutiùs inſiſtere nullatenùs utile, cùm ex iiſce habitibus quaſi tota vita conſletur.

Alia eſt etiam ſenſationum lex, ad priorem hanc aſſuefactionis ſeu habitûs legem revocanda. Ea eſt animi atque corporis propenſio, quâ ad

imitationem aliorum trahimur. Hinc eſt quòd ad concordes atque harmonicos cantantium ſonos, corpus totum, menſuram plauſu atque vibratione uniformi, conſonam reddat, & ad ſaltationem excitetur. Hinc multi vomentibus aſſidentes, nauſeas experiuntur, & oſcitatio unius alterius oſcitationem concitat. Hinc multi præſertim è tenuioribus atque mulierculis, inſultus epilepticos ſpectando, morbum ipſi contraxerunt, convulſioneſque ſæpè ab aliis in alios novâ contagii ſpecie proſerpunt. Lex quidem illa plus minùſve in homine obtinet, ſed aliqui ſunt eâ mobilitate præditi, ut vividiſſima ſit quodcumque attentiùs inſpexêre, imitandi neceſſitas.

Hæc quidem omnia ſæpè non conſciâ imò reluctante mente peraguntur, ratio contrà nititur, ſed automaticus quidam, & quaſi innatus corporis inſtinctus ipſam etiam trahit. Imò quædam etiam à corporeâ conditione menti labes inuritur, undè ſæpè eadem recurſans idæa ipſam è ſtatu ſano dejicit. Hinc ſæpè illa præſagiis tota terretur. Inhorreſcit pavitans monſtris atque chimæris, falſo deluditur amore, ſomniis inhiat, quæ omnia graciliorum vitam conturbant, robuſtos verò fugiunt, illis ſcilicet ut eſt corpus mobilius ita & vis mentis infirmior.

Patet inde quòd ex repetitis cauſarum ſenſus acuentium inſultibus, duplex poſſit naſci in corpore habitus. Hinc habitus inertiæ, illinc contrà habitus ad motus ſpontaneos, qui poſſet convulſivus nuncupari. Uterque in Melancholiâ nervoſâ maximi ponderis.

Habitus inertiæ ille erit, in quo fibræ eâ tan-

tùm tenſione gaudent quæ ad functiones exercendas neceſſaria eſt : ultrà autem vix expergiſcere, atque vibrationes concipere poſſunt, adeòque ad ſenſilitatis actus vix provocari & excitari. Quod vitium animatis fibris à multiplici cauſarum fonte, evenire poteſt.

Hunc habitum in illis ne quæſieris qui inerti vitæ dediti, externarum rerum impreſſiones fugiunt. Cùm contrà in eis laborum fuga, omnium extra nos poſitorum, actionem acuat, eam reddendo inſolitam : ſed in iis reperitur, qui per varia ſenſationum genera, aſſiduò corpus exercendo, ita callum ſenſibus obduxêre, ut quaſi in naturam verſa ſit, varietas illa infinita. Jam non ampliùs commoventur ab inſilientium cauſarum tumultu, & à pacato animæ ſtatu nuſquàm dimoventur. Ad hanc claſſem referendi ſunt, qui ita ſenſim ſine ſenſu à pueritiâ per varios gradus ſeſe exercuêre, ut jam non nutent ad affectus vividiſſimos, ita nec pavidus Nauta exhorret mare; nec claſſico truci Miles in terrorem conjicitur. Id quotidianâ experientiâ in Ruſticis reperitur, quos ſua durities impavidos facit. Ut rectè inde arguat Hippocrates (*a*), robuſtiores in illis locis eſſe homines, in quibus ingens tempeſtatum varietas fibras induruit. Alteram claſſem in quâ habitus inertiæ reperitur, conſtituunt illi qui ita toti in uno conquieſcere aſſueverunt objecto, ut ab aliis omninò diſtrahantur; alia omnia præter objectum amatum ipſis ſordeant, id Geometris, aliiſque altâ & profundâ caligine demerſas veritates me-

(*a*) De aëre, loc. & aquis.

ditantibus, ut de Archimede narrant, accidit. Id familiare eſt Poëtis, qui toti circa fictitia verſantur, iiſque quaſi ſepeliuntur. Narrat Auguſtinus pio ſacerdoti eam in precibus fuiſſe attentionem, ut flammis ureretur ad vivum impunè. Notandum tamen eſt in hoc inertiæ habitu aliquid convulſivi ſæpiùs latere, cùm ſcilicet cæteri eâ tantùm de causâ affectus ſileant, quòd vividiſſimus aliquis aliorum locum obtineat.

In hoc habitu inducendo nullatenùs hujus loci eſt recenſere eas cauſas omnes, quæ laxam atque aquoſam, inertem diatheſin procreando, vim fibrarum vibratilem, laxatione inductâ, imminuunt & quaſi cicurant. Cùm habitus noſter non in fibrarum laxitate conſiſtat, ſed in vibrandi deſuetudine, nec plus ergo laxitas illa hîc recenſeri debet, quàm à cerebri vitio pendens paralyſis.

Convulſiva ſeu mobiliſſima diatheſis, quâ ſcilicet objecta majorem fibris vibrationem conciliant, quàm quæ à Naturæ inſtituto adeſſe deberet, oppoſitis cauſis inducitur. Sic inter cauſas convulſivi illius habitûs recenſere eſt. 1°. Pacatam tranquillamque vitam, & ita ab externis impreſſionibus vacuam, ut quodcumque eam à felici illâ conditione dejicit, vividâ impreſſione factâ, corpus ſimul & animam conturbat. Scilicèt immenſum eſt quod perrumpitur intervallum, inter quietem illam pœnè abſolutam, & motum vel mediocrem : hæc eſt una de cauſis quibus fit ut puellæ, quæ ſæpiùs in umbrâ atque cœnobiis educantur, à proceloſo mundi oceano ſemotæ, ubi primùm ipſiûs ſe fluctibus credunt, totæ ad

motus vel minimos expaveſcant; affectibus animi vel minimis funditùs conturbentur, breviquè habitum hunc, quo ſummè mobiles & convulſæ evadunt, acquiſivêrint; ab hac causâ etiam gracilitas fibræ ſervatur, cùm duro tantùm labore craſſior fieri poſſit, undè tanta inter ruſticas mulieres atque urbanas intercedit differentia. Nec difficiliùs inde intelligitur, cur vitium illud adeò occupet, æquali cœli clementiâ donatas regiones, calidas præſertim, quibus gracilitati innatæ ſiccitas additur, fibras & tenſiores & vibratiliores ex Naturæ neceſſitate efficiens.

2°. Idem efficit multiplex ſenſationum, ſed ſemper ultra mediocritatem lata, diverſitas. Si præſertim ita diſpoſitæ ſint cauſæ, ut quaſi inter ſe oppoſitæ à ſummo gradu ad ſummitatem alterius oppoſiti, corpus ſimul atque mentem, non ſine fibrarum rupturæ metu, diſtrahant atque divellant: ſic ſi omiſſo medio, à repentinæ lætitiæ evectiſſimo gradu ſubitò in deſperatum mœrorem, aut à metu atque mœrore, in inſanæ lætitiæ vortices abripiatur, uno ſaltu, tantæ mutationis incapax eſt Natura per ſe infirmior, tantuſque eſt in corpore univerſo tumultus, ut nullam video cauſam, cur Hiſtoricis fidem denegemus improviſâ morte, in tali conflictu obrutos & quaſi proſtratos, narrantibus. Certè nemo eſt qui non perpetuum factum ab hacce causâ tremorem vibratilitatemque inde contractam, aut non audierit, aut non viderit.

Ab hoc cauſarum inter ſe colluctantium agendi modo intelligitur, quâ ratione eumdem vibratili-

tatis habitum poſſit inducere vehementiſſima quævis ſenſatio ſeu pluriès, ſeu unicâ tantùm vice repetita; ſic fragor fulminis improviſus, ſi præſertim coram nobis aliquis ab eo ictus fuerit, dum miſericordiâ ſimul & timore afficit, habitum induxit convulſivum, imò & perpetuum tremorem. Sed ut ad horroris plena ſpectacula tota non impendatur diſquiſitio; unde precor, alii libidinoſi ſunt, ita ut cupidinis veſanæ flammis vix obſiſtere ipſis fas ſit, cùm contrà alii puri atque caſti ſanctè vitam inſtituunt. Prioribus ſcilicèt vibratilitatem inducit, atque œſtro percutit, quæ urit videndo, vireſque paulatim affectui ſubdit fœmina, cum quâ dum familiariùs degunt, ab ipſius oculis venenum combibunt, Venereamque tentiginem ab eâ concipiunt; ita ut poſteà vix mulierem alloqui fas ſit ſine immoderatâ illâ potiundi libidine.

Nec negamus quòd cauſa in organum peculiare agens, atque in eum directa, ipſi pariter ſingularem præſtet vibratilitatem, quæ alias partes ab eo diverſas minùs attingat. Sic qui oculos ad minimas legendas litteras acuerunt, ipſis facultatem hanc acquirunt, quæ ad organa tactûs nullatenus pertineat; ſic libidinoſi veretro partibuſque pudendis ignem præcipuè ſubjiciunt.

Habitus porrò illi hinc inertiæ, illinc activitatis atque mobilitatis extrema conſtituunt, aureæ illius mediocritatis, tùm in ſentiendo, tùm in agendo quæ hominem ſanum & in medio extremorum poſitum conſtituit. Uterque tamen, ſi intra certos limites continetur, diverſitates in ſanitate, non ægritudines facit; hinc intelligere

facile eſt quanti ſit momenti animi affectibus maturè imperitare, cùm tot & tanta ſint vitia, quæ dum patentem viam vividis affectibus relinquimus, gliſcunt; cùm tanta ſint quæ malò habitu contrahuntur incommoda, quibus poſteà ducimur; cùm demùm etiam multa mala imitando contrahere valeamus. Sed ſi intra rationis pomæria ea omnia ſubſiſtant, ingens exoritur hominum inter ſe diverſitas, forſan ulteriùs extendenda, quàm liceat ex ipſo corporis intuitu pronuntiare. Hic vel ipſius orbis fracti ruinis impavidus feriatur, hunc vel minimus motus paventem exanimat. Pleni ſunt Autores, tum ii qui moribus regendis inſudant, tum ii qui de Phyſicis ſcripsêre, exemplis vanorum illorum terrorum qui conturbant homines, & abſurdos faciunt. Hinc alii impreſſionibus externis, concentibus Muſicis extra ſe rapiuntur, imò & morbis liberatos legimus; dum alii nihil in Muſicâ niſi ſtrepitum audiunt; alii ſi choreas vident, quaſi Tarantulâ icti, vix ſeſe continent quin in numerum ſaltationi indulgeant; alii contrà ſtant immoti harmonicam hanc riſu excipientes convulſionem. Sic qui amore percelluntur, ita ut dirum verſet in oſſibus ignem cupido dura, nullo objecto diſcrimine retardantur, quin ſperatos favores arripiant, quaſi ſiti compulſi. Hæc quidem intra ipſius ſanitatis limites fiunt, ſi dicere fas eſt; ſed brevì furor ille in meram inſaniam pronus it & degener; & nimia quæ inde accerſitur mobilitas, ea eſt, ut nihil jam rationi conſentaneum peragi poſſit. Sic dum hæc ſcribo, conſiliis, menti atque corpori roborando fœminæ illuſtris, curam impendo.

Hæc

Hæc, horreſco referens, ingenio prædita, ſed parùm judicio valens, omnem averſari cibum, potum horrere gloriatur. Nullum alioqui ineſt vitium, marceſſit tamen in ipſo ætatis flore. Si de cibo loquaris, convellitur; ſi cibus adeſt præſens ipſi propoſitus convellitur; ſi liquore labra proluit, convellitur, præſertim ſi invitam cogas. Nam aliquandò plures per dies cibis indulget, gratulantibuſque de tali mutatione amicis, en rurſus horror cibi reddit. Intereà quæ inter ſe homines ſibi mutua præſtant officia, convulſionibus rependit. Convellitur ſi quid grati amicis acciderit. Convellitur, ſi aliquo dolore afficiantur. In mediâ illâ ſcenâ tranquillo ſomno potitur, niſi ipſi ſua etiam inſomnia aliquando novam convulſionum occaſionem præbuerint. Quid non aſſidentes Medici tentavimus? Sed nulla eſt quæ animo robur addat, ipſique imperitet Medicina.

Verùm etſi ſæpiùs mobilitas illa cauſis indigeat externis ut in actum deducatur; fit tamen aliquandò ut ex ipſo interiori vitio ei proritetur occaſio. Scilicèt in corpore ſummè mobili vel minima cauſa offendens, quæ vix aliud læderet, immanes effectus præſtare poteſt. Imò & aliquandò ſtatis atque periodicis horis renaſcuntur effectus illi, mirantibus atque talem periodum obſtupeſcentibus illis, qui non ſatis attenderunt ferè omnia Naturæ phœnomena ab univerſalibus atque ſapientiſſimè ordinatis cauſis pendentia, periodicè atque ſtatis intervallis recurrere; quod eò magis in corpore humano accidit, quò corpus magis ex ipsâ ſtructuræ neceſſitate iiſdem horis, in eodem præcisè ſtatu, per regularia vitæ exer-

citia reperiri debet. Cui propoſitioni probandæ inſudare, ſi foret hujus loci, ſufficiens mihi præberent argumentum, toties repetita, nec unquam ſatis laudata Sanctoriana Experimenta.

Expenſis ſatis & exploratis tenſionis hujus atque mobilitatis indè deducendæ legibus, ſatis erit ſi ad alia properanti ſummatim liceat hujus effectus expendere. Hi verò vel per univerſum corpus diffunduntur, & ad omnes partes variè pertinent, pro vario gradu ſenſilitatis atque mobilitatis innato; vel partes tantùm aliquas afficiunt, intactis cæteris.

Senſilitatis effectus primarii ſunt, erethiſmus, dolor, dilaceratio, actionem funditùs evertens. Plura ſunt verò & variè multiplicia, quæ mobilitatem auctam ſequuntur ſymptomata.

Si mobilitas aucta, univerſa ſit, & undique æqualiter diffuſa; vel ea vehementiſſima eſt, & ſummum ad gradum evecta; vel magis moderata. Si in ſummâ ſpectetur vehementiâ, functiones ſæpè ſaltem pro temporis momento evertit, cum ſtricto undique vaſorum ſyſtemate, denegetur ſanguini & ſpiritibus, fluxus. Hinc in vehementiſſimis animi affectibus, homo mobilis obrigeſcit, & quaſi in ſtatuam vertitur. Sic videmus in magno metu rigorem, pallorem, ἀφωνίαν, motûs impotentiam, ſæpè convulſionibus ſolvendam, cujus exempla nobis præbent fœminæ, aliquando etiam ſubitâ morte præ terrore extinctæ. Paucis ab hinc diebus fœmina nobilis & honeſtis moribus prædita, dum cultu parùm modeſto in horto publico ſpatiatur, procacibus juvenum liberiorum dicteriis laceſſita, vehementem iram

concipit, quâ concidit exanimata & mortua. Hinc frequentia ſunt delicatulis illis, animi deliquia.

Aliquam hujus rei effigiem, quamvis moderatam magis, exhibent inſultus febrium intermittentium, rigore horroreque ſtipatarum, in rigore animo linqui, fœminis adeò familiare eſt. Hinc palpitationes cordis, oſcitationes, pandiculationes, labiorum, unguium pallor. Debilior adeſt erethiſmus idem in eo febrium tempore quo calent ægri; laxata ſunt omnia, ubi ſudor abundè profluit.

Adeſt autem ſæpè in tenſione univerſali, mobilibus præcipuè hominibus vacillatio quædam eò magis annotanda, quò propiùs ad Melancholiam pertinet. Cauſa adeſt univerſalis, quæ per ſe tenſionem inducere apta nata eſt. Nunc calor erumpere ſatagit, nunc excitatur quaſi alternis horror, ipſum alligans atque coercens. Mixtus exurgit corporis ſtatus, ex impotenti naturâ & vanis ejus nixibus ad ſuî liberationem tendentibus. Nec minus notari debet quòd ſæpè ſpaſmus ille univerſalis à peculiari ſpaſmo in unâ parte ſito pendeat; ſunt enim partes in corpore animali quæ alias in ſuî conſenſum trahant, in convulſivum ſtatum rapiant, & quaſi eorum motus regant; undè exorta eſt famoſa illa actio regiminis decantata olim Helmontio, & à recentioribus quibuſdam renovata.

Tenſio verò peculiaris, à mobilitate pendens, ſive ut breviùs loquamur, mobilitas in actum in parte ſingulari deducta, vel inflammatio eſt, vel ſpaſmus. De inflammatione hîc agendi locus non

eſt. Spaſmus verò vel variabilis eſt, vel conſtans; id eſt, vel motum alternum excitat in parte & convulſivos ſuccuſſus, vel ſpaſmum ſimplicem & erethiſmum.

Spaſmus conſtans ille eſt, qui cùm aliquam partem retrahit, ei ita inhæret, ut illam à ſtatu naturali in novum illum immutet, conſtanti nec variabili effectu. Talis eſt retorſio colli, quam vidi per plures annos perduraſſe ab inhærente in muſculo ſterno-maſtoïdeo retractione. Talis eſt pylori arctatio, quam per quindecim menſes integros vomitibus quotidianis ſubſiſtentem, ſubitâ lætitiâ ſolutam vidi. Talis eſt angina ſpaſmodica, quam ſex menſes integros perduraſſe vidi, cum ingenti deglutiendi difficultate, quam ſubitò ſanatam miratus ſum. Melancholicum ore diſtorto plures per menſes incedere obſervavi. Hic autem ſpaſmus nullas alias leges recipit, niſi quòd cauſæ ipſum producenti proportionalis, variè tamen immutatur pro corporis conditione præſenti, leviorque eſt cùm grata omnia obverſantur animo, aut ad alia mens diſtrahitur; contrà verò graviùs urget, cùm aut mens ei attendit, aut curis atque mœrore angitur.

Nec minùs notandum eſt circa hoc ſpaſmi genus, quòd quæ pars ſemel ipſo tentata fuit, ei rursùs obnoxia ſit, quia magnam undè nacta eſt ad motum facilitatem. Hinc quæ ſemel collo ob ſpaſmum diſtorto fuerat mulier, ſi quid ingrati accideret, rursùs eodem laborabat ſymptomate. Qui ſemel animi deliquium paſſus eſt ob nimium terrorem, iterùm, minimâ datâ occaſione, animo linquetur. Imò vidi fœminam quæ ita huic lypo-

thymiæ aſſueverat, ut pluries in die à ſpaſmo in plenariam corporis ſolutionem incideret, de quâ etiam contradicentes, minabatur.

Spaſmus verò in quo fibræ mobiles alternum concipiunt motum, vel à naturâ partis pendet per ſe tremere natâ, ut in antagoniſtarum muſculorum alternâ vibratione, vel à leviori causâ oritur; undè quædam fit quaſi inter ſpaſmum atque Naturæ vires colluctatio. Sic metus ingens ſtupidos reddit & attonitos, metus minor tremulos reddit, & ſæpè tremorem metu ipſo longiorem incutit. Narrat nunquam ſatìs laudandus Swietenus vidiſſe ſe fœminam quæ à tonitru attonita facta, mox tremorem totâ vitâ durabilem contraxerat. Ego verò etiam nunc video formoſiſſimam puellam quæ ab ebrio patre plagis affecta, indè non tremorem contraxit, ſed ſubſultus variorum muſculorum ita vehementes, ut facies ſæpè mutetur in turpiſſimam, ut è ſedili ſæpè ſubitò exſiliat, & ſine ſenſuum diſpendio humi procumbat, cujus tamén incœpta curatio felices ſpondet ſucceſſus. Quòd autem ſpaſmus variabilis levior ſit conſtanti, probat illa obſervatio, quâ deprehendere facile eſt tremorem ſæpè cum levamine rigori ſuccedere in vehementibus animi affectibus. Imò multi ſunt homines qui leviſſimâ de causâ tremant, ut novi cauſidicum facundiâ inſignem, qui de cauſis feliciter agendis idcircò deſperavit, quòd nunquam loqui coram Senatu poſſet, niſi omnia tremore concuteret.

Patet indè quàm facilè ſpaſmi redire poſſint cùm ſemel occupavêre corpus. Non enim ſolummodò partibus motum imprimunt, ſed etiam mo-

bilitatem conciliant. Cauſæ ſpaſmos invehenti addit ſe comitem imaginatio, quæ plerumque in ſpaſmo læditur, & antiqua refricat vulnera, mobilis illa per ſe, ſed vehementibus impreſſionibus mobilior reddita.

Spaſmi verò qui ſingularem partem afficiunt, à parte ad partem aliquandò revelluntur, ita ut parte aliâ ſpaſmum concipiente, alia eo liberetur. Undè cauteriorum, veſicantium, ſimiliumque remediorum uſus, ſæpè ſpaſmum ſuſtulit. Hinc ſpaſmi illi diſcurrentes ſub auræ frigidæ nomine. Hinc ſæpè compeſcendæ narium hæmorrhagiæ, ſubitus terror profuit: hinc ſæpè arthritis in partem ſpaſmo irritatam decumbens, reliquas deſerit partes.

An verò parte aliquâ ſpaſmo affectâ non adſit alia ei correſpondens, quæ laxetur, ita ut ſpaſmus unius ſit alterius atonia, nondum caſtâ ſinceràque experientiâ innotuit. Tamen fatendum eſt ita eſſe ordinatam humani corporis conditionem ut, notante Hippocrate (*a*), duabus æquè impreſſionibus affici non poſſit, ſed ubi aliquid aut fortiter agit corpus, aut vehementer animam concutit, in eo quaſi tota conſpirat vivi corporis fabrica. Hinc in iis qui ingenii laboribus impalleſcunt, aut profundæ meditationi immerguntur, vix aliqua ineſt corpori ſenſilitas. Hinc naſcitur in toto corpore torpor atque debilitas, dum ventriculus atque digeſtionis organa in concoquendo occupantur.

Nec verò ſpaſmi, dum partem aliquam occupant, ei ſoli ſtruunt inſidias, ſed ſæpè ad alias

(*a*) Aphor. Sect. V.

etiam & loco & functione diſſitas, tormenta deferunt. Illuſtre habemus in Hemicraniâ exemplum. Ita inter ſe conſentiunt ventriculus & caput, ut laborans ille & ſpaſmo conſtrictus immanes in capite cruciatus excitet, & pariter caput ictu afflictum, vomitus immanes cieat. Nec deeſt ipſi veſiculæ felleæ cum capite conſenſus, cùm ante alia bilis viridescens in capitis concuſſibus exiliat. In inteſtinorum affectu crambe fit, quæ ſæpè repetita in cholerâ morbo, hujus ſymptoma facit & abditam ibi concordiam indicat. Cur vomitus fit in nephriticis? Cur orificio ventriculi ſuperiori dolente, nullus quidem dolor exoritur, ſed cordis tremor & palpitatio? Cur oculis vivido ſolis jubare præſtrictis ſternutatio? Et millena alia quæ Συμπαθείας nomine cognita, utinam poſſint in certum atque definitum ordinem diſponi?

Spaſmum excipit atonia, ſive, ut dilucidiùs loquamur, nulla eſt pars quæ ubi ſpaſmum experta eſt, ad Naturæ tonum redeat, ſed tenſioni proportionalis ſequitur relaxatio. Hinc ſi decem gradibus tenſa fuit per ſpaſmum fibra, decem iterum gradibus à ſtatu nativo diſtat per relaxationem. Scilicèt nativo tono per totidem gradus vis illata eſt. Diſtractio partes unientes à ſe invicem ſemovit. Hæ antequam amiſſum tonum recuperent, diſtractæ atque languidæ jacent: undè præceptum illud pro univerſali poni poteſt: Quò violentior atque fortior ſpaſmus fuit, eò majori excipitur relaxatione. Hinc adeò ſæpè ſpaſmi reſolutio fit per animi deliquium. Vidi ego mulierem delicatulam, quæ per tres aut quatuor horas

integras ſpaſmis ita afficeretur, ut nunc marmoris inſtar obrigeſceret, nunc quaſi furiis agitata ita convelleretur, ut vix hominum fortiſſimorum obnixis viribus contineri poſſet, nunquam è paroxyſmo exire, quin totis artubus relaxata mortuæ ad inſtar concideret; undè rursùs vel potentiſſimis cardiacis oporteret excitari. Hinc quæ ſpaſmis illis aſſiduè exagitantur, ita debilitatas habent fibras, ut nulli vacare poſſint functioni, aut communia vitæ munia obire. Minimo ſuccumbunt muſculi oneri, mens pariter vel minimæ meditationis incapax, nihil conſtans, nihil ordinatum, aut regulare exercere poteſt; *ſed magnus ſine viribus ignis, incaſsùm furit.*

Quî fit verò ut in tantâ atoniâ ſuperſit tamen, imò augeatur priſtina vibratilitas, ita ut aſſueta vibrationi convulſivæ fibra, minimâ de causâ convellatur? Multæ hîc concurrunt ad eundem mechaniſmum cauſæ. Primò quidem fugax eſt & brevì reſtituta illa relaxatio. Secundò verò fibra indè debilior facta, de craſſitie perdit, ſeu unione & attractione partium firmitatem fibræ faciente. Tertiò impreſſa in ſenſorio communi memoria, ſensûs aut motûs, (nam memoriam ad utrumque ſenſationis effectum extendi ab allatis exemplis facile eſt deducere), novum ſtimulum & quaſi vivacitatem novam, cauſæ agenti, impertit. Quartò verò ea lex poſita eſt in corpore phyſico, quæ in morali à Phyſicis deducta eſt, ut aſſuefactio ſit alterum Naturæ genus: nec difficile erit ex datis intelligere dogmata illa Hippocratica. Quare delirium aliquando, oppreſſo compreſſoque cerebro, ſpaſmum ſolvat? Cur ſpaſmo ad-

verſetur, ipſumque ſanet febris? Quæ conſtantem & uniformem tonum fibris inducendo, irregulares & inordinatas fibrarum contractiones in ordinem redigit, & univerſalem ſpaſmum fibrarum ſyſtemati inducens, ſimulque æqualem liquidis circuitum impertiens, peculiares contractiones tollere debet.

# CAPUT II.

## *De Melancholiæ ſpaſmodicæ naturâ & exiſtentiâ.*

Spasmus melancholicus, ſeu Melancholia ſpaſmodica, morbus eſt in quo mens ægri debilitatur, afficitur corpus ſpaſmis, ſine ullâ aliâ labe quæ à cognito mechanicæ animalis vitio pendeat.

Hinc morbus ille inter ſimpliciſſimos locum obtinet, & inter primaria, fibræ organico & automatico motu donatæ, vitia recenſendus eſt. Nec mirum haberi debet ſi à ſimplici illâ causâ ingens effectum varietas exoriatur, cùm fibræ ſenſiles & organicæ elementa ſint tam diverſarum, tum formâ, tum uſu partium.

Hujus nunc exiſtentia, effectus, cauſæ, ſigna, tum ad prognoſim, tum ad diagnoſim ſpectantia, labori noſtro materiem præbent; undè poſſit deduci tum adversùs minaces ejus inſultus præcautio, tum etiam præſentis atque ipſam rationis arcem impetentis, explanatio.

Prima quidem ſeſe offert quæſtio: An exiſtat reverâ morbus ille qui ſibi peculiares à cognitis prorsùs diverſas, imò aliquandò mechanicis repugnantes leges vindicet? Quæ porrò quæſtio ipsâ ejus ideâ diſtinctâ ſemel poſitâ, ſpontè quaſi reſolvitur.

Sedem morbi in ſenſu atque motu vitiato conſtituti, in ſensûs atque motûs organis poſitum

eſſe, planum eſt. Ea ergò quærenda eſt, in nervis & partibus eorum proprietatem, ſive ab ortu, ſive ab expanſione ſtructuræ, ſortitis. Hi verò licèt non in omnem machinam æquale dominium obtineant, afflatum tamen animalem univerſo corpori tribuunt, per illius ambitum ita diffuſi ut videatur vix pars ulla iis caruiſſe.

Porrò quodcumque organum, actionem aliquam pro variè ingruente cauſarum externarum impetu, variabilem exercere poteſt, mutationis atque alterationis capax dici poteſt. Hinc ſi mutatio illa aliquid adipiſcatur pervicaciæ, cùm extra Naturæ ordinem poſita ſit, in ægritudinem delabitur; ſive ultrà, ſive citrà præſcriptos à Naturâ limites feratur. Quod nerveæ parti aliquandò accidere poſſe probat obſervatio nunquam refellenda.

Hæc igitur, quam ſolam ducem atque autorem agnoſcimus, probat triplex vitiorum genus parti ſentienti competere. Primum erit, in quo partis vitalis actuoſitas, vis, impetus intenditur; alterum, in quo contrà fatiſcit atque elangueſcit vis vitalis, ita ut inertior hebetiorque fiat ſenſus atque motus; tertium denique, nec minùs malis fœcundum, erit quo ſublatâ fibrarum concordi harmoniâ, jam pervertitur omninò nativus ſenſuum atque motuum ab iis reflexorum ordo. Undè fit ut aut idearum, aut functionum indè enaſcentium ſeries, funditùs evertatur.

Intendi impetum illum, Hippocrati ſic dictum (ἐνορμῶν) probant phœnomena, nulli mechanicæ actioni adſcribenda. Hîc adeſt cauſa ſenſum imprimens; ſed nulla cauſæ cum ſenſu indè pro-

ducto proportio. Levis doloris cauſa, immanem cruciatum infligit. Vel minima terroris cauſa, formidine atque metu glaciali mentes implet. Uno verbo, querelæ non cauſis, ſed effectibus reſponſant. Quæ omnia ut exquiſitiſſimum ſensûs acumen arguunt, ſic ſpaſmis anſam præbent.

Hæc ergo in vibratilitate intenſio, ſi in habitum converſa ſit, Melancholiæ ſpaſmodicæ genus unum conſtituet.

Vertitur verò in habitum. Id ex Prolegomenis noſtris ſatìs probatum confidimus. Hoc arguit muliercularum temperies adeò mobilis, ut vel minimus eas convellat ſtrepitus. Idem in infantium tenellorum habitu convulſivo invenimus. Sæpè pavor ſubitus, inexpectatus fragor eum induxit. A morbo inductum vidi in viro qui poſtquàm à ſæviſſimâ nephritide evaſerat, ſpaſmi habitum à dolore ita contraxit, ut à minimo motu tremulus imò & formidoloſus in ſpaſmos ſolvatur.

Imminutio ſensûs atque motûs ad torporem invitat; avocat ergo à ſpaſmis. In eâ inertiâ aliquem rimari Melancholiæ fontem, inutile eſt. Quam enim ſpaſmo excitando ſymbolum contuliſſe videtur vita otioſa, non inducto torpore id efficit, ſed dum nutritioni obſtans, gracilitatem fibrarum ſervat, & dum tenſionem auget atque mobilitatem, quia vel minimo inſolito motu nervi percellendi ſunt, oſcillationibus non aſſueti.

Perverti verò, ſeu potiùs interverti poſſe regularem ſenſationum ordinem, non minùs attendenti perſpicuum erit. In hoc vitio, ut jam dixi-

mus, homotonia penitùs deſtructa eſt. Jam non ex ordine Naturæ ſibi invicem reſponſant ſenſationes, aut motum concipiunt, quem ſibi Natura innatum agnoſcat. Plura hujus exempla præbent homines, quos ſæpè vel in publicum prodire videmus, motibus muſculorum faciei inconditis deformes. Spectra illa, chimæræ, quos errabunda imaginatio ſibi in deliriis melancholicis fingit, ex collectâ idearum farragine naſcuntur, ita ut nec pes, nec caput, formæ uni reddatur. Nec ſolùm dum ſenſum abſurdum & aliis inauditum mens experitur, abnormes motus producit. Ipſum etiam motûs principium aliquandò patitur. Hinc vomitus illi inanes, ſingultus vacui qui hypochondriacis accidunt. Sed de his aliàs plura. Satìs ſit ſi in ipſo limine comprobaverimus, quòd hæc nervei principii perverſio in rerum naturâ ita evidenter exiſtat, ut ex ægritudinum humanarum numero expungi non poſſit.

Nec magis confundenda eſt affectio melancholica, quæ à perverſione ſenſuum atque motuum pendet, cum eâ quæ eorum tantummodò intenſionem ſupponit. In hac omnia ſecundùm Naturæ leges peraguntur. Gradu ſolo differunt effectus. In illâ abnormes ſunt & inconditi ſenſus atque motus, nec ullatenùs ad Naturæ ordinem referendi. Si quis ad minimum irritantis atomi attactum totus commoveatur, intenſa eſt & dici debet actio. Si ſine hâc causâ idem effectus oriatur, perverſus eſt motus. Fatendum tamen eſt quòd ſæpè altera alteram pariat, & ab intenſione actionis nervorum, eorum oriatur perverſio.

Et certè ex ipsâ Naturæ, lege quò motus inten-

ſior eſt, eò faciliùs pervertitur, quòd eò plus pateat cauſarum inſilientium impetui.

Tres ergo habemus ex ipsâ nerveæ actionis ideâ, Melancholiæ ſpaſmodicæ ſpecies, alteram in auctâ nervorum actuoſitate repoſitam, alteram in eorumdem motuum perverſione; tertiam demùm ex utrâque compoſitam atque complicatam, in quâ tum actio intenſior eſt, tum mutata nervorum ad objecta externa relatio. Quæ quidem ultima, ut ex poſteà dicendis patebit, utut inſignem in nervis mutationem ſupponat, tamen cæteris frequentior eſt.

Verùm à modò delineatâ læſionum harumce hiſtoriâ patet, nobis eſſe cum nervis agendum. Imò omnes nervorum morbi, ſi eos exceperis qui à torpore pendent, ad Melancholiam referendi ſunt. Nervi enim, ſaltem ſi universìm ſumantur, pati non poſſunt, quin mentis jubar aliquatenùs obſcuretur, miniſtri enim hujus ſunt, juſſa ſimul & deferre & exequi prompti.

Quibus igitur pertractandis morbis, antequàm curam impendamus, &eos reverâ diſcrepare, & in quo differant ab humorum morbis, licebit paucis exequi.

Diſſimiles verò eſſe à morbis humorum morbos illius partis (impetum facientis) evincere facile erit, ſi attendamus ad ſingulas quibus ab humoralibus morbis differunt diſcrepantiarum capita.

Primò quidem multùm abludunt ratione cauſæ, etenim ferè omnes quæ morbum hunc noſtrum incendunt cauſæ, vix aliquod in humores imperium exercere poſſunt. Ecquis enim adeò muta-

tionum mechanicarum ſtudioſus eſſe poteſt, ut alterari omninò atque inverti credat humorum compagem ab irâ quæ à ſubito hoſtis odioſi viſu, convulſionibus totum corpus rapit; quâ ratione agit in humores metus, functiones omnes ſubitò ſubvertens & ſpaſmis machinam convellens. Quid igneus ille amoris furor, dum impotentes non homines ſolùm, ſed omnium animalium impetus ita excitat, ut in furias rapiantur, & nec jam fræna aut verbera horreſcant? Odor Narciſſi tuberoſi mulierculas exanimat nullâ aut in pulſu, aut in functionibus mutatione inductâ.

Secundò verò differunt etiam ratione ſymptomatum, cauſæ enim ſpaſmodicos morbos invehentes, uno oculi ictu, aut ocyùs adhuc, fulguri ſimiles, totum corpus convellunt, ut organi muſici impulſus, ſonum totum ſubitò edit. Quod quidem cauſæ in humores agenti nullatenùs competere poteſt; quæ ſenſim inſinuata, totum corpus pererrare debet, donec eò devenerit ubi ſuos effectus exercere poteſt, quod in variolarum inſitione demonſtratur. Mulierem novi, quam vel minimus ſtrepitus inaſſuetam feriens, illicò in ſpaſmos violentiſſimos conjicit. Quid hîc cum humoribus commune, cùm vel ipſa incipiens, à tanto tumultu non turbetur concoctio.

Tertiò verò effectus utriuſque generis morborum pariter abludunt, in eo quòd in hac, de quâ agimus, Melancholiæ ſpecie, modo abſit cauſa convellens, functiones omnes cæteroquin ritè & ex ordine Naturæ peragantur. Abſoluto tanto omnibus in artubus tumultu, tantâque confuſione, ut ſæpè nec vultus, nec forma aut mentis aut

corporis eadem remanſerit, ut omnia ſusdeque acta fuerint, corpus abſolutè ſanum relinquitur, nec ulla priſtinæ labis veſtigia remanent, præter defatigationem. Imò vidi, quæ poſt tres horas in tali ſpaſmo peractas, choreas iterarent, aut vultu læto ſeſe feſtivis accingerent colloquiis. Quod quidem ita huic noſtro morbo proprium eſt, ut in nullo alio poſſit pariter reperiri.

Præterea verò cùm conſtans ſit & uniformis humorum circuitus, conſtantes & uniformes læſiones producit. Contra hìc regula nulla, nullum quo poſſit ponderari morbi periodus, momentum. Sed quaſi uno oculi ictu erumpit, uno pariter temporis puncto mitigandum.

Quid ſi autoritas rationi jungenda ſit, ita de hujus morbi naturâ cenſuêre præclari in arte Viri. Veteres ſcilicèt minùs diſtinctè, ſed mille locis Hippocrates, dum τὸ ἐνορμοῦν, τὸ συμφώνον διαφώνον (*a*), ὁδὸν ἀνα κατω μίην (*b*) deſcribit; dum ventrem ſentire ait quod eſuriat (*c*); dum partes varias ſeſe attrahere, ſibi mutuò conſentire arguit. Sed & à mente corpus ipſum, ſine ullius intermedii miniſterio, gubernari diſtinctè pronuntiatum ab illo habemus (*d*). Exteriora etiam in ſolidas partes actione aliquâ donari paſſim ubi de frigoris aut caloris activitate agit, pro fixo ſtatoque poſuit (*e*). Sic ubi ait aquæ actionem eam eſſe ut emolliat, ejus in ſolida poſitam eſſe actionem ſatis dat intelligendum. Hinc etiam ſæpè flatus ſeu ſpiritus, ut cauſam morborum habet (*f*), in

(*a*) Lib. de partibus. = (*b*) L. de alimento. = (*c*) L. de diœtâ. = (*d*) L. de inſomniis. = (*e*) L. de humidorum uſu. = (*f*) Lib. de flatibus.

quo

quo cauſarum morbificarum genere recenſendo obſequioſum habuit Aretæum ; hi flatus atque ſpiritus, dum à cognitis, quibus materies regitur, legibus recedunt, in morbos nervorum recidunt. Sed univerſa Methodicorum ſecta hiſce morbis lucem puriorem attulit, ut ex Cælii Aureliani morborum noſtrorum deſcriptione, eruere eſt, & ipſe quanquam Methodicis & Methodicorum Heroïbus Theſſalo atque Themiſoni infenſus Galenus, dum morbos ab intemperie ſine materiâ pendentes recenſet, noſtræ ſuffragatur ſententiæ.

Verùm cùm hîc nullatenùs animus ſit opinionum humanarum hiſtoriam exſcribere, nihil omninò dicemus de autoritate quam Fernelius Libro *de abditis rerum cauſis* opinioni noſtræ addit ; nihil de Sennerto mutuabimur, aut ſi Recentioribus major videtur fides adhibenda, non magis Boyleo, de motibus languorem aut conſonantiam in animali corpore excitantibus exempla congerenti immorabimur ; quanquàm & à Bacone multa exceperit, & plurima ipſe experimentis probaverit. Sed nec ipſum, nec Stahlium aut Hoffmannum, aut noſtro nimis illaudatum Lycæo Hecquetum, caſtiſſimo Naturæ obſervatori Sydenhamo conferemus. Qui ante alios, Naturæ ægrotantis contemplatione fretus, dum de morbis hyſtericis atque hypochondriacis agit, hos è morborum à materiâ pendentium numero eximit, eoſque pendere ducit à motu, in confinio entis immaterialis poſito, quo morbi illi nullis legibus mechanicis regantur ; ſolâ obſervatione noſcendi atque enumerandi potiùs, quàm certo mechaniſmo explanandi.

Qui quidem viro ſimplici & meræ obſervationis eximio cultori ferè incognitus mechaniſmus, à Stahlio, Baglivio, Hoffmanno, fibris meliùs adſcriptus eſt, quatenùs ſenſilitate atque vibratilitate donantur, novamque à Boerhaavio, Meadio, Hecqueto, ſed præcipuè ab illuſtribus diſcipulis Boerhaavii Kawio, Hallero, Swietenio, Senaço noſtro, Raullino, lucem adeptus eſt, à quorum jubare, mihi hodiè circà morborum horumce obſcuras hucuſque diagnoſim atque curationem, lumen afferre conanti, fax accendenda eſt. Nec te laudibus inornatum præteribo, præſtantiſſime Sauvagæe, qui nuper dum morbos in claſſes redigis, ita de proprietatibus fibrarum mechanicis tractaſti, ut deſperandum ferè ſit aliquid novi poſſe adjungi.

# CAPUT III.

## *Melancholiæ ſpaſmodicæ Deſcriptio.*

Unum eſt Melancholiæ ſpaſmodicæ genus, ſed ſpecies non una. Hæ diverſis diſtinguuntur effectibus atque ſymptomatibus. Non una eſt igitur & ſimplex ejus deſcriptio. Sua eſt deſcriptio illi quæ tantummodò ab intensâ fibrarum ſenſui atque motui dicatarum, activitate pendet. Phœnomena ſingularia ſunt illi quæ à perverſo organorum illorum impetu, & peſſumdatâ illorum concordiâ trahit originem. Utriuſque cauſæ complexus atque concurſus, novum deſcribenti argumentum præbet.

Hinc in iis qui melancholici ſpaſmodici & dicuntur & ſunt, ſpecies ſedulò diſtinguenda. Quæ ut meliùs dignoſcatur, hiſtoria morbi ab ipſis latentis adhuc & tacitè proſerpentis exordiis ad morbi progreſſum deducenda; ibi quibus ſeſe prodat inſignibus perpendendum ſedulò; ad uſque terminum & finem quo poſt miſerrimas anguſtias, crudelis ſcena abſolvitur.

Simplicior eſt ac primæva, aliiſque omnibus ex ipsâ ſuæ cauſæ ſimplicitate præludens, quæ à nervorum actione tantummodò intensâ pendet; ab eâ igitur principium faciendum, ipſa rei natura edocet.

Hanc imminentem agnoſces à corpore prædiſpoſito. Proſcenium occupant textura corporis

debilis atque gracilior, fibræ tenellæ, tenues; adeòque parvum ſpatium occupantes. Oſſa tenuia, muſculi exiles, cutis alba candore ruborem vividum honeſtante; ſed variabilis rubor, candor fixus, temperiem tenuem arguit. Tum adeſt mobilitas ad externa quævis, hinc indè incurrentia, impotentia ad labores brevi defatigatione deſerendos. Pavor ad leviſſima pericula. Inconſtantia, vivida imaginandi vis, ſed labilis & fluxa. Uno verbo, ſenſilitas nimia, quâ vel minima incommoda in malum ingens vertuntur. Hæc quidem omnia per ſe Melancholica dici non poſſunt, ſed prono curſu ad Melancholiam devehunt. Deeſt cauſa, ſed citò non deerit, in corpore aditus faciles adeò ſufficiente.

Adſint enim ex parte mentis angor, mœror, metus, labor aſſiduus & viribus major; adſit lætitia ſuî impotens, & moderatum animi tenorem ſubvertens; adſit nimis protracta meditatio, totam & univerſam mentem ſibi vindicans, implens, & aliis facultatibus reddens imparem. Hæc omnia in fibras ſenſui deſtinatas quaſi reflexa, earum vibratilitatem augebunt, ſenſum acuent ad morboſum uſque gradum.

Nec minoris in eumdem effectum momenti erunt, quæ corpus primariò afficiunt, & in internos ſenſus agunt ſecundariò. Phlogoſis, acre mordicans, venenum, immodica exercitatio, frigus acutum, omnes denique cauſæ quæ irritationem, tenſionem, ſiccitatem, ariditatem qualemcumque fibris inducere aptæ natæ ſunt.

Ubi igitur non unico ictu, ſed repetitis inſultibus & conſtanti actione fibras vellicando, cauſæ

illæ aut corpus, aut motuum directricem animam ita affixêre, ut iis conſtanter afficiatur illa, tonum augent fibrarum; nihil tum mediocre patiuntur illæ, naſcitur vibrationis habitus ad terrentia objecta præcipuè ſeſe dirigens, verèque Melancholicus.

At multò obſcurior eſt eorum quæ alteri Melancholiæ ſpeciei reddunt obnoxios contemplatio. In eâ, de quâ mox loquebamur, Natura auctam & intenſam tantummodò exercet actionem. Nihil eſt perverſi præter ipſum actionis augmentum. Hinc quæ eam præſagit & inducit, Naturæ concors & conſonans eſt temperies. Degener it illa in morbum. Eſſentia poſterioris hujus Melancholiæ, vitium eſt. Mutatum eſt æquabile Naturæ libramen. Adeſt actionum diſcordia, Naturæ aliena, ab ejus ordine repugnans. Habetur ergo morbus, infelicitate conditionis humanæ contractus, non ex ipſo Naturæ penu depromptus. Hinc cauſæ quæ ipſi præludunt, quæque ipſum prænuntiant ſemper ex adverſis principiis, complexæ atque intricatæ combinantur. Tales ſunt:

1°. Tenſionis ſeu vibratilitatis habitus, qui utut Melancholiam ſimplicem, de quâ mox agebatur, per ſe inferat; tamen hanc noſtram, ſeu perverſionem ſenſûs atque motûs inducit, ſi ad inæqualem efficaciam à causâ plus minùſve in hanc illamve nerveam partem agente, determinetur.

2°. Habitus inertiæ, ſi non univerſalis ſit ille, ſed lateat in parte aliquâ diſpoſitio ad vibratilitatem, ſeu, ut dilucidiùs loquar, partis alicujus debilitas. Habitus inertiæ, undequâque in corpore diffuſus æqualiter, nil niſi torporem atque

hebetudinem cauſari poteſt, hinc nil habet cum Melancholiâ commune. Sed ſi in aliquâ tantùm parte hæreat, diſcordes neceſſariò tonos in univerſo nervorum ſyſtemate producet, illis vibrationem accipientibus, his contrà moveri atque ſentire recuſantibus. Exemplum præbet familiare atoniæ cum ſpaſmodicâ diſpoſitione conjunctæ, puellarum cachexia, in quâ omnia languore & atono marcore diffluentia, convulſionibus atque dolorificâ nervorum tenſione excitantur. Atonia ſæpè dolores vagos rheumaticos comitatur, ſpaſmis interrumpenda. Fatuitas, imbecillitas mentis iners ad omnes actiones, furias ignemque aliquandò concipit. Imò & paralyſis ſæpè, ſic docente Hippocrate, in ſpaſmos ſolvitur, ut etiam familiare eſt & experientiâ cognitum, ſpaſmos in paralyſim abire.

3°. Huic etiam morbo præbet aditum habitus otii, in quo dum feriantur fibræ ad actionem impares evadunt, adeòque dum à quiete dimoventur, inſolito ſenſu percelluntur, & ſi non in omnes æquè impetus fiat, neceſſe eſt perculſas à nativo tono diſſentire, adeòque eò vehementiùs vibrare, quò fortiùs percutiuntur & quò minùs ſenſui aſſuevere. Id mulierculis accidit otioſam vitam degentibus, & aliundè gracilitate fibrarum donatis. Hæc quidem ipſius principia dicenda ſunt. At imminentem & jam ferale malum præ foribus ſtare, prævidebis, ſi, corpore hac conditione conſtituto, victûs inſtitutio mutata fuerit, ſine ullâ graduum obſervatione, ſed quaſi impetu facto, ab alio exceſſu in alium. Affectus etiam animi violentiſſimi ſeſe mutuò excipientes,

ſine ullo decreſcendi gradu, qui dum hominem, nunc huc, nunc illuc verſant, fibras quaſi diſcerpunt, & remotis gradibus per quæ Natura incedere amat, tenerum corpus, per extrema quæque nunc tenſionis, nunc atoniæ rapiunt, malum hoc quaſi ex rei neceſſitate invehunt. His addere etiam poſſis labores animi immodicos, exceptos inerti otio, divitias, inopiâ aut mediocritate invitâ atque violentâ mutatas, aut ipſa, quod non rarò vidi, aurea & dulci labore parta mediocritas, infœlici ſucceſſu & inviſo numine, in nec opinas & ſuperfluas opes, converſa.

Tum ad hanc Melancholiam producendam præcipuè concurrunt affectus illi animi qui in partes diverſas mentem agunt, eamque ex Naturæ ordine convellunt. Sic eſt illa inexpleta Veneris tentigo, quæ dum mentem libidine corrumpit, partes corporis huic turpiſſimo numini dicatas, tenſione afficit, ab illis ad imas uſque medullas ignem & furias inſinuat, ſi præſertim cupido immoderata non habet undè ardorem extinguat, & in quo ſopita conquieſcat: uno verbo, quidquid partem aliquam, aliis intactis fatigat, noſtræ Melancholiæ facilem ingreſſum præbet. Ita ſpaſmus inteſtinalis à qualibet causâ ſæpè repetitus, dolor quivis in hepatis, lienis membranis, aut capitis ſæpè recurrens, melancholicos homines, imò & ſpaſmodicos facit; ſed illa fuſiùs, infrà ubi de Cauſis Morbi agetur, enodanda erunt.

At morbo jam conſtituto, & progreſſus ſuſcipiente malo, multa utraque Melancholiæ ſpecies habet communia, ſingularia multa, quibus à ſe invicem diſtinguantur.

Si mentem & ſenſus internos mentis miniſtros, primo ſubjicias examini, communia ſunt hæc utrique.

Mens in utrâque quaſi debilitata & erroris obnubilata velo, pondus æquum rebus externis imponere jam non valet. Omnia tuta noſtri Melancholici timent, facilè deſpondent animo, pleraque quæ ad ipſos obvertuntur, atro imaginationis colore obvolvunt. Sed iis præſertim immorantur, quæ ad ſe ſuaque pertinent, & præcipuè quæ ad morbum referuntur. His ita miſerè attendunt, ut vel minima ſeduliùs ſcrutentur, & narratione alios defatigent, in hoc uno immodicè loquaces, circà cætera Pythagoricè taciturni. Nec ſolùm enarraſſe fuerit, niſi de eo metaphoricè & quaſi poëticè loquantur. Iidem illatas ſibi injurias acriter ſentiunt, concipiunt fortiter & alto ſervant ſub pectore, nec vindictæ immemores, quod ſemel animo arripuêre, tenent arctè, & per omnes partes verſant anxiè. Generatim immodici ſunt, & ſive ſeſe lætitiæ tradant, toti in illam labuntur, & lætantur, ut ita dicam, convulſivè. Pariter in mœrorem immerguntur, & levi de causâ lacrymis obortis ſinum implent, imò & aliquandò non conſentiente, & repugnante voluntate, aut contrà nitente ratione.

Verùm in priori ſeu ſimpliciori Melancholiâ, quæ intenſum tantummodò nervorum tonum pro causâ agnoſcit, cauſa levis gravem effectum gignit; ita ut ſola ſublata ſit inter corpus agens atque mentis ſenſum, aut automaticum motum proportio; ſed nihil falſi ſeſe offert. Adeſt, verbi gratiâ, timor immodicus, ſed non abeſt cauſa

timoris, utut levis & vix ab alio præter Melancholicum animadvertenda. Nullus ſit ſenſus immodicus ſine causâ mediocri. His imaginatio verax, ſed vividior. Judicium cohærens, ſed præceps Hinc ira vehemens & in furorem promptè acta, ſed facilè deferveſcens. Uno verbo, Natura ſui juris eſt, ſed intenſa, actuoſa præter modum.

In alterâ deeſt ſæpè corporis externi agentis actio, ſed illam ſibi mens effinxit, motumque ac ſenſum recipit, ab interno penu depromptum. Hinc judicia falſa. Hinc chimæræ, omni prorsùs fundamine deſtitutæ. Hinc ſenſus abnormes, abſurdi, inauditi. Hinc ratiocinia, nullo pacto, aut ſibi aut objectis externis cohærentia. Qui excitantur animi affectus nullis cauſis deduci ſe patiantur. Ad hanc pertinet delirium melancholicum, quanquam ſæpiùs adſit in humorali.

Conſiſtit delirium illud in eo quòd ut ſeſe exteriùs produnt, ſani, circà aliquid amatum aut odioſum, jure an injuriâ perinde eſt, ita obſtinatè de ratione dejiciantur, ut nihil ipſis ideam cui adhærent, avellere queat. A Maniacis differunt Melancholici, quòd hi nunquam circà objecta niſi quæ ipſos aliquo animi affectu tangunt, delirent, Maniaci ſæpè nullatenùs ratione circà vel minimum objectum fruantur. Melancholicus nemo eſt qui non aliquid exoptet, amet, concupiſcat, aut fugiat, atque devitet aut exhorreſcat; undè attendenti ſatis patet, quàm parvo intervallo hi morbi à ſe invicem ſeparentur.

Pronum eſt ex his concludere, quòd ſi utraque ex hiſce mentis vitiis concurrant, compli-

cata ex utroque genere cauſarum dicenda erit Melancholia.

Sed à mente ad corpus in perpendendis tum communibus, tum ſingularibus ſymptomatibus Melancholiæ nerveæ, ordo nos devehit. In quâ quidem inquiſitione, admiſſus in Scholis ordo, functionum læſarum, excretionum vitiatarum, qualitatum infectarum nos diriget, ut ſimplicior & ex ipsâ naturâ repetitus.

Commune eſt utrique Melancholiæ, ut qui excitantur in corpore motus, aſſilientium cauſarum impetui non reſponſent, ſed aut majores ſint quàm res poſtulet in priori, aut abnormes in poſteriori. Hinc mirabitur quicumque præſens fuerit, quàm validè moveantur ad minimum inſultum. Cor in priori ad minimum pavoris inſultum tremit, palpitat; palpitat etiam ventriculo languente; in poſteriori etiam ſine causâ motus ejus peſſumdatur. Priori Melancholiæ maximè obnoxiæ mulieres ſciunt quàm facilè earum corculum trepidatione vacillet, & thorax præ minimo animi affectu, inſtar follis alternis agatur; undè etiam & aliqua leporis atque debilitatis exurgit affectatio. Eas nimia lux præſtringens oculos, ſummo dolore afficit, ſonus vehemens ut bombardarum exploſio, convulſionibus agitat, imò eò aliquæ debilitatis pervenêre, ut vel minimus ſtrepitus exanimet; quod eò uſque progreſſum vidi, ut una è miſerrimis, vix paſſus fortiores exaudire poſſet ſine præſenti animi deliquio. Hæc quidem ad utrumque genus pertinent. Sed ſi in parte affectâ motus quidem enormes

concitentur, ſed ad eos referendi qui leviores apparent in ſtatu naturali, ad priorem pertinent. Ad poſteriorem referuntur ii quibus nullus eſt cum exterioribus objectis nexus aut ſaltem diſproportio abnormis.

Quidam ſunt enim in ſtatu vel naturali motus, qui quidem nullam per ſe obtinere videntur connexionem, at ſunt ex ordine Naturæ. Hi etiam ſimplicioris Melancholiæ poſſunt eſſe effectus. Sic ſtridor ſerræ metallo applicatæ, dentes omnium ferè hominum hebetat & obtundit, ſi ſonus ille eſt ut in aliquibus videre eſt, eò uſque iis ingratum ſenſum imprimat ut è gingivis ſanguis exiliat, prioris eſt Melancholiæ fœtus, plerumque cum mentis ægritudine conjunctus. Vidi quos concentûs Muſici diſcordia quaſi exanimaret, reficeret harmonia concors; hos nullatenùs perverſo, ſed æquabiliter intenſo fibrarum tono laborare credideris. Sic etiam qui ſæpè ſequuntur timidi animi varios affectus, ſpaſmus inteſtinalis, vocis interceptio, pallor oris, diaphragmatis retractio, tremor artuum, virium collapſus, non magis ad perverſum fibrarum tonum referenda ſunt, quàm ventriculi nauſea, imò & vomitus, exaudito aliquo ſermone illepido, faſtidioſo & nauſeam procreante; qui effectus, ut in hominibus minimè melancholicis occurrunt de cauſis fortibus, ita frequentiſſimè & leviſſimâ de causâ in iis qui Melancholiâ nerveâ laborant. Suffocationes verò, ſtrangulatus, & mentitæ paralyſes quæ ſubitò ſolvuntur, ut protinùs invaſere, oris diſtorſiones, aurium arrectiones, ſternutamenta, flatus, bor-

borygmi, volvuli, huc & illuc per totum inteſtinorum tractum ſummâ celeritate rapti, Hypochondriorum tum intrà, tum extra retractiones, dolor quaſi vulturis adunco roſtro mordentis ad ſcrobiculum cordis & diaphragma; ventriculi inflationes, tympanitides falſæ, renum diſcerptus, teſticuli retractiones in viris, uteri pruritus, dolores, anxietates, cruciatus, & indè orta animi deliquia, aut artuum ſpaſmi, aut ipſamet deliramenta libidinis atque furiarum plena, obſcœnis comitata, nunc cantilenis, nunc ejulatibus; omnia hæc, inquam, & vehementiora & horroris pleniora, quàm quæ enarrando poſſim referre, ſi cauſa in varias haſce partes, aut directè aut ex cognito Naturæ conſenſu in conſentientes agat, priori Melancholiæ generi adſcribi poſſunt; ſed ſi directa non ſit in illas cauſæ irritantis actio, ad poſterioris Melancholiæ ſymptomata, amandari & ablegari debent.

Quæ verò in excretionibus annotantur ſymptomata, eâdem lege regi debent ut ad ſuam revocentur cauſam. Commune eſt utrique generi, ut tubuli renum conſtringantur ſimul, & plorent tenuiſſimum laticem, aquæ inſtar puriſſimæ & nitidiſſimæ, quæ ſæpè Sydenhamo autore latentis mali fecit diagnoſim. Ad poſteriorem verò meliùs referuntur diarrheæ atque dyſenteriæ variæ ſpecies, ſi nerveæ ſint, nec ullo alio tabo infectæ: deinde frequentiſſima imò & quaſi perpetua aëris tum infrà tum ſuprà eruptio, quæ ſæpè ita indeſinenter miſeros vexat, ut choleræ ſiccæ nomen merita ſit. Lacrymæ injuſſæ, involuntariæ, acerbo quidem ſenſu & triſtibus ideis ſtipatæ, ſed

ſæpè etiam invitâ atque repugnante mente eſſuſæ, ad peſſumdatum etiam nervorum tonum referuntur, ſi ideas triſtes præcedant, non ſequantur; tum & effuſio ſeminis injuſſa & animâ reluctante ſine ullo concupiti objecti intuitu, ut & obſcœni liquores qui è mulierum genitalibus per ſpaſmum effluunt, ſi nulla adſit cauſa quæ in uterum ipſum agat, eamdem theoriam recipiunt.

Idem judicium eſto de torvo aut territo oculorum aſpectu, atque vacillante & errabundo huc illuc illorum nictu, qui poſteriori Melancholiæ ſpeciei proprius eſt. Colores inſolitos aſpicere, vertigine rapta objecta, aut ſuſdèque converſa intueri, nunc quaſi ad cœlum terrena rapi, nunc quaſi deorsùm præcipitia ferri, ejuſdem eſt Melancholiæ. Aurigines verò, nunc protinùs apparentes, nunc contrà rubores palloreſque nimis ſeſe mutuò & quaſi alternis excipientes, muſculorum oris retractiones, ſi ſine animi affectu emicent, ad idem morbi genus referuntur, quod pariter de cæteris qualitatibus mutatis pronunciandum eſt.

Quid autem diſquirendis atque inveſtigandis ulteriùs melancholicis ſymptomatibus inſudaremus. Uno verbo res abſolvenda eſt. Vix ullum eſt ſymptoma quod non mentiatur morbus noſter. Nullum eſt malum cujus non induat larvam, nunc inſtabilitate ſuâ Medicum deludens, nunc fixâ tenacitate ipſi inſidias ſtruens, à quibus ſine erroris notâ infami, vix ſeſe expedire poſſit; quod patebit dilucidiùs, ſi morbi adultioris & jam altas agentis radices, ſequamur incrementa, ubi

jam utraque ſpecies à ſe invicem ita diſtinguuntur, ut confundi non poſſint.

Prioris quidem ſeu ſimplicis in ſummo gradu conſtitutæ, ſymptomata conſiſtunt in ſummo gradu effectuum naturalium quæ ad ſingula animi pathemata referri poſſunt, ſive ad ſenſum atque motum intenſiſſimum. Quo in ambitu comprehenduntur effectus illi qui quanquam remoti, tamen his ſeſe ex ordine Naturæ comites addunt. Hinc quod viro forti ſenſum levem excitat, muliérculæ doloris erit cauſa, melancholico à nimiâ nervorum ſenſilitate cruciatus. Vera loquor. Novi mulierem, quam vel minimus ſtrepitus inſolitus exanimabat, cibus novus & inaſſuetus vomitus horrendos excitabat, undè factum ut ultra modum debilitata, exercitio vitæ impar, nutritione defraudata, tandem ex ſpaſmo occubuerit; ſi vires ſuffeciſſent, cæteroquin ſana.

Si cauſa igitur irritans in omne corpus inciderit æqualiter, ut univerſalibus cauſis accidit, erethiſmo totum corpus ſtringitur, rigeſcit. Fiunt ægri tetanodes, aut ſaltem aliquam catalepſiæ ſpeciem mentiuntur, ut evidenter docet exemplum viri illius de quo mentionem injecêre Acta Academica Pariſienſia. Hic præ ſtupore ob gravem nuntium auditum, eum in muſculis tonum concepit, ut illi minùs flexiles facti, ſitum acquiſitum conſtanter retinerent, quod certè ab aliquâ retractione & tenſione acquiſitâ pendere neceſſe fuit.

Si hanc illamve partem cauſa quælibet morboſa, eaque levis per ſe occupet, graviſſima

mala erumpunt. Exemplum ſit, affectio catharrodes in membranam Schneiderianam decumbens; en aderit capitis dolor intolerabilis, clamores & ejulatus producens, oris diſtorſiones, convulſiones, oculorum inflammatio, hebetatio viſûs, aut ejus eò provecta acuties, ut vel ſi minima lux eos præſtringat, citò offendat; aurium bombus, nauſea quæ ferè ſemper capiti ſympathica eſt, imò & vomitus; tum verò non aberunt durities pulsûs, frigus intolerabile, artuum laſſitudo, omnia demùm vehementiſſimorum catharrorum ſymptomata, ſed nunquam cauſæ excitanti proportionalia, verùm multò graviora quàm res poſtulet, ſeu potiùs cauſa erit in prædiſpoſiti corporis conditione. Quid ſi ipſa gravior ſit cauſa, miſerum tunc præſtant auxilium cruciatibus quibus divexantur ægri, quæ frequentiſſima in hoc morbi genere ſunt, animi deliquia. Nec certè impoſſibile eſt aut exemplis carens, mortem ipſam à ſpaſmo univerſali fuiſſe inductam. Quod præſertim in vehementibus animi pathematibus, quaſi in corpore arctata ejus vincula mens rumperet, ſæpè accidiſſe, norunt Medicinæ Sectatores. Sed frequentiùs à tam violento ſentientis partis concuſſu pervertuntur ſenſus atque motus omnes, undè altera in alteram, ſimplicior in compoſitam tranſit Melancholia. Ubi enim omnia extremum gradum nacta ſunt, convulſionibus atque motibus inconditis ſcena impletur.

Ad hoc Melancholiæ genus referri poteſt malum triſtiſſimum quidem, ſed rariſſimum; quod aliquandò obſervatum fuit, effectibus ſolùm ab-

ludens, ſed cauſæ ſimile ; hinc mera Melancholia ſimplex & nervea dicendum.

Illud in eo conſiſtit, ut quodcumque antè oculos ſit, ad imitationem ducat ægrotans ; quod aliquatenùs in ipſâ Naturâ fundatum eſt, & à mente attentiori pendet, ſi præſertim illa aut terrore, aut horrore perculſa ſit, aut miſeratione commota. Ecquis enim adeò fortis eſt, ut ſi aſſidat alicui, qui ingentes ad vomendum conatus elicit, ipſe ad vomendum non ſollicitetur. Quis cùm oſcitantem hominem ſpectat, ipſe in hunc actum non prolabitur. Tuſſis ipſa quaſi imitationis contagio ſerpit, & qui choreis Muſicam harmonicè ſectantibus, aſſiſtit, ipſe quaſi ſpontè in ſaltus rapitur. Plures fuêre qui dum convulſos vident, ipſi fuêre convulſi, ut cùm rota fervida attentiùs ſpectata, vertiginem creat. Certè à pueris in pueros imitando geſtus inconditi, convulſivi in Cœnomanenſi pago nuper traducebantur ; undè pro Medicinâ fuit terrorem ſupplicii præſentem incutere. Quod olim à Boerhaavio factum legitur. Vidi mulierem anteà ſanam, nunc verò ſanatam, cujus dum ancilla cubicularia ante oculos in puteum ſeſe dedit præcipitem, mens ita affecta fuit, ut quoties vel puteum vel foveam ſpectaret, quaſi invita, reluctante ſimul & aſſentiente mente, ad ſe præcipitem dejiciendam cogeretur, undè ad eam cum clamore currebat, rogans ſimul ut quocumque pretio cohiberetur. Sana erat alioquin, niſi quòd indè triſtitiam jure meritòque contraheret. Legitur apud Lucianum, quòd dum Abderæ ſub dio, fervente ſole,

ſole, Euripidis de Andromedâ & Perſeo verſus ſcenicè agerentur, excurriſſe per totam urbem ſpectatores plures, amentes & verſus ab ore perſonæ mutuatos recitantes, donec quiete ac nocturno frigore deferbuerit communicatus fervor. Undè verum illud Horatianum : *Si vis me flere, dolendùm primùm ipſi tibi.*

Alterius verò Melancholiæ in ſummo pariter gradu conſtitutæ ſymptomata eò magis horrenda ſunt, quò magis à Naturæ ordine recedunt. Jam ſi mentem ipſam contempleris ; non ultrà rationis pomœria, ſed extrà ejus limites fertur, error eam divexans. Hinc inter ſe nullatenùs connexa ita junguntur, ut nec pes, nec caput uni formæ reddantur. Angit præcipuè miſeros præjudicata circa morbi ipſius naturam opinio triſtis, à quâ nonniſi per abruptos immodicæ lætitiæ vortices divelluntur, imò ſæpè ex ipſo leporum fonte ſurgit amara mali memoria. Adeſt ergo merum delirium, cum metu, mœrore, pavoribus inſanis, imò ſæpè cum ſpectrorum, cacodæmonum apparitionibus aut inſilientium, aut minas intentantium ; imaginantur aliquandò ſeſe ab hoc humani generis hoſte obſeſſos, ſi præſertim, ut apud Ruſticos fit, maleſana ſuperſtitio animum infecerit. Undè ſe precatiunculis juvandos, ſacris fontibus luſtrandos proponunt, & adversùs ſacerdotes, ſuperſtitionem, malo naturali prætendere recuſantes iraſcuntur. Si philoſophum aut meditabundum circa res humanas Melancholia ſpaſmodica imbiberit, fit mera ἀπανθροπία, ſeu μισανθροπία, non ſimplex illa aut timida, ſed clamoſa, maledica, monſtra præſagiens. Naufragia,

ruptas menſas, ſibi prætexunt Mercatores, & omnibus ferè, depreſſus eſt, humilis, divitiarum cupidus, meticuloſus & tardè ſibi conſulens animus; ſed melancholicum eſt, ſi qui avarus fuit, ſæpè ſubitò prodigus evadat; qui timidus, ſubitò animoſus, ſed brevì fatiſcit quodcumque in iis laudari dignum apparet. Nunquam verò alibi major inſania, quàm quæ circa ipſum verſatur morbum. Parcite, Lectores, tali fatigato ab hominum genere. Sed aliquandò vix riſum, vix bilem continui, cùm mihi abſurda ſua commenta quaſi ex altiori ingenii conamine eruta, narrarent; cùm tractandum pulſum, inviſendas urinas, quolibet horæ minuto obtruderent: at neglecti iras concipiunt, lacrymas effundunt; amicitiam diffidentiæ prætexunt, & à Medico in Medicum excurrunt. Tum audita quæque expaveſcere, ſigna epidemicorum morborum in ſeſe deprehendere, ingenti certè infortunio ſuo ſi libris Medicis evolvendis operam dandam crediderint. Uno verbo, monſtris exagitantur omnis generis verè ſyderati & furiis exagitati. Talis fingitur Oreſtes, fœliciſſimè ſcenis agitatus, cùm ex eâ ſorte ingens ſpectantium exoriatur miſericordia circa virum nunc egregiè & cordatè ſentientem, nunc miſerrimè à ratione dejectum. Enimverò quantumvis ingens metus huic morbo ſeſe comitem præbeat, nihilominùs tamen bellorum ex officio capeſſendorum, & iræ tenacis capaces ſunt, imò & aliis animoſiores, cùm bellica pericula nihil cum morbo commune habeant, & calamitatibus melancholicis aliquandò mors ipſa videatur medicina exoptanda. Hinc ſæpè ſibi lethum conſciſ-

cunt ex ipsâ animi demiſſione, fortitudinis atque ſophiæ gloriolam aucupantes, aut ferendis quæ ſibi monſtroſa imaginatio effingit malis, prorsùs impares.

Functionum læſio ad motûs perverſionem refertur, ſeu convulſionum habitum, undè in ſummo Melancholiæ gradu, vix momentum temporis unum adeſt, in quo nulla appareat ſpaſmi idea. Hinc etiam Melancholici quid ineſt in illis oris depravationibus quas quidam affectant, ſed quas poſteà cohibere non poſſunt. Vidi hominem & Philoſophum quidem, qui unico horæ momento faciem huc illuc celerrimè pluries diſtorqueret turpiſſimè, ut vix aliquid ſupereſſet humani. Sed tunc fœdiſſimum erat ſpectaculum, ubi aliquid aut triſte, aut inexpectatum ipſi nuntiaretur. Tunc cum faciei motibus illis, ſubitò ingruebat tremor univerſalis.

Cùm verò nulla ferè ſit functio, quæ non poſſit ſpaſmodicè lœdi, patet quot morbos ſimulare poſſit Melancholia ſpaſmodica; à quibus criterio hoc ſolo diſtinguitur, quòd in noſtrâ calamitate omnia fiant abnormia, nil ſibi conveniat, nullum ſit regulatum Naturæ conamen.

Sed nullibi frequentior ſcena luditur quàm in abdomine. Non conſtans illa quidem ut in humorali Melancholiâ fit, ſed cruciatus, borborygmi, ſtrepitus abnormes & quaſi clamitationes variorum animalium quæ ſibi ſtatim deglutita fingunt, aliis ſpaſmis præludunt. Sæpè etiam ſuffocationes, ſtrangulatus, quaſi larynge conſtricto, aſthmata, orthopneæ, thoracem ipſum affligunt. Et famoſa illa aura frigida ſæpè ab ipſis

pedibus ad uſque guttur atque fauces hærens, anſam facilem falſis imaginationibus præbet. Quid plura, quæcumque partes motûs ſunt capaces, inconditè in motum aguntur; ſenſu rapiuntur abſurdo quæcumque ſentire poſſunt.

Intereà ſi morbus merè ſpaſmodicus eſt, cætera Naturæ congrua ſunt, alvi fæces naturam referunt, urinæ quidem limpidæ, decolores, aquæ, copioſæ ſunt; ſed viget appetitus, & exacto ſpaſmodico inſultu, quies abſoluta remanet, brevis aliquandò intervalli, ſed promptè reficiens. Nam in illis in quibus omnia vehementiſſimè peraguntur, quies neceſſariò intercedit, alioquin vix res teneræ hunc laborem poſſent ſufferre. Generatim id pro principio expertus ponam, quòd nulla merè ſpaſmodica Melancholia perpetuò & ſine intervallis divexet, in quo præcipuè ab humorali differt, nihil relinquens præter ſenſilitatem ſummam inter libera quæ ſinit intervalla. Quin imò morbus quilibet ſuperveniens, febris, hepatis obſtructio, abceſſus, inflammatio, variolæ à Melancholiâ reſpirare ſinunt, quæ tamen exacto morbi periodo reviviſcit. Durantibus hiſce morbis, vidi, nec ſemel, animoſos, fortes mortem deſpicere, de eo quo jactantur diſcrimine, viriliter loqui, fatumque ſubire imperterritos. Melancholiam renovat reconvaleſcentia. Undè non unam aut alteram, ſed plures vidi, collegaſque teſtes appello, Melancholiâ ſpaſmodicâ optimè liberatas mulieres, dum phtiſis pulmonalis ingrueret, medicinâ morbo magis exitiali, quâ poſteà maraſmodes ſuccumbebant.

Vivit quidem diuturnâque labe conficit ægro-

tantes uterque morbus noſter, & plures per annos pedetentim invaleſcit; ſed tandem alios acceſſit morbos, cùm toties interrupta & inæquali tramite acta circulatio ſanguinis naturam, partes, doteſque corrumpat, nutritionem vitiet, ſtamina ſolidorum tenerrima aut rumpat, aut diſtrahat. Hinc Melancholiam degenerem fieri neceſſum eſt.

Melancholia quidem prîoris generis quam ſimpliciorem vocavimus, & quæ in intenſo ſolidorum tono, adeòque debilitatâ eorum compage, conſiſtit, ubi ad ſummam evecta eſt vehementiam, ſimplicitatem ſuam ſervare non poteſt. Cùm enim rarum ſit inter tot quæ humanitatem inſiliunt cauſas, æqualem eſſe earum actionem, infringitur citò proportio illa quæ quaſi æquilibre faciebat malum, undè mobilitas in convulſivum habitum vertitur, infirmitas in morbum, ita ut omnia quæ Melancholiæ ſuccedunt mala, ad compoſitam referantur, exceptâ tamen vaſorum rupturâ quæ ad ſenſilitatem & debilem ac tenſam fibrarum craſin debet revocari, ita ut nulla ſit corporis conſtitutio in quâ majus hæmorrhagiæ periculum impendeat, & inflammationum earum quæ nullâ aut Naturæ vi, aut Artis efficaciâ ſuperari poſſunt.

Compoſita verò Melancholia, ſeu potiùs ea quæ à perverſo atque depravato fibrarum tono pendet, deſinit in ſpaſmos aliquandò lethales, cùm vitalia organa occupant illi; quod tamen rarum eſt, cùm animi deliquium ſummo ſpaſmorum vitalium gradui ex naturæ neceſſitate ſuperveniens, ſit ſpaſmo medicamen, dum relaxatio-

nem omnium ſecum importat, & ab ipſis mortis atriis avellit. Hinc ipſa convulſio, licèt ſignum mortis, in acutis morbis atque vulneribus ſit, nunquam tamen cauſa funeſti eventûs fuit. Verùm ſi per ſe raro ſpaſmus lethum inducit, certè dum circuitûs æqualem conſtantiam frangit, palpitationeſque atque tremores cordis inducit, polypos cordis & aortæ, concretiones, hærentias, apoplexiam, aliaſque certiſſimas mortis cauſas advocat.

Longiori tabe peredit, ſi dum humorum formationi, perfectioni, vacuationi officit, Melancholiam humoralem, ſcorbutum, & infracto vaſorum tono, tum labefactatâ humorum craſi, cachexiam, infarctus, hydropes, ſuffocationes, mortem cauſatur.

Quid? ſi functiones naturales deſtruat ſpaſmus, ut triplici exemplo mihi innotuit, in tribus mulierculis, quarum unica tantùm occubuit. Ita auctum erat in ventriculo ſentiendi acumen, ut oblata quæcumque reſpueret & vomitu rejiceret. Nata erat in harum ſingulis quaſi ſpaſmodica hydrophobia. In illâ ſpaſmus œſophagi deglutitioni obſtabat, in hac ventriculus ſolus laborabat, ut & in tertiâ. Poſteriores duæ ſanatæ ſunt. Perſeveravit ſpaſmus in priori ad uſque mortem. In aliâ nobili muliere novam ſpaſmi ideam à pluribus annis videre etiam nunc contingit, quoties aliquid aut medicamenti aut alimenti intra ventriculum accipit, enormia patitur animi deliquia, undè & cibi tempus & materiem odio proſequitur & fugit. Marceſſit illa intereà, & ubi arefactis fibris & exuſtis humoribus, emicuerit febris,

morte abripietur, monita ſatis, at ex ipsâ morbi naturâ inobediens.

Ut verò univerſali intuitu ſentiantur quæ ſint morbi noſtri pericula; duplex eſt, in quem pronus fertur, terminationis modus. Inter ſe quidem uterque opponitur, ſed tamen ab eâdem origine dependet. Hinc atonia & morbi omnes ab atoniâ pendentes, illinc febris, omniaque mala quæ minitatur illa.

Atonia ſpaſmi ſequela neceſſaria eſt; cùm enim deferbuit erethiſmus, laxitas fibras occupat; ceſſante ſpaſmo, atonia remanet. Scilicet vim Naturæ infert, fibráſque diſtrahit ſpaſmus, puncta igitur contactuum à ſe removet, firmitatemque minuit; unde naturalibus functionibus obeundis impares remanent fibræ; quod etiam accidit, fibris poſt vehementia exercitia fatigatis. Hinc naſcuntur debilitas, laxitas, circulationis languor, cachexia, infarctus, hydropes, & mors demùm, ex neceſſitate mala illa excipiens.

Febris verò ſæpè ſpaſmis jungitur, ſi præ illorum vehementiâ vaſa rumpantur, inflammentur, excitetur ſuppuratio, inducatur phtiſis, adeò ſæpè pejori malo Melancholiam tollens. Unde fit ut frequentiſſimè & morbum & vitam abſolvat; ſed alia eſt morbo ipſi, ex ipsâ ejus naturâ ſuccedens, febris nervea dicta, pluſque apud Externos cognita quàm apud indigenas Medicos.

Febris nervea ab intemperie ſine materiâ exorta, ut cum Antiquis loquar, poſt ſpaſmos diù protractos, infracto jam atque debilitato ſi-

brarum tono ſuccedit, eoſque comitatur, cùm jam nihil regulare, nihil ex ordine Naturæ peragitur. Primò quidem ita lentè ſerpit, ut incautus vix eam agnoſcat. Artus frigidi ſunt, non calentes, ſudatiunculâ quâdam viſcidâ madentes; dolor tamen, nervos muſculoſque occupans, quaſi diſtractarum partium non verè dolentium adeſt; languet æger, facilè fatiſcit, caput grave hinc indè concidit, adeſt ſomnolentia, abeſt ſomnus, aut ſi palpebras opprimit, agitatur inſomniis. Intereà obambulat æger, officiis civilibus vacat, ſed cum faſtidio; ſilentium, ſolitudinem, tenebras amat. Spaſmis vexatur vix ſenſibilibus, ſed quos ipſe ſtupeat. Sæpè quidem plures per menſes ita obdurant vix mutati, unde ſpem inter atque metum anxii, tempus terunt, nunc ſecum malè agi querentes, nunc meliùs ſe habere profeſſi. Sed tandem erumpit vehementer, & depoſitâ tarditate ſecum advehit delirium obſcurum, convulſiones, mox phrenitidem atque mortem infert. Quod quidem ſtadium huic ſoli febri proprium eſt, nec ad ullam aliam pertinet.

Eadem cauſa, ſed natura diverſa eſt, febrium illarum quæ vividis animi affectibus superveniunt. Ephemeræ quidem ſæpiùs, aliquandò inflammatoriæ, iram & furorem excipiunt. Illæ aliquandò cor ipſum lethali vulnere afficiunt, ut nuper in ſervo vidi, qui in herum furore raptus, palpitatione cordis & febre, ſub ipsâ motûs cordis irregularitate notandâ, intra triduum occubuit. Sed in illis mentis motibus quæ tacitè alto ſub pectore vivunt & vigent, quales ſunt mœror,

zelotypia, metus importunus, fibris lenta nervea accenditur, quâ fit ut miſeri contabeſcant; præcipuè infantes, qui regendis animi erroribus impares ſunt, vel enim effervеſcit febris illa in acutam mutata, vel in hecticam tranſit, utraque in lethum terminanda.

Sed niſi in novum morbum prorsùs ſeſe vertat Melancholia, indolem ſuam ad extremum ſervat. Hinc ægri imbecilles, attoniti, inſani, abſurdis fatigantur ideis, odores novos ſentiunt, viſus coloribus inſolitis vitiatur, aliquandò ſpectra ante oculos obverſari queruntur, præcipitia ante pedes patentia horrent. Quorum quidem ſymptomatum cùm tanta varietas inſit, liceat aliquibus hiſtoriis miras morbi varietates pingere.

Tenerrima fuit mulier quæ quindecim annos nata, ab infantiâ delicatula & tenuis, cute roſeâ & candidiſſimâ, cum cruciatibus ante annum menſtrua paſſa erat. Hæc cruda forſan & nondum matura, viro militari nupta, abſentiam ejus ægerrimè tulit, metuque hoſtium atque amore forſan inexpleto mœrens, ſolitudinem amavit, & hominum conſortia fugiens, triſtem paſcebat animum horrendis, quos metuebat eventibus. Unde mobilitas ſumma acquiſita, cui favebant, poſteà reduce marito, partus bini, ætate me ſaltem judice nimiùm tenerâ, unde partûs nixibus diſtractæ partes novam acquiſivêre teneritudinem, adeòque mobilitatem & exquiſitum ſenſûs acumen. Cui dum indulget, eò ſenſim devecta eſt, ut lapillus ex altitudine mediocri cadens, illam illicò convelleret, & ſpaſmis artuum, oriſque diſtraheretur. Hinc factum, ut dum omnes à

convulſionibus excitandis cavent, favent diſpoſitioni adaugendæ; itaque res eò deducta ut cibus intrà ventriculum immiſſus, omnia abdominis viſcera convelleret, unde demùm phtiſicæ, obeundum fuit cum delirio atque convulſionibus. Nec minùs tamen uxorius conjux, dum ejus atria cum ſtudio & amore ſervat, horrorem eundem ſtrepitûs concepit, unde mobilioribus factis nervis, morbo acuto pleuritidem mentiente correptus, convulſus etiam obiit. Circa autem hanc hiſtoriam notandum eſt, quòd miſeris præpoſterâ certè indulgentiâ malè conſultum eſt. Cùm potiùs me ſuaſore, pedetentim rumori, cauſiſque incutientibus aſſueſcendum erat, ut quaſi indurarentur nervi quos nimia ſenſilitas, vitæ muniis exequendis reddiderat imbecilliores. Hinc impedita in priore nutritio, in poſteriore vis effœta, acutioris morbi impetui retundendo inidonea facta eſt.

Alia mulier nobilis extat adhucdum, & quanquam minùs culpandâ ſanitate donetur, necdum tamen nerveis inſultibus libera dici poteſt.

Hæc floridam habuit vigentemque pueritiam, quam etiam corpus bellè conſtitutum exprimit. Triginta nunc annos facie illibatâ præfert, carnoſa ſatìs & ut corpore decoro, ſic animo forti prædita eſt. Sana dici deberet, niſi Melancholiam & quidem merè nerveam à partu contraxiſſet.

Per ſe quidem tonum fibrarum exquiſitè ſentientem habet. Choreas cum furore quodam exercet, Harmoniâ & Muſice extrà ſe rapitur tota, & voluptatum delicias anhelat, luxurioſaque, niſi potens virtutis coerceret ſtimulus, dici deberet.

Hæc mœrore ex unigeniti filii puſilli morbo, & anxietate contracto, in nerveam Melancholiam ita incidit, ut nihil ſolitis leporibus detraxerit, nihil deliciis, in vitâ lautiori affluentibus. Sed ſi aliquid aut triſte, aut inſolitum atque percellens audiverit, oris diſtorſionibus & artuum convulſionibus occupatur, nihil de nativâ hilaritate remittens, aut ſæpè manè poſt ſomnum inter jocos, ſæpè in ipſo adſtantium plurimorum cœtu, inter epulas, concentus muſicos, concidit exanimis & ſenſibus prorsùs ſublatis. Tum convulſiones artuum, oris torſiones, ſuffocationes, thoracis anhelitus, clamores, & ſuis ſingulare ſignis delirium, cùm præconceptam abſurdamque ideam cum aliquâ rationis ſpecie ſequatur; ridentibus arrideat, congemiſcat gementibus, vultus adſtantium agnoſcat, eiſque ſuam velit præjudicatam opinionem communicare, imò & recuſantibus, aut refellere ratione præpoſterâ conantibus, iraſcatur. Quinque eam per horas integras tali delirio convulſionibus ſimul horrendis correptam vidi, nunc opiſtotonum, nunc emproſthotonum, nunc verò tetanum ipſum mentientibus. Tali paroxyſmo, ſua erat periodus. Principium quidem mitius, delirium tardius, convulſio minùs ferox, in incremento & acumine, nihil non terrorem imprimit, miteſcit poſteà, & per breve animi deliquium finitur & abſolvitur.

Quater in unâ hebdomade ſimili paroxyſmo bis in die, adeòque totam ferè diem occupante, vidi laborantem; at quod non mirum minùs, quodque luculenter demonſtrat, quantùm ſyſtema

nerveum à mechanico hydraulicorum vaſorum ſyſtemate differat; reſurgit illa hilaris, nulla aut fatigatio à violentis muſculorum exercitiis, aut coloris à ſanguinis interrupto circuitu mutatio, miſellam deturpat. Inſtaurat choreas, equos conſcendit, conviviis intereſt, ſtatim à tali ſcenâ, necdum depulſis ſpectantium terroribus.

Urina quidem in illâ ſemper tenuis & aquea copioſa paroxyſmum præcedit, imò ſequitur; nam quoties ipſam torquet ille, nulla vel minima cujuſvis laticis exit guttula, præter ſpumam aliquam quæ circa os collecta mentitur epilepſiam.

Tempus quidem inutile tereretur in recenſendâ multiplici ſymptomatum larvâ, quâ morbus iſte noſter medicantes vel fortiſſimos terret. Sic aliæ ſunt mulieres quæ humi proſtratæ, dentibus mordicus corpora apprehendunt, maſſeteribus & crotaphitis ferri duritiem æmulantibus. Ferè omnibus, ita digiti palmæ manus affiguntur, ut ſine evidentis muſculorum aut tendinum rupturæ periculo divelli queant. Brachium omne duritie ferrum aut lapidem jurares. Senſus & motus inconditus. Rarò dolor aliquis exiſtit, imò nunquam. Quid quòd & periodicè malum recurſat, ut vidi mulierem quæ quotidie decimâ ſerotinâ adventante, eodem modo convelleretur, nunquam aliâ horâ aliquid ſimile experta. Sed liceat in tot & tam variis poſſibilibus duos adhuc enarrare caſus, qui niſi teſtes fuiſſent fide digniſſimi omnem fidem exſuperarent.

Primam vidi, doctiſſimo è collegis & ſine meâ invidiâ medicinam ei faciente. Puellula erat decem circiter annos nata, delicatula, pallidula, mali-

æque habitûs. Hæc ſenſim in quotidianas convulſiones inciderat plurium horarum, in quibus humi aut ſuper lectum proſtrata, ſenſibus amiſſis, tam celeriter ſine ullâ intermiſſione loquebatur, ut vix auditus vocem ſequeretur. Nec quidquam ipſa audiebat aut ſentiebat, ſed in incœptâ oratione continuò pergens ratiocinabatur, imò & cum aliquâ & ſuprà ætatem facundiâ ideas proferebat, & ætati ſuæ vulgò ignota verba profundebat, nunquam in familiaribus colloquiis uſurpata. Adſtabat ſedula mater frontem miſellæ manu comprimens, in quâ compreſſione id erat ſolatii, quod ſi ceſſerat, illicò in convulſiones rapiebatur, interrumpebatque incœptum loquacitatis ordinem, convicia matri eodem tono ingerens; in eâ id fuit ſingulare, quòd cùm eidem frontis compreſſioni altera manum miniſtraret mulier, nec duriorem nec aſperiorem, convulſiones tamen æquè experiretur, nec minùs in matrem debaccharetur, non priùs ceſſatura, quàm dum priſtinam ſtationem mater reciperet. Unde id mihi circà rem miram meditanti, ſtupendum videbatur, ineſſe feriantibus alioqui ſenſibus, miram sensûs ſubtilitatem, cùm certè neutiquam in ſtatu naturali inter utramque manum vel minimum ſenſiſſet diſcrimen. Convaluit illa; ſed quâ ratione, neſcio, cùm ejus bis terve in conſilium advocatus, dilucidiorem notitiam præter modò viſa & annotata, nunquam habuerim. Reſurgebat illa à paroxyſmo plurium horarum, temporis præteriti immemor, imò & extrà acceſſum taciturna, timida, vix aliquod verbum proferebat.

Huic deſcriptioni finem imponet aliud exemplum, non ſine dolore, à me longo tempore obſervatum, mulieris juvenculæ, & ſummis præditæ tum corporis, tum mentis leporibus, quæ poſt Melancholiam nerveam phtiſi pulmonali occubuit.

nambulisme

Hæc difficultate ſummâ & tardè menſtrua paſſa eſt, maturiùſque viro juncta, nunquam Lucinæ labores experta eſt. Sed nunc hærentibus menſtruis, nunc malè & cum dolore prorumpentibus, anxietates, ſuffocationes, diverſaque multiplicis generis mala, ſine ullo verè ſic dicendo, morbo patiebatur. Inde in nerveum incidit malum, quod verè hyſtericum dixeris. Animo linquebatur ſine ullâ convulſione feroci; ſed obſcurâ primùm loquelâ, dein claris diſtinctiſque vocibus aliquem è præſentibus alloquebatur, eum videbat, ejus vel minimos geſtus annotabat, cum eo de quâvis re poterat loqui, niſi quòd uni ideæ intenta ad eam omnia revocaret, ſed nullum alium aut videbat, aut audiebat etiam vociferantem, quod vix credibile pluries vidi non ſine ſtupore ſummo, & teſtes multi ſuperſtunt. Res bis aut ſemel ei acciderat, cùm inexpectatâ morte mater ei dilecta abripitur. Tum primùm cœpit cum mortuâ matre quaſi præſenti colloqui, ei reſpondere, ſolliciter exorare ut de ſanitate ſuâ curam ſuſcipiat, hunc vel illum Medicum utpotè præſtantiorem accerſat; cum eâ, licèt jam ab aliquot annis conjugio juncta foret, de futuro matrimonio ſaniſſimè & puellæ ad morem modeſtè loquens: Objiciens plura, refellens alia, imò ſæpè de præſentibus acerbiora, & quaſi in ſinum matris

ſecretò multa effundens, locuta eſt. Uno verbo rectè omninò imò & ingeniosè de omnibus loquebatur, niſi quòd circa tempus & præſentiam matris erraret. Nihil in eo delirio periodici fuit, ſed ubi jam acutiùs ſentirent nervi, ſæpè recrudeſcebat, imò bis in die. Nec una fuit ejus forma. Adſtiti deliranti cùm unâ die maritum ſolum agnoſceret, ſed proci non mariti titulo, unde licet fateretur ei ſe à parentibus promiſſam, graviter tamen arguebat, quòd liberiùs lectulo inſideret eique cariſſimam uxorem vocanti, præmaturam increpabat fiduciam. Per horam integram vidi paroxyſmos duraſſe. Hoc tempore oculis apertis & ſtupentibus, circumſpectabat omnia, nil videns, niſi eum quo cum loquebatur. Geſtus orationi reſpondebat, corpus omne laxum habebat, tùm in aliquorum minutorum ſoporem delabebatur, à quo evigilans dormiiſſe ſe credebat, nec ideis affectum animi repræſentantibus, nec memoriâ referente. Cæteroquin ſana erat, niſi quòd ad minimum horreret ſtrepitum, ad viſa & audita expaveſceret amens. Cæteroquin forti animo prædita, & amicis jure dilectiſſima, à menſtruis retentis & ob graviditatis ſuſpicionem malè tractatis, phtiſica evaſit & demùm contabuit. Sed ubi primùm tabe affecta eſt, ita ut febricula exarderet, illicò compoſitus omnis ille tumultus nerveus ſeſe compeſcuit.

Mirum ſanè delirii genus; unde id concludere datur, quàm longè latèque ſimus adhuc, à noſcendis omnibus ſensûs proprietatibus, quas vel morbus ipſe è Naturæ ſinu depromere valet. Simulque docemur quàm variâ facie diversâque

larvâ nobis morbus noſter illudat. Sic in nobiliſſimâ muliere vidi facundiam mirè auctam, unde circa abſtruſiſſima quæque cum quadam ἐνεργείᾳ differeret, quæ, ceſſante paroxyſmo, ſimplex & nil alti meditans erat. Sic novi hominem qui quidem olim ſtudiis indulſit, nunc ad politica animum appulit, cui febris tertianæ paroxyſmo laboranti memoria aucta Horatii atque Virgilii verſus oblitos refricabat, dum loquacitate auctâ ipſos effutiret perpetuò. Quid ergo mirum ſi ſæpè vel piiſſimi homines dum delirant, juramenta, blaſphemias, convitia in qualemcunque cum aliquâ ratiocinii ſpecie effutiant. Hîc nihil mutati nec in ſolidis, nec in fluidis; pulſus integer, ſanitas cæterùm illibata & tamen ſolo nerveo tumultu, homo in animal alterius ſpeciei vertitur, quod in calidioribus æſtuantibuſque locis, ubi adhuc ariditate loci ſyſtema nerveum ad majorem tonum evehitur, ſi ad effectus vivaciores producendos aptum fiat, anceps & dubius hærebis quid de illâ Aretæi opinione ſentiendum ſit, poſſe ſcilicet fieri aliquandò ut phrenetici vera de futuris vaticinentur. Cappadox enim ille in locis Aſiæ calidioribus medicinam exercuit. In quibus omnes & Hiſtorici & Viatores conſentiunt, amorem, potiundæ cupidinis libidinem, odia, affectus denique omnes animi, ad noſtros eſſe ut eſt ad favillam incendium, teſte vel ipſorum poëſeos ſublimitate. Sed de his fuſiùs loquendi ſeſe dabit in poſterum occaſio.

CAP. IV.

# CAPUT IV.

## *De Cauſis Melancholiæ nerveæ.*

Ex allatâ Melancholiæ nerveæ deſcriptione ſatìs eluceſcit, ſedem ejus quærendam eſſe in nervis ſeu parte motum atque ſenſum in corpore animali excipiente, & acceptum undequaque refundente.

Nec minùs probatum confidimus eam duplicem eſſe; unam in quâ nervi quaſi accenſi, ultrà conſtitutas à Naturâ toni metas, tranſiliunt & abripiuntur: alteram in quâ extra ordinem, in abſurda quæque abnormes pulſiſque repagulis, feruntur. Sed utrique id commune eſt, ut relatio objectorum externorum ad ſenſorium commune immutetur, unde ex ipsâ rei naturâ infirmitas menti, & quaſi quædam judicii vacillatio, exoritur.

In hac igitur nerveæ partis mutatione, remota morbi causa, tota continetur. Sive autem tenſionem aut auctam, aut perverſam pro causâ habeas, ſive pro primario effectu inordinati ſpirituum animalium motûs, perinde eſt. Remanent inconcuſſa quæ ab obſervatione mutuamur dogmata, ſuadetque inquiſitionis inutilitas ut de remoto cauſarum harumce examine parùm ſolliciti, ad ea quæ praxi utilitatem poſſunt afferre devehamur.

Inquiſitionis ergo noſtræ argumentum conſti-

tuunt cauſæ evidentes, quæ hinc nerveam actionem intendere poſſunt; illinc verò eam peſſundare. Quævis enim cauſa Melancholiæ ipſi proprium caracterem afflat, ſibique ſoli ſingularia inducit ſymptomata.

Harum aliæ efficientes, aliæ occaſionales ſolùm, recepto in Scholis nomine, dici poſſunt. Quid utrumque genus in hoc morbo poſſit, nomen ipſum indicat. Efficit morbum cum causâ occaſionali, conditio corporis huic recipiendo apta. Quæ porrò ſit illa conditio corporis, præcedentia capita ſatìs enucleant. Hanc inducunt cauſæ ipſæ Melancholiæ à longo tempore agentes, & quæ dum corpori inſident, ipſum quaſi aptant & fingunt ad Melancholiam. Hîc præcipuè jure recenſentur, tenella conſtitutio pravâ educatione præſertim, pravam naturam debilitante. Sed ut omnes cauſæ Melancholiam inducentes ad eam diſponunt, ſciendum eſt diſpoſitionem illam naſci, quoties repetito aſſultu tabes tarda in corpus ſine violento effectu graſſatur, tenſionemque ſenſim aut auget, aut peſſumdat, dum quaſi jus civitatis intra corpus recipit. Patet porrò illud undique cauſis inſilientibus, quæ eò fœcundiores ſunt, quò minùs tutum atque munitum eſt corpus quod adoriuntur.

Prima verò cauſarum noſtrarum procatharticarum diviſio erit, in cauſas univerſales & in peculiares, cùm hæ ſingulari tantùm parti incumbentes totam nervorum œconomiam perturbent, illæ verò totam ſimul machinam ſentientem atque mobilem invadant.

Utraque verò claſſis rursùs in phyſicas & mo-

rales diſtribui poteſt. Priores ſcilicet à corpore in animam delabuntur ; poſteriores verò in animâ ſedem fixêre, unde illa potentibus imperiis totum corpus concutit, illudque penitùs atque funditùs immutat.

Tum verò genus utrumque nunc hanc, nunc illam Melancholiæ ſpeciem inducit ; ita tamen ut non facilis ſit ſemper diſtinctio, cùm enim hæc in illam facilè degener fiat, facilior erit legenti, quàm ægrotis aſſidenti, diviſio.

Illa porrò omnia actionem nervorum intendunt & exacuunt, quæ immodica ſunt, adeò ut ingentes concitent in fibrarum ſentientium aut mobilium actione oſcillationes, actuoſum enim dicitur omne quod actionem intendit. Hinc latè diffunditur ampliſſimus cauſarum campus, quæ quidem cauſæ dilucidiùs innoteſcent, ſi ordine apud Medicos recepto ad certas claſſes reducantur.

Primum igitur locum inter cauſas ut morborum plurimorum, ſic Melancholiæ nerveæ, ſibi vindicare debet, aëris perpetuo ducti ſpiramine, variata conditio. Hic enim & nos ambit, & ſubit intimiora corporis, & ut vitam impertit, ſic diverſas vitæ conſtitutiones circumfert, ſive qualitatibus agat adſcititiis, ſive contentas intus altè imprimat particulas.

Calor quidem loci in quo vitam ducimus, ſi præſertim aridus ſit, nerveam exſiccat fibram, dum fluidiora omnia exhalare cogit, mirâ quidem, ſi experimentis fides adhibenda ſit, copiâ ; has dum aridiores reddit, de flexilitate detrahat & tenſioni addat neceſſe eſt. Hinc ut exſucci,

aridi ſunt, macilentique populi quos torret ſolis vicinia, ſic ad ea quæ ſenſilitatem ſapiunt, promptiores jure habentur. Vix poſſis eaſdem ſancire leges de Septentrionalis Europæ incolis quas de Aſiæ Auſtralis populis, ſive laſcivientis imaginationis luxuriem hinc ſpectes, inde verò tarditatem atque hebetudinem ſenſuum, hinc pathematum animi ferociam, inde verò lenitatem atque placatam morum temperiem.

Si conſulas ingenium, prima per Aſiam Artes atque Scientiæ fecêre veſtigia, ſed ne ad ſummum ferrentur gradum effecit, conſtantiæ defectus & laboris impatientia. Poëſis ita illis nativa eſt, ut etiam vel vulgatiſſima vocabula metaphoram ſentiant œſtrumque poëticum referant, etiam auribus noſtris abſonam. Si mores ſpectes, nihil illis ineſt mediocre. Audacia furorem ſpirat, atque ſœvitiem nobis intolerandam; timiditas imbecillitatem. Quæ in Orientalibus Hiſtoriis ſcelera leguntur, barbariem vix credibilem animo objiciunt. Quæ virtutis atque ſophiæ exempla narrantur, ultrà humanam ſapientiam conſtituta creduntur. Pietas ibi fanatiſmo contaminatur, ſapientia fabulis occulitur, Scientiæ myſteriis involvuntur. Hic amor inſanus & nullis revocandus præceptis, docuit clauſtris atque ſeris pulcherrimam humani generis partem obſerare, atque in unius dominium reſervare. Hîc verſat adeò imis in oſſibus igneum ſtimulum durus amor, ut nec intentatæ minæ, nec ipſum mortis periculum valeant à propoſitâ flammâ avocare. Hîc animi affectus opio ſedandi ſunt. Hinc nullibi alibi magis exquiſitum reperitur Melancholiæ noſtræ ge-

nus, docentibus ſic Aretæo, Galeno, Bontio, Proſpero Alpino, & Arabibus fermè omnibus, præcipuè verò Avicennâ, qui tres Melancholiæ prorsùs nerveæ ſpecies diſtinctè deſcripſit.

Verùm in aſſuetis arida cœli iſta temperies, quaſi nativa & jus civitatis adepta, occaſionem Melancholiæ parit potiùs quàm Melancholiam ipſam. Verùm qui ei non aſſueti, ſive divitiarum ſtudio, ſive ita tulerit fortuna, ad hunc æſtum ablegantur, non ita in Melancholiam nerveam incidunt, ut non graviores experiantur morbos. At hunc quoque; & ad illum quidem gradum, ut quaſi inſani & merè deliri fiant; imò ſæpè præfracto & concuſſo penitùs nervorum tono, acutiſſimis morbis phrenetidi, cauſo, tanquam ſequela relinquitur; animi affectus violentos, imò & labores immodicos excipit. Ea infelicitas pluribus, ſic narrante mihi Gallico Conſule in Aſſyriâ, Meſopotamiâ, Indiiſque accidit; ſed præſertim magno meo dolore incidit in virum mihi amiciſſimum & meliori ſorte dignum, qui Botanices amore raptus, dum furente Syrio radiis ſolis expoſitus, ipsâ meridie plantas legit in Cypro inſulâ, Cauſum vividiſſimum contrahit, à quo eò inſaniæ melancholicæ devectus eſt, ut valens vegetuſque ad omnia etiam Scientiarum opera, avitam religionem, Mahometi dogmatibus fidem dans, ejuraverit; nec mentem recepit priùs ſerâ pœnitentiâ, quàm ad loca temperatiora pervenerit.

Hinc apud hoſce populos non frequens tantùm morbus noſter, ſed gradu vehementiſſimus eſt. Hinc familiare eſt ipſis adeò imaginatione

percelli, ut delirent circa aliquod objectum amatum, unde ejus potiundi gratiâ vulnera ſibimet ipſis infligunt. Non alibi religionibus atque minis Vatum percelluntur fortiùs. Ipſi eorum Vates Bonzæ dicti, eò imaginatione evehuntur, ut abſurda, imò ſæva, religionis gratiâ perpetrent, in furorem rapti per vertiginem: hinc extaſes, hinc vigilantibus ſomnia, quæ vel ſtricto defendant ferro. Apud ipſos muſices effectus enormis, unde incantamenta dicta, carmina, incantare & carminare ſumpſerunt originem.

Caloris quidem illius urentis & corpora exſiccantis actio ad otium invitat, & inducit ſegnitiem quandam, cùm labor multò magis defatiget, ſed ab ipſo otii ſinu, cientur in motus enormes nervi, tum propter ariditatem ipſam, tum propter conditionem alibi memoratam; Adſit modò Melancholiæ ſeminium vel leviſſimum, & in hac certè miſerrimâ vitæ humanæ conditione non deeſſe debet.

Frigidioribus quidem regionibus non adeò familiaris eſt Melancholia, vehemens ſaltem & exagitata furiis. Sed ut omnia ſenſu reguntur in corpore, quæ non aguntur mechanicè, poteſt ex eâdem causâ poſt æſtates fervidas erumpere, utpotè vehementiâ inaſſueti ſensûs concitata.

Prætereà verò aliæ ſunt cauſæ quæ melancholicis atomis inficiant aërem non adeò evidentes, ſed ſolis effectibus pernoſcendæ. Tales ſunt minerarum vicinia, halitus è paludibus noxiis bituminoſis, dum aërem inficiunt, Melancholiæ favent, quòd forſan una eſt è cauſis cur ſua Britannis competat Melancholia nervea.

Frequentiſſima cauſarum claſſis poſt calorem aëreum, à victu repetenda eſt, quæ tamen plus in humorali Melancholiâ inducendâ, quàm in hac noſtrâ nerveâ poteſt.

Conſtat dicæta hominis ſani ex cibo & potu ad ſe collatis. Actionem ſuam illi exerunt in os, ventriculum, inteſtina, antequàm in chylum vertantur. Verſa in chylum ſanguini rursùs infunduntur. Paulatim & repetito humorum circuitu, tuſa, mixta, denſata tandem in humanos vertuntur humores.

Copiâ quidem ſuâ gravant ventriculum, primuſque hic eſt aut ingluviei, aut debilitatis in ventriculo effectus, ad cauſas peculiares ablegandus.

Qualitate verò ſuâ ſi acres ſunt quæ in nutrimentum cedunt materiæ; ſive acrimonia hæc muriatica fuerit, ſive acida, ſive cujuſcumque generis, tum vellicare fibras nerveas poſſunt. Poſteà verò ſi ſolidorum vis, ſi naturæ robur, ne mechanica inde naſcatur læſio, obſiſtat, morbus nullus alius exorietur præter Melancholiam, quæ à functionum gravamine pendet, alacritatemque ſanitatis comitem deſtruit. Si lenta illa perpetuaque fiat nervorum vellicatio, poteſt inde naſci Melancholia nervea, ſæpiùs tamen in humoralem degener.

Sed ſi ab alienis à cibo condimentis nomen & titulus alimenti uſurpetur, nihil frequentiùs Melancholiam creat, quàm abuſus ſpirituoſorum liquorum, qui non uno titulo morbos invehunt, & noſtram Melancholiam ipſis quaſi præviam. 1°. Quòd acrimoniâ evidenti polleant. 2°. Quòd

dum liquoribus noſtris inflationem, rareſcentiam & turgeſcentiam conciliant, nerveas diſtendunt fibras. 3°. Quòd exactâ earum actione vaſis relinquant collapſum, quibus dum non ſatìs fulciuntur nervi, oſcillationibus variis & inconditis trahuntur. Unde difflatâ etiam eorum vi nocent.

Ad ſpirituoſa revocari poſſunt quæ venenorum aut medicamentorum titulo ingeſta, mutationem in nervis pariunt melancholicam. Sic morſus Tarentulæ araneæ ita ad nervos pertinet, ut ſoli inſtrumentorum muſicorum ſono eorum oſcillatio debeatur reſtituta. Non minorem hujus morbi mineram ſecum fert opium. Hoc trepidatione atque titillatione quâdam nervis inductâ, ſimul humores rarefaciens, alacritatem quidem corpori & quaſi fallacem & lenitate ſuâ deluſoriam pacem infert, at nervis, ſi in habitum tranſierit, eaſdem inſidias ſtruit atque ſpirituoſa liquida. Unde ubi lex vini uſum interdicit, ſupplet illi opium. Tantæ molis eſt humanæ genti rationem aliquandò ſopire & malorum oblivionem quovis pretio mercari. Huc etiam referenda eſt illius *Bangue* actio, ſeu ſolani furioſi, quòd Indos in ebrium furorem adeò concitat, ut ſæpè ex illius uſu miſerè moriantur, aut ſaltem ſtupidi atque imbecilles evadant. Unde ſævus ille & verè Aſiaticus mos apud Reges Indos valet, ut fratres, aut ſceptro invadendo proximos, temulentos illius uſu atque veſanos reddant, teſte gravi autore Bernerio.

Quædam ſunt etiam venena quæ nervorum actionem evehunt, intendunt, & indè errorem

menti conciliant. Talis eſt error ille qui confectionis Anacardinæ uſui ſuperveniſſe legitur; nam dum quaſi ſtupidus in ingenioſum verſus legitur, ſuſpicari inde facile eſt ingenioſò in furorem abeundum fore. Verùm licèt hiſtoriolam hanc pro fabulâ habendam non vetem, tamen certum eſt acribus, ſalſis, piperatis, aromaticis, odoratis quibuſcunque, moſcho, croco, à quibus vis narcotica non abeſt, ubi febrem non inducunt, poſſe tamen tonum fibrarum evehi, nerveamque induci Melancholiam.

Hinc alius cauſarum univerſalium ordo naſcitur. Vacuationes ſcilicet aut nativæ, aut Arte productæ, ſi repellantur, aut à Naturâ negentur, novus fit fibris tonus, aucta aut peſſumdata undè naſcatur actio. Nulla frequentior eſt Melancholiæ nerveæ cauſa in puellis, quàm eruptionem molientium menſtruorum ſuppreſſio aut retardatio, nulla in adultis vulgata magis, quàm hœmorrhoïdum refluxus. Quantumvis enim Melancholiam humoralem utraque minitetur retentio, priùs tamen agunt, ſive dum diſtendendo, ſive dum irritando acuunt nervorum actionem. Idem ſentiendum de fonticulorum, ſetaceorum, ſudorum, aut cujuſcumque criticæ & ſalutaris vacuationis ſuppreſſione.

Difficiliùs forſan intelligetur quî fiat ut inter certiores hujus noſtræ Melancholiæ cauſas recenſere poſſimus, nimias vacuationes ſeri, ſanguinis, urinæ, alvi, ſeu per morbum, ſeu per præpoſteram ſudoriferorum, catharticorum, applicationem, ſeu demùm per vulnera talis virium diſſlatio fiat. Nulla tamen cauſa aut conſtantior aut

efficacior, ſi harum vacuationum aliqua ſupervenerit inaſſueto. Verùm notandum eſt omne ſubitum in corpore humano violentum eſſe, & collapſum fibrarum eas ad tenſionem idcircò incitare, quod in hoc collapſu, virium tenor infirmatus, jam neſciat harmonicè agere. Adeòque ſibi mutuum robur dum fibræ non præſtant ideis novis mens jam percellitur, quibus abnormes motus correſpondent. Prætereà debilitatum corpus totum eſt in nixibus, nihil verò in effectu, undè angor, mœror, metus, mœſtitia. Certè dudum notatum eſt vulneratos & ſanguine exhauſtos Heroas, fieri puſillanimes, viribus corporis exhauſtis. Ab eodem principio intelliguntur nimiæ atque præpoſteræ Veneris effectus, in junioribus præſertim, quæ quidem eò certiùs Melancholiam nerveam inducit, quò liquor effuſus, pretioſus magis & nervis roborandis efficacior.

Hæc ſumma cauſarum Melancholiæ capita univerſum earum rerum quæ ex parte corporis ad eam concurrunt inducendam, ambitum comprehendunt. Nunc ipſa nos tractatio ad illas devehit, quæ mentem ipſam occupant, de quibus fuſior habenda tractatio, cùm è directo noſtrum morbum procreare valeant.

Harum quidem actionem ita palàm enodare, ut nihil omninò enigmatis ſolvendum ſuperſit, impoſſibile eſt, cùm ſcire omninò nefas ſit, in quo conſtet ſubſtantiæ ſpiritalis cum corpore commercium. Sed obſervatione res peragenda eſt, adeòque de inutili inquiſitione parùm erimus ſolliciti.

Cùm verò mens agit, actio ejus in corpus

refunditur. Sive ſeſe in aliquo immergat tota objecto, ſive doleat, ſive demùm animi affectibus extra tranquillum atque pacatum Naturæ ordinem abripiatur.

Quoties igitur quivis alicui objecto ita attendit, ut ſit totus in illo, tum mentis attentionem noſcit exprimere docta Pictorum manus, qui ab externis corporis lineamentis mentem ipſam exprimunt. Omninò ſcilicèt differt tum figurâ, tum membrorum poſiturâ, à viro qui languidulus & iners nihil omninò ageret. Oculi obtutu fixi, artus immobiles, functionum omnium languor, cum aliquâ conſtrictione, denotant auctum eſſe fibrarum omnium tonum, in facie præſertim, vibratilitatemque auctam. Hinc geſtus exoriuntur rei meditatæ adaptati. Hinc etiam res antè animo benè perceptæ atque peractæ, & meliùs & certiùs operari ſe ſinunt. Tum etiam experientiâ compertum eſt quòd quò magis mens meditationi erit aſſueta, ita etiam & meliùs & faciliùs meditabitur, ut exercitio habitus acquiritur.

Habitus etiam hujuſce tenſionis per meditationem auctæ, tenſionem immodicam ita inducit, ut de omnibus vel leviſſimis cauſis, in meditationem ruant homines, mentis errore. Fiunt melancholici cùm mens plus juſtò ſeſe afficiat, & motus indè correſpondentes in corpore concitet. Hinc Litteratis, Juriſconſultis, Geometris adeò familiaris eſt Melancholia nervea, ſi præſertim objectum circa quod meditatio fertur, eos aut amore aut odio afficiat.

Dolor verò qui in importunâ & vehementiſſimâ mentis ſenſatione conſiſtit, triſtes omnes

animi affectus ſecùm advehit. Si Naturâ major vires omnes & mentis & corporis proſternit funditùs, ſpaſmus, gangræna, mors brevì eum excipiunt. Sed ſæpè triſtem, etiam abactus & expulſus ſuî relinquit memoriam, verè melancholicam; hinc metus, mœror, animi atque corporis debilitas. Si præſertim crebrò repetens, lento conficiat duello, potiùs quàm ſævitie cruciatuum.

Sed ex Melancholiæ cauſis nulla alia frequentior, aut evidens magis, quàm quæ ab animi affectibus pendet, à quibus nullus eſt adeò ferus, aut adeò ſapiens, ut ſeſe immunem poſſit jactare.

In duplicem quidem & oppoſitam omninò claſſem dividendi ſunt. Vividi ſunt alii, & hominem ultrà rationis metam rapiunt.

Primus eſt ira furens, quæ hominem convellit, & eum fibris tonum addit, ut non geminatis tantùm, ſed multiplicatis in immenſum viribus, in hoſtes feratur homo, cujus ſtimulos incendunt, nunc clamor adſtantium, nunc tympanorum ſonitus & tubarum clangor; ita ut ſi ſæpè repetitis excitetur de cauſis, furor ille brevis; naſcatur in homine ferox barbaries, quæ ipſum feris potiùs quàm homini in ſocietatis commoda nato aſſimilet.

Quantumcunque verò iræ furentis effectus, ad maniam & furorem deducat potiùs quàm ad Melancholiam, quoties impotens ſuî fit aliquis, adeſt error mentis, qui vel leviſſimâ de causâ refricatus, in habitum vertitur. Iracundus ſemper, aut negata dolet, aut ſibi contumeliam illatam fingit, mordetur animus, frendet fremitu corpus, incenduntur oculi. Deos homineſque ira-

cundus incuſat, ſit Melancholia quæ quaſi baſin morbo præbet; erumpentibus hinc indè injuſtiſſimi furoris paroxyſmis, quaſi Melancholiæ mania conjuncta foret.

Alter è vividis animi affectibus eſt immoderata lætitia. Ei quidem ſine moderatione ſeſe tradere in hac rerum humanarum inconſtantiâ, levis eſt ingenii & jam ad errorem nati; ſed ſi inſperata ſit illa, ſi animum imparem ei ferendæ occluſerit & ita oppleverit, ut jam ad alia omnia cœcutiat, ita fibras ultrà tonum diſtendit, ut vel leviſſimi infortunii ſit impatiens. Sic inſanos anno hujus noſtri ſæculi vigeſimo, quo everſis multorum opibus, inſperata quibuſdam arriſit fortuna, multò plures ab auctâ quàm ab imminutatâ opum vi, inſaniiſſe vidit cl. Meadius.

At certè ſi quis ſanæ mentis in vanitatem rerum illarum humanarum, ſapienti oculo introſpexerit, ridebit ſanè quàm parum ſtet promiſſis fortuna ſterilis veri; mirabiturque quantum de communi ſenſu detrahant divitiæ, undè inexpleta cupido lucri, amiſſi querimoniæ, quæ mala neſcit pauperculus. Et id experientia confirmat; nam eos qui de pauperibus divites evasêre, videas ferè omnes melancholicos eſſe, ſeu quòd acutiorem ſenſum exciverit lætitia, ſeu quòd ſuis confidenti opibus, quòd antè vix moleſtum fuerat, evadat intolerabile.

Ex ſimplicioribus iſtis complicatis inter ſe, alia naſcuntur pathemata, ut amor & immoderata coeundi cupido, quæ ſexum utrumque ſæpè præcipitem agit,& eſt teterrima belli cauſa. Inſunt in eo ſpes, angor, zelotypia, bellum, pax rur-

ſùm. Sæpiùs tamen à vividis exorſus amor exordiis, atque vehementibus animi affectibus, in tardos abit & lentos.

De ſecundo illo affectuum genere quos tardos ideò vocamus, quia omnem videntur functionum ſingularum actionem tollere, non eſt quòd longiori tractatione agamus. Per ſe mœſtitia, metus, aliæque hujus generis affectiones melancholicæ ſunt, & tonum non ſolùm novum impertiunt fibris, ſed tonum, ut ita dicam, melancholicum.

Ne credas enim, ut quorumdam opinio eſt, ſupprimi ab inertiâ in hiſce mentis motibus tonum fibrarum. Strictæ ſunt illæ atque convulſæ, & præ ſtricturâ actioni impares. Hinc eſt quòd curæ leves loquantur, ſtupeant ingentes; hinc eſt quòd arrigantur horrore comæ, vox hæreat faucibus, geliduſque coeat, ſeu concreſcat præ ſtricturâ fibræ, ſanguis formidine. Hinc timor exanguis, hinc cordis tremor & palpitatio, hinc levis pedibus timor addit alas, quas gravis ſupprimit.

Affectus illi repetiti omnes in habitum vitioſum vertuntur, furtimque in Melancholiam delabuntur, quæ agitat & verſat undequâque debilitatam mentem. Melancholia autem illa habitum affectùs undè primùm nata eſt refert. Nec minùs indè intelligitur cur meditabundi & attenti uni objecto homines, ſi affectibus animi corripiantur, adeò facilè in Melancholiam vertantur. Quod quaſi endemium & ingenitum Anglis vitium dicitur.

Eæ quidem cauſæ quâ ratione poſſint Melancholiam ſimplicem inducere ſatis intelligitur.

Nec nova cauſarum ſeries invenienda eſt, ut alterius ſeu ejus in quâ nervorum actio peſſumdata eſt, elementa inveniamus. Differt enim hoc ſecundum genus à priori, quantùm differt actionis intenſio ab ejus perverſitate; ſed perverſio illa atque confuſio ſupponit ſemper auctum aliquatenùs tonum. Coincidunt ergo cauſæ, nec niſi levibus abludunt differentiis.

1°. Enim Melancholia ſimplex ad hunc gradum aucta, quo de ratione detrahat, in ſecundam it degener: cùm ſenſilitas universìm aucta, cauſas tamen inæqualiter agentes admittat, & pariter inæquales effectus in corpus refundat.

2°. Verò cauſæ omnes memoratæ, ſi diſcordes agant, & oppoſitâ & contrariâ actione in corpus ita incurrant, ut ab exceſſu ad directè oppoſitum effectum præcipiti gradu ferantur, jam non uniformi actione nervos intendunt, ſed divellunt quaquâversùm, & ut verbis uſitatis utar, convellunt. Fit ex memorato alibi mechaniſmo mobilitas ſumma, ſed abnormis, cujus exempla præbet hypochondriaca affectio, hyſterica labes, & reliqua mala quæ ab inordinato ſpirituum motu in Scholis repetenda dicuntur.

Ab illâ alternante cauſarum efficaciâ ingentia nervorum mala ſæpè pendent, quæ ſimul animo debilitatem & corpori convulſionem inducunt. Infames ſunt in Armeniâ, teſte Tournefortio, noctes gelidæ, quæ diei æſtum furentem excipiunt & nerveas fibras contrahunt, colici doloris, rheumatiſmi nomine, per uſtionem atque ignis applicationem ſanandi. Quod & Japonenſibus familiare. Imò etiam, Athenæi teſtimonio,

olim in Phrygiâ ſciaticæ affectiones per Muſicen ſanatæ fuerunt. Ab alternis caloris atque frigoris inſultibus apud nos, familiaris eſt puteorum mundatoribus, Tetanos convulſionis genus, celeri morte exitiale. Malum apud Indos & Orientales non infrequens, quibus in locis varias vices experitur intra breviſſimum tempus athmoſphæra, in Europâ verò temperatiore, ad artifices quoſdam ablegatum.

Alternæ pariter affectuum animi ſeſe mutuò excipientium vices tonum partium pariter infringunt atque peſſumdant, cùm nihil magis cognitum ſit experientiâ, quàm quòd partes variæ à variis afficiantur animi affectibus. Hinc qui ſubito terrore correpti, poſteà ad lætitiam converſi ſunt, ruptâ cordis motuum harmoniâ, cor mobile habent, ita ut ad timorem vel minimum motum tremat atque palpitet. Hinc nulli ſunt homines qui Melancholiam faciliùs capeſſant, quàm qui levis & inconſtantis animi, vitæ inſtituta ſine conſilio ſumpta, temerè pariter immutant, nunc in Ariſtippi præcepta delâbentes, nunc Stoïcæ ſeveritati addicti; hodiè magna omnia loquentes, Reges atque Tetrarchas, cràs menſam tripedem, concham ſalis puri & togam craſſam ſibi ſatìs habentes. Debilitas melancholica ferè ineſt illis qui à ſceleribus in ſuperſtitionem, à ſuperſtitione in ſcelera devehuntur. Nec ſcaturigo minus eſt peſſumdandis nervis idonea, in illis quos, dum malè patratorum conſcientia remordet, illicò, omiſſo medio, vitii fuga in auſterum vitæ genus non terroris vacuâ mente, præcipites ita agit, ut ſibi vel minima delinimenta recuſent; tantæ enim mutationi

mutationi ſuſtinendæ mens impar, & corpus nimiùm imbelle convellitur, concutitur, & totum ſubvertitur.

Illud mihi exemplum præbet vir ingenioſus, qui cùm juveniliter ſeſe & Veneri, & vino, & comeſſationibus omnis generis tradiderit, vitæque exercitatæ ſimul & voluptatum illecebris plures per annos inquinatæ; illicò ſubitâ pœnitentiâ ſeſe, & ſtudiis altioribus, & pietati auſteræ totum ſacravit. Hinc brevì in peſſimam incidit Melancholiam, ſeſe quovis morbo laborantem credens, & peſſimis capitis doloribus correptus quoties nimis indulgeret aut ſtudiis, aut orationi. Nec res mira foret viſa cuicumque audiiſſet narrantem, quot & quanta intùs pertulerit certamina, quot & quantis cupidinum aſſultibus ipſi fuerit obſiſtendum.

Objiciatur forſan, & quidem ipſo Hippocrate rationi ſuffragante, alternis hiſce viciſſitudinibus fibras roborari, reddique induratas, & mutationibus experiundis aptiores. Aſſentiemur quidem ſi res intra illos fines contineatur, in quibus rectum conſiſtit. Sed facilè virtus in vitium it degener. Si ſensìm indurentur fibræ, omnia vel maximè violenta diſcent pati, ſed ſi abſurdis violentiſque motibus convellantur, ipſius etiam convulſionis habitum induunt fiuntque in malo conſtantes.

Præthereà verò ut utriuſque Melancholiæ nerveæ nexus meliùs intelligatur, nonne aucta imaginatio in ipſo ſuo augmento perverſa eſt, quatenùs falſa ſibi fingit & pro veris effutit. A vitiatâ imaginatione nonne ſpaſmi imitando intra corpus

naſcuntur ? Ecquis dum violentè vomenti homini aſſidet, ſimiles nixus non experitur ? Quin etiam durum videtur illud negaſſe aliquid à matre utero gerente, in nervos fœtûs quaſi novo genere contagii afflari. Refert Digbœus Jacobum Primum, Angliæ Regem, alioqui fortiſſimum, diſtrictum gladium ſemper exhorruiſſe, dum eo Scotiæ Regina mater gravida, videt confodi ante pedes ejus provolutum Amaſium. Vidi juvenem tremore miſerando correptum, qui cauſam ſciſcitanti reſpondebat, id ſibi à matre communicatum, quæ gravida maritum intra ipſos luſus ſubitâ morte pereuntem exhorruerat. Novi virum quem ſubitò videas exanimari ſi coram ipſo longiùs de operatione Chirurgicâ loquaris. Uno verbo, quoſcumque videas, & plures occurrent, feles, canes, aves, araneas expaveſcêre, eos vitio imaginationi laborare, adeòque Melancholiæ reos pronuntiabis. Sæpè nativâ conſtitutione, ſæpè memoriâ rei in infantiâ peractæ novas imaginationi lædendæ vires ſufficiente.

Hæ ſunt præcipuæ cauſæ univerſales quæ utrique Melancholiæ nerveæ aditum præbent, undè noſtra devolvitur inquiſitio in peculiares, quæ ſcilicèt parti alicui affixæ totam convellunt machinam.

Circa has duo notanda ſunt. 1°. Nullam hîc de primâ ſeu ſimpliciore Melancholiâ rationem habendam eſſe, cùm cauſa ſingularis inæqualiter neceſſariò agat, & univerſum ſi afficiat corpus, illud ſaltem inæqualiter occupet. 2°. Hîç non adducendas eſſe eas cauſas, quæ ſuî tranſlatione valeant in hanc illamve partem ferri atque diva-

gari, cùm morbum conſtituant à Melancholiâ diverſum, ſed eas tantùm quæ à nervis unius partis affectis, quaſi irradiatione, aut vibrationis continuatione, partes alias afficiunt. Has autem ad ſequentia capita reducemus.

Primum conſtituet, irradiatio quæ à ventriculo orta, in omnes partes ita fertur, eoque impetu graſſatur, ut non abſurdè à neotericis quibuſdam pro centro ſensûs atque motûs habeatur. Alterum quæremus in obſcuro hepatis lieniſque ſenſu. Tertium à renibus. Quartum ab organis utriuſque ſexûs genitalibus. Quintum verò ab ipſius cerebri aut ejus membranarum vitiis.

Iis adjungi non poſſunt licèt ſæpè Melancholiam nerveam mentiantur, quia alios conſtituunt morbos, labes Venerea, ſcorbutica, & alia hujuſmodi venenorum intùs enatorum genera.

Nullum eſt inter animalis corporis viſcera quod potentiùs exerceat in nervos imperium, ſtomacho. Dolor ejus totum hominem uſque ad convulſiones ſubvertit. Illâ ſolâ causâ linquuntur ſæpè animo mulieres & viri fœminei. Nullum adeò viſcus odiis antipathicis ſubjicitur. Frequentiſſima habetur jure meritòque dolorum capitis cauſa. Virum novi qui ſi amygdalas ſaccharo obductas intra ſtomachum acceperit, dolet capite, angitur, melancholicus incedit plures per horas. Mulierem novi quæ oryzâ manducatâ in palpitationes cordis injicitur enormes, aut vomitu perſanandas, aut concoctionis toto intervallo perferendas. Imò narrabat mihi nuper Aulicus, ſe triſti occupatum per anni integri ſpa-

tium mentis errore, ſolis perſanatum fuiſſe ſtomachicis.

Jecinoris, lieniſque affecti ferè ſemper Melancholia comes eſt. Sed tum pro ſymptomaticâ haberi poteſt. Imò in hiſce viſceribus, ut alibi dicetur, latet humoralis Melancholiæ officina dives malorum. Sed de his loquendum erit fuſiùs in alterâ hujuſce noſtri operis parte. Quam verò renibus malè ſe habentibus, imò & in renali calculo extitiſſe vidi, nullo interim alio foràs prodeunte calculi ſymptomate, pro nerveâ Melancholiâ haberi velim. Attentiorem inter cauſas Melancholiæ ſingulares tractationem meretur, quæ à cerebro dependet. Per ſe enim Melancholiam nerveam poteſt inducere primariò affectum. Imò protractior meditatio in ipſam cerebri arcem videtur agere primariò. Ex clariſſimi Mekelii obſervatis huc uſque tamen vix cognitis, videtur in maniacis & melancholicis pleriſque ſubſtantia medullaris cerebri atque cerebelli, ad ſtateram levior fuiſſe. Verùm alia cerebri vitia malum hoc important. Vidi virum gravibus confectum laboribus & ingenti ingenii impensâ defatigatum, nullo alio morbo laborantem per annos integros, præterquàm Melancholiâ gravi, hæc ſubitò in lethargum abiit, mox in mortem. Hujus in aperto cadavere bullula ingens aquea corpori calloſo inſediſſe viſa, quâ functiones pedetentim labefactarentur; forſan aliquandò latex exundans fibras, & comprimit, & extendit; undè curioſa illa ab illuſtri Meadio ſcriptis conſecrata obſervatio, viri qui alternis hydrops, alternis maniacus evadebat, altero alterum pel-

lente morbo. Saltem in arte non novum eſt ab herpete retropulſo maniam naſci, irritante fibras ipſas cerebri, veneno; ſimili malo ægrotantem, artificioſa ſcabiei inſertio ad priſtinam ſanitatem reduxit. Quibus cauſis altera meritò poteſt adjungi, de quâ tamen nil certi dicendum habemus, mala capitis à nativitate conformatio, quæ ut ſtupiditatem creare, ſic etiam habitum melancholicum poteſt inducere.

Sed nullæ partes Melancholiæ nerveæ adeò feraces ſunt, ac illæ quæ aut recipiendo, aut ejiciendo ſemini, in utroque ſexu à Naturâ formatæ atque effictæ ſunt. Horumce organorum in utroque ſexu actio erethiſmum ſupponit, adeòque ſenſum exquiſitùm; undè omnis cauſa acredinem inducens erethiſmum hunc auget, tenſionem addit, quo totum corpus concutitur; cùm nulla ſit pars aut motûs, aut ſensûs capax, quæ non aliquid in cupidine Venereâ conferat. Nonne fervens amor, & libido quæ ſolet matres equarum furiare, errorem ſimul mentis & nerveam infert Melancholiam. Nonne veſanus haberi ille poteſt, quem, dum rapit in abrupta amor improbus, reclamare non poſſunt aut pudor, aut propinquorum amor, aut verecundia ad virtutem ſtimulatrix.

In his certè caſibus ſæpiùs Melancholia pro ſymptomate haberi poteſt, hinc adeò exoptata phtyſicis, licèt eos adeò promptè conficiat Venus. Vidi mulierem peſſimo ſcorbuto laborantem, conceptam à morbo cupidinem, per antiſcorbutica deponere; & notum eſt ab omni ævo, ſine Cerere & Baccho frigere illam. Sicut &

hodiè ſcimus aliquandò in effœtis & vietis cantharidum uſu exſuſcitatam fuiſſe, præpoſtero, imò ferè ſemper lethali conſilio.

Sed quanquam enata ab hiſce cauſis Melancholia principem morbum non conſtituat, alii ſunt homines quos ita miſerè effinxit Natura, ut per ſe in furias ignemque ruant, nec in præceps vitium abreptos, aut præcepta, aut lex animi motibus imperans, poſſit cohibere. Hi toto corpore tenſi, melancholici ſunt, imò & impendet miſerrima illa ſpecies, quæ hinc ab exhauſtis viribus, illinc à remordentis conſcientiæ aculeis pendet, necnon ſimul à repetito erethiſmi atque ſpaſmi habitu. Undè brevì in peſſima mala aguntur infœlices, nec minora quidem, ſi cùm jam natura peſſumdata eſt & fræna vix admittit, novam illi ſubitò & ſine gradu violentiam inferunt, præteritorumque ſcelerum, in præſenti melioris vitæ inſtitutione ſupplicia adhuc luunt,

# CAPUT V.

## *De Signis Melancholiæ nerveæ diagnoſticis.*

Cum Melancholia nervea à diverſo cauſarum impulſu pendeat, variis illudat formis, larvamque diverſorum malorum amet aſſumere, ſatìs intelligitur quantùm interſit Medici eam è latebris educere, latitantiſque veſtigia odorari, tum ne terrorem immeritum incutiat, tum ut Protheo injiciantur vincula.

Ut igitur certam firmamque poſſimus obtinere diagnoſim, ea apprimis ſigna inveſtiganda ſunt quæ ipſam præſentem demonſtrent, eâ abſente deſint; quæque ergo ejus eſſentiam conſtituant, & ab aliâ quacumque labe diſtinguant.

Hæc verò ea ſunt quæ tractationi noſtræ, ut & ægrotantium curationi baſin præbent atque fundamentum, ad quæ denique reliqua referuntur. Alia ſigna diversè eniteſcunt pro diverſitate agentis cauſæ; hæc verò quæcumque ſit cauſa quæ Melancholiam nerveam protulerit, ei ſemper comites & aſſeclæ ex rei neceſſitate eſſe debent.

Semotâ igitur & ad aliud caput ablegatâ cauſarum diagnoſi, ſymptomata quæ Melancholiam nerveam præſentem, aut pro vario gradu imminentem arguunt, quatuor capitibus comprehendemus.

Ea ſunt, primò, mentis debilitatæ error, ſeu mutata relatio mentis ad objectum quodcumque, ſive à ſenſibus externis ſuppeditatum, ſive

in ipſo intimo ſenſuum internorum promptuario enatum.

Secundò, motuum pariter animalium nova & relationi externæ minùs correlativa eruptio, ita ut motus illi jam non ex ordine Naturæ peragantur, ſed inconditi fiant, ita ut aut ideæ abſurdæ reſponſent, aut conditioni partis mobilis mutatæ.

Tertium nobis indicium ſuppeditabunt excretiones naturales, ſine ullâ causâ mechanicâ mutatæ atque perverſæ, ita ut mutatio illarum nulli cauſæ poſſit tribui, præter nervei ſyſtematis mutationem.

Quartò demùm ipſa poſt tonum auctum aut ex parte ſentientis partis, aut in ipſo mobili fibrarum genere ſuccedit neceſſariò, divulſis diſtractiſque fibris, atonia. Quæ nobis difficillimam inveſtigantibus diagnoſim quartum præbebit inſtrumentum. Quibus ſignis freti jam à vero aberrare non admodùm verebimur.

Licèt enim quatuor illa ſigna non eodem gradu quemlibet melancholicum infeſtent. Tamen certò pronuntiare audemus nullum eſſe melancholicum verè nerveum, in quo non concurrant aliquatenùs, aut ſaltem in quo non ſeſe mutuò excipiant; exemplo liceat rem confirmare Melancholiæ in leviſſimo gradu conſtitutæ.

Vocabar non ita pridem à Gymnaſiarchâ quodam ad inviſendum juvenem ſexdecim annorum, quem triſtitia ſine ullâ, ut videbatur, causâ invaſerat. Hinc non illibatam ſanitatem ſuſpicabatur Vir vigilantiſſimus; parum ipſi inerat appetitûs, triſtis incedebat, oculi cavi, arcuata ſu-

percilia. Ipſe de morte proximâ plura effutiebat. De nullo corporis dolore aliter queſtus. Lecto compoſitum tactu luſtrabam. Miratus ſum ſublata prætermodùm hypochondria. Sciſcitatus an aliquid in naturalibus vacuationibus mutati eſſet, eam vim ſæpe effluere urinæ narravit, undè ipſe quaſi debilis propè in agendi impotentiam delaberetur. Ipſi melancholicum eum eſſe declaravi; quænam cauſa eâ in ætate malum inſolitum importaſſet interrogans, tum ille multa de Præceptore conqueſtus qui ipſum puerilibus excepiſſet loris, hinc mutationem Magiſtri neceſſariam pronuntiavi. Quâ factâ ſimul diluentibus & balneis adhibitis, brevì convaluit.

In hac certè hiſtoriolâ leviſſimum erat morbi noſtri genus. Nullum tamen eorum ſignorum abfuit, quæ evidentiùs & manifeſtiùs in majori morbi gradu eluceſcunt.

Illa igitur nunc nobis attentiùs luſtrare licitum erit, eaque ad dilucidiorem præſtandam diagnoſim ponderare.

Mentis quidem error à quo potiſſimùm prima Melancholiæ ſigna petuntur, gradu ita differt, ut in quibuſdam caſibus vix adeſſe videatur, in graviſſimis verò, aut ſubitò ingruentibus, pro phrenitide vix non habeatur.

Leviſſimus eſt, nimia ſenſilitas, cùm quis à timendis nimiùm & ultrà virilem conſtantiam terretur, & à moderatione alienus, gaudet nimiùm ſerenis rebus, dolet nimiùm adverſis. Tunc mens errat, ſed ita levi defectu, ut rationem errori rectè prætexat. Imò in multis hominibus quaſi nativa eſt hæc nervorum conſtitutio. In hac le-

viſſimâ nerveâ ſenſilitate, natura ſeu juris eſt, & ad vitæ inſtitutum refertur. Sic viri probitate inſignes, ævi malitiam duriùs coarguunt. Μισανθρώποι fiunt. Reformidant acriùs paupertatem divitiarum cupidi: pro dulcibus amoris illecebris zelotypiam mutuantur amatores. Litterarum ſtudiis dediti, corruptam ſcribendi normam præſenti ævo incuſant, & nil niſi præterita laudant aut amant. Hi omnes ſæpè lætitiâ extrà ſe feruntur. Sed cùm nil æquale habeant, importunus citò adeſt ad mœrorem reditus. Gliſcit ſenſìm malum, & dum error errorem parit, brevì veritas illuſioni locum cedit, cujus effectus eſt ut omnia majora aſpiciantur quàm fert ipſa Natura, & ut comparatione rem expedire liceat non aliter quàm cùm ſonoris locis vox excepta indèque reflexa, graviſſimum ſonitum producit; ſed meliùs adhuc conferri poteſt primus nerveæ ſenſilitatis auctæ gradus cum puerilibus pavoribus, quæ ſibi per noctem fingunt viſa aut exaudita rerum monſtra.

Ille autem mentis error, ſine ullâ febre, ſine ullâ læſione mechanicâ atque organicâ functionum, pro varietate cauſæ, nunc leniùs ſæviens & quaſi in habitum verſus, per ſe durat; nunc per paroxyſmos recrudeſcit, tuncque multò ferocior eſt. Sed ſemper ſuâ ſimplicitate ab aliis deliriis diſtinguitur. Vix enim rationis uſum adimit, & ad ſe revocatus homo non modò ſe deliraſſe non confitetur, ſed prætexere cauſam rationalem delirio quærit, quanquam ſe plùs juſtò ſenſilem agnoſcat. Interim enitet ſemper aliquid quod ſtatui naturali etiam evecto non concordet.

Sive quòd illa mentis concuſſio iiſdem horis revertatur quotidiè, ſive quòd ſpaſmi aliquid ſecum invehat; ſive etiam quòd ſemper circa idem objectum verſetur, aut demùm quòd à præſentiâ alicujus objecti advocetur, non ab alio; quæ omnia & ſingula aliquam mentis læſionem ſignificant.

Ubi verò diſcordes fibræ, objecta externa, non jam qualia effinxit Natura, ſed aliquâ deformata labe, animo objiciunt, non difficilis quidem eſt diagnoſis, ſed morbum tenaciorem magis inveteraſcentem, aut à graviori causâ ortum, deſignant. In genere omnis affectio animi quæ nimiopere animum occupat, error eſt mentis, ſed ſi nimius eſt, ſi ad deſperationem uſque & omnimodam animi deſponſionem fertur, jam abſurdus eſſe incipit, jam de ſtatu ſano hominem prorsùs dejicit, necnon res eadem tenenda eſt, ſi circà leviſſima ingens ille affectus verſetur, ſi circà res prorsùs inanes & merè vanas animus delirè ita occupetur, ut prorsùs imaginatio conturbetur.

In earum autem cauſarum quæ delirum prorsùs hominem efficiunt, impreſſione, antequàm de morbi ſtatu aliquid pronuntietur; notandum eſt, ſedulò attendendum eſſe an non cauſa vehemens & ſubita hominem conturbaverit, & omninò inſanire fecerit; adeſt enim tunc Melancholia nervea, ſed quaſi acuta & brevì deferveſcens, & facilè perſananda. Quotidianum eſt ubi affectus aliquis fortiter mentem perculit, quòd, quaſi continuatâ vibratione reſonaret adhuc undulatio, mens circà illam deliret ſum-

mâ cum vehementiâ, donec prorsùs reſederit. Quod ſeriùs aut ocyùs fit pro impreſſionis vehementiâ, aut pro debilitate mentis affectæ. Sic cùm fugax Athenienſium Orator, pugnæ & mortis metu perculſus, vitam ſupplex à vepribus pallium apprehendentibus expoſcit, præ metu furit. Eadem dicta ſunto de gigantibus quos minaces in irâ meticuloſus noctu videt viator. Spectra, monſtra omnis generis, lemures, portenta Theſſala, à debilitate mentis traxêre originem, & fecêre inſaniam. Sed morbus hinc meritò arguitur fortis & vehemens, non tenax. Memini me vidiſſe puellam plures per dies delirantem, cum oculis torvis attonitoque vultu, quòd noctu inter ſomnium ſeſe in tartara præcipitem, & à cacodæmonibus vexatam ſomniaſſet. Vigilanti, niſi quis adeſſet, licèt de vanitate ſomnii piæ mulierculæ conſtaret ſatis, illicò convulſiones aderant, & ad minimum ſtrepitum trepidationis motu correpta, ejulabat. Id quidem paucorum dierum tranquillitate omninò pacatum fuit. Sed eadem decem poſt annos aliâ de causâ in inſaniam abiit, meram & vinculis coërcendam, quâ etiam nunc laborat inſanabilis.

Morbus quidem ille levis eſt & ſanatur facilè, ſed ſæpè ſub ipsâ ſenſorii communis arce quædam remanent veſtigia, quæ refricata veterem refovent inſaniam. Novi hominem & quidem bellis aſſuetum, qui cùm plures vidiſſet homines uno fulminis ictu interemptos, totus in preces & vota timidus ſolvebatur quoties excuteretur fulmen. Alium ſcio, & quidem ſummæ in animâ conſtantiæ, qui vividâ olim electricâ concuſſione

commotus, vehementer & mechanicè convellitur ſine ullo mentis terrore, quoties fulgura aut tonitrua atmoſphæram incendunt. In hiſce caſibus latet cauſa morbi intùs in corpore vivax, exterioribus corporeis conditionibus excitanda.

Sed delirium noſtrum melancholicum ſenſim ſine ſenſu increſcens, morbi melancholici varias ſortitur periodos, nunc perpetuum & ſine intermiſſione, ſed tunc nunquam vehemens, quod gravem cauſam nervos vellicantem arguit eorumque tonum in intimâ ſuâ ſtructurâ peſſumdatum. Nunc quaſi novâ accedente causâ renovandum, quod levius eſt, ſed non ſemper facilius ſanationi quàm quæ graviora. Nunc, quod peſſimum eſt, perpetuò occupat, ſed per paroxyſmos identidem recrudeſcens; aliquandò imò ſæpiùs circa unum objectum aut amoris, aut odii quaſi concentratum; aliquandò circa varia quævis fertur verſatile, & omnes æquè ideas occupat. Hæc certè omnia deliriorum objecta nihil in genere morbi, imò nec in ſpecie immutant. Causâ certè tantùm occaſionali differunt.

Verùm delirio melancholico ſemel poſito, dubitari poteſt an à causâ ſpaſmodicâ pendeat, an ab humorali origine. In eâ quidem diagnoſi formandâ lucem nobis afferent ea quæ in alterâ hujus Operis Parte de hacce delirii ſpecie dicenda erunt. Interim tamen notetur attendendum eſſe in hac diſquiſitione, 1°. ad cauſas quæ in utroque morbo diverſiſſimæ ſunt, & quæ non poſſunt confundi, ſi jam progreſſu morbi facto perpendantur; 2°. ad locum quem morbus uterque occupat, multùm à ſe invicem diſcrepantem

ſaltem pleriſque in caſibus ; 3°. ad concomitantia ſigna quæ mechanicam læſionem in delirio humorali deſignant, exiſtuntque etiamſi nullum exiſteret Melancholiæ indicium. Dum contrà in nerveo nihil non intacti nervis exceptis reperitur, ut ſanitas illibata perſtet in hoc morbo, in humorali contrà Melancholiâ omninò læſa ſit. Sed ipſa delirii forma differt etiam in utroque morbo aliquatenùs, cùm multò tenacius ſit & in unicâ ideâ multò magis fixum in humorali, ita ut ab illâ ſe vix patiatur avelli, unico igitur affectui victimam ſeſe tradat æger, nunquam indè dimovendus aut precibus, aut ratione ; contrà verò qui nerveo tantùm delirio laborant & intervalla lucidiora habent, & ſeſe ſæpè aut delirare, aut ſaltem deliraſſe confitentur. Imò planè reſipiſcunt, quod rarò omninò contingit iis quos atra bilis vexat & cogit inſanire.

Tertiam forſan delirii ſpeciem conſtituunt affectiones illæ in quibus delirium nec merè nerveum reperitur, nec tamen ab atrâ bile pendet. Talis eſt amentia illa quæ à venenis alicujus & determinatæ ſpeciei pendet, cujus exemplum ſufficere nobis poſſunt hinc Tarantulæ morſus, illinc hydrophobia.

Utraque morbi ſpecies à veneno ſui generis omninò pendet, & licèt muſices effectus in Melancholiâ nerveâ nullatenùs contemnendi ſunt, ut fusè exponere eſt animus, cùm de morbi noſtri curatione agetur, tamen nullus alius eſt morbus qui defatiganti ſaltationi adeò promptè cedat atque Tarantiſmus.

Hydrophobia verò quæ à morſu animalis ra-

bidi contracta hominem in hunc furorem conjicit, qui eum vel ferociſſimis comparandum faciat animalibus, ut liquida quævis exhorreat, & ad illorum aſpectum expaveſcat, morbum ſui generis conſtituit, à nerveo diverſum delirio, licèt nervi potiſſimùm & vehementiſſimè patiantur, & quamvis negaſſe difficile ſit, aliquandò ſimilem labem exortam ab interiori vitio, tamen & cita lethalitas & vehemens inflammationis ſtatus qui in hocce morbo adeſt, eum ab utroque facilè diſtinguunt. Hæc de delirii diagnoſi dicta ſunto, quibus patet quantùm recedamus ab illuſtri Sydenhamo, qui inter diagnoſtica affectionis hujus noſtræ ſigna deſperationem atque animi deſponſionem numerat. Quamvis enim negare non ſit animus ſæpiſſimè ad id genus verti delirium, tamen illud non ex ipsâ rei eſſentiâ in hoc morbo concurrit.

Secundum ſymptomatum genus quod huic morbo proprium eſt, & ad ejus præſentiam dignoſcendam concurrit, eſt mutata relatio motuum, ſeu muſcularium, ſeu tonicorum ad objecta in corpus aut mentem agentia. Motus illi aucti aut peſſumdati, ſpaſmum aut convulſionem conſtituunt. Spaſmum à convulſione, ſi diſtinguere volueris, formam mali, non malum ipſum diviſeris. Spaſmum vulgò aiunt conſtantem tractionem. Alternum motum in convulſione agnoſcunt. Nobis res eadem diverſo vocabulo expreſſa erit.

Nullum porrò eſt Melancholiæ ſpaſmodicæ genus, quod non plus minùſve motuum aut vividiorum, aut abſurdorum, attento Obſervatori exhi-

beat, ſive illi mentis errori concordent, ſive etiam ab illius actione pendere dici non poſſint.

Hinc exoritur, ſi ſymptomatibus credas, nova Melancholiæ diviſio, alia præcipuum ſymptoma, à mentis errore mutuatur, ſine manifeſto motuum ſpaſmodicorum concurſu, alia verò motibus inconditis agitatur atque convellitur, vix ullo concurrente mentis errore; niſi quod motuum relatio ad ſenſus vividior ſit; undè illorum actuoſam magis impreſſionem augurati pronum eſt. Motuum verò irregularium, ſeu ſpaſmi ad mentis ſtatum comparata relatio, gradum morbi deſignat; iique motus ſummis inter ſe intervallis differunt à leviſſimâ ſcilicèt convulſione, ſeu potiùs commotione, ad ſpaſmos multiformes & totum penitùs hominem miſerrimo modo concutientes.

Primum ſpaſmodicæ agitationis gradum conſtituunt ſubſultus illi, qui ad ſtrepitum inexſpectatum adſunt. Cordis palpitationes ſeu tremores, dolores ad ventriculum, retractiones artuum qui ad fragorem aliquem concitantur, tremor aut infans pudor ad verendi Viri aſpectum, aut formidati præſentiam. Melancholica enim eſt timiditas nimia. Tum odia illa quæ aut ſtomacho nauſeam, aut auribus ac dentibus ſtridorem vel ſtuporem incutiunt, aliaque hujuſmodi plurima quæ quotidiè occurrunt. Nec minùs ſpaſmodicum eſt omnia etiam juſſa præcipitantiùs & quaſi ex temerariæ mentis inconditâ agitatione peragere, nec ſibimet ipſi imperare, ſed ad heri aut amici nutum ſubſilire, & impetu agi potiùs quàm

quàm ratione agere. Spaſmodicum eſt etiam in lacrymas ſolvi, eâ de causâ quæ in conſtantem virum non agat, undè id mulierculis & pueris familiare qui debilem & ſpaſmo obnoxiam à Naturâ texturam corporis accepêre.

Diſtinctior adeſt ſpaſmus in injuſsâ illâ palpebræ nictitatione, quam Gallicè vocant *la Souris*. Nec minùs ſpaſmo laborant quibus ſolitum eſt frontem injuſſis caperare minis, aut rugis exarare.

Uno gradu magis melancholici ſunt, qui ſuſpiriis, oſcitationibus, pandiculationibus contrà nitentes vexantur. Sputa frequentia, oris diſtorſio, pavores per ſomnum, ſubſultus inſidentibus, & ſine ullâ causâ externâ ſurarum convulſio crambe dicta, ſpaſmos jam invaluiſſe denuntiant, & ab illis præ foribus adſtare judicare poteris convulſiones veras atque plenarias, quæ hyſtericis adeò frequenter accidunt.

Ex his porrò ſatis luculenter apparet quàm difficile, ſit ſibi mentis errorem, ſine aliquâ convulſionis ideâ, fingere, & viciſſim ſpaſmum intelligere ſine aliquo mentis errabundæ concurſu; ſed fatendum eſt illud in his ſymptoma prædominari, delirium in aliis. Verùm ut aliquandò delirium per intervalla tantùm reviviſcit, ſic ſæpiùs ſpaſmi, ingentia relinquunt intervalla, quibus refectæ vires poſſint tantum laborem tolerare. Ita ut in convulſione duplex diſtinguenda ſit morbi forma. Prior eſt, ſtatûs convulſivi in quo vix ulla datur quies, ſed ſpaſmus lenis eſt, ut vidi multas à terrore ſubito, in reliquam vitam, tremorem vel ab ipsâ infantiâ, imò, ut ita dicam, à matris

utero ad uſque decrepitam ſenectam protraxiſſe. Altera verò paroxyſmis ſpaſmodicis conſtat, vehementiſſimis illis, & totam machinam conturbantibus, ſed qui ex ipsâ fibrarum conſtitutione ceſſant, defatigatis & diſtractis illis, jamque ad ſpaſmum imparibus. Sed renovabile malum eſt, cum ipsâ fibrarum roboris renovatione. In paroxyſmis illis ſpaſmodicis nunquam mens conſtat, ſed poteſt integra ſartaque ſarvari in intervallis, dum mobilis tantùm pars, quieta attactum vel minimæ lædentis cauſæ timet, prompta & facilis in vehementiſſimas convulſiones erumpere.

Jam verò ſingula convulſionum variarum genera quæ tot & tam diverſis illudunt formis, quæ oculos tot monſtris obtundunt, enarrando perſequi, ut operoſum foret, ſic prorsùs inutile ad eam quam proſequimur diagnoſim, multique alii in iis deſcribendis inſudavêre, nec jam omnes expediêre quibus adoriuntur latebras. Harum ſi quæ aliquid ad cauſæ diagnoſim conferat, eam ſequenti capitulo proſequemur veſtigiis magni Sydenhami inſiſtentes. Sufficiat hîc agnoſcere nullam eſſe ferè larvam quam non induat verſipellis Protheus, ita ut vel expertiſſimo Medico fucum faciat & anxiam dubitationem, ſi non iterùm iterùmque attentus lucem ſibi quæſiverit, 1°. ex ipsâ perſpectâ dudum ægrotantis naturâ; 2°. ex invaſione morbi qui cæteris acutarum ægritudinum principiis nihil ſimile profert, ſed ſubitâ invaſione ægrum afficit; 3°. ex ſymptomatum concomitantium irregulari concurſu, cùm jam illa ſibi nullatenùs mechanicè reſponſent; 4°. ex

ipſâ ſpaſmi præſentiâ qui ſeſe prodit in hac illâve parte; 5°. ex causâ præcedenti perceptâ atque cognitâ; 6°. demùm ex qualitate excretionum. Liceat verò ad pleniorem diagnoſim ſingula hæc ſigna quærere in apoplexiâ ſpaſmodicâ, morbo forſan non ita raro.

Mulier viginti circiter & quinque annos nata, jamdudùm ſummâ mobilitate prædita, menſtruis inſtantibus, aliquâ perturbata mœſtitiâ, loco ſolitæ vacuationis, oris diſtortione, ſomnolentiâ altâ, lateris unius paralyſi corripitur. Uterus & tenſus erat, & dolore manifeſto ad tangentis manum afficiebatur. Subſultus aderant in tendinibus etiam partis paralyticæ, & vultus præter modum atque rationem lividus, impeditum ſanguinis per venas jugulares regreſſum arguebat. Ipſa ſi è ſopore excuteretur mœſta & anxia. Plures per dies ſtatus iſte perduravit; ſed eam ſolvit inſperatus ſucceſſus. Etenim cum aliquâ partium omnium convulſione illicò & ſuî compotem, & artibus omnibus exercendis parem fecêre menſtrua quæ copioſiùs fluxerunt.

Alterum exemplum ſpaſmi nervei plures per annos perdurantis, mihi fecit nobiliſſima mulier, nullo alio vexata morbo præter colli ſingularem omninò diſtortionem, quæ ſterno-maſtoïdeo muſculo evidenter convulſo debebatur. Cujus ſi ſemel ſuperata eſſet reſiſtentia per vim quamcunque externam, tunc alter oppoſiti lateris ſui juris erat, motuſque debitos peragebat; inutilis indè factus quòd alterius ſeu oppoſiti tonus admodùm auctus, reſiſtentiam illius vinceret. Hæc ſemper quidem collo diſtorta erat, ſed ſi aliquid eam

perculiſſet, illicò magis diſtortam, & in ipsâ diſtortione tremulam vidiſſes. Morbus autem in animam imbellem ex tædio, indèque orto vitæ faſtidio inciderat.

Tertium verò ſymptomatum genus quod univerſis morbi cauſis, adeòque toti morbo competit, eſt excretorum humorum ſive ordine, ſive Naturâ perverſio. Sydenhamus quidem accuratiſſimus Naturæ aberrantis Obſervator, quaſi univocum univerſæ tum hyſtericæ, tum hypochondriacæ affectioni ſymptoma, recenſuit urinæ limpidæ ac tenuiſſimæ copioſam effuſionem. Et reverâ frequentiſſimum eſt accidens illud, ita ut rarò abſit; in gravioribus tamen ſpaſmis ſæpè nulla vel guttula cujuſcumque ſecretionis obtinetur; relaxato verò ſpaſmo tunc affatim omnes exeunt, ſed craſſæ, turbidæ, jumentorum urinis ſimiles urinæ. Imò deeſſe aliquandò vidi urinam, ejuſque defectum ſuppleri à frequenti & tenui pariter aqueæ ſalivæ excreatione; à ſucci aut pancreatici, aut ſtomachici ingenti vi per vomitum excreati, aut demùm à lacrymarum exitu copioſiſſimo qui ſpaſmos leviores ſæpe in mulieribus comitatur. At ſi gradus major ſit ſpaſmi, omnia occluſa ſunt. Sic vidiſſe me mulierem memini, cui ſpaſmus fauces & guttur occupaverat, urinam, ſalivam, fæces per hebdomadem integram ferè omninò ſuppreſſas paſſam fuiſſe.

Quartum demùm ex univerſalibus ſymptomatibus, quæ toti morbo conveniunt, eſt atonia, ſpaſmo oppoſita, & tamen ita neceſſariò conjuncta, ut eum ſequatur, ſive levem, ſive gravem ſuppoſueris. Atonia gravis ſequitur vehementes

ſpaſmos, levis leves excipit. Sed nemo eſt qui aliquid convulſivi expertus fuerit, qui non impotentiam ad actionem in parte ſpaſmo antè affectâ non experiatur. Diſtractas ſcilicèt atque divulſas ſpaſmo fibras relaxari neceſſe eſt; & eò quidem magis quò plus diſtentæ fuerunt. Hinc melancholicos atque hyſtericas, excepto ſpaſmi tempore, plus minùſve atonos reperiemus. Et cùm vehementia ſpaſmi ſæpè ſit breviſſima, longiorem poſt ſe relinquit atoniam. Undè etiam famoſa eſt apud Autores ſpaſmorum illa revulſio, in quâ dum partem aliquam deſerere videntur; & in aliam diſcurrere, quaſi paralyticus videtur artus quem ſpaſmodica vis deſeruit. Hinc factum ut inordinatus ſpirituum fluxus, dum in unam partem violentiùs irrumpit, alias diceretur deſerere. Ingenioſâ quidem hypotheſi, ſi in negotio per obſervationem ſolam diſcutiendo, aliquid ingenio tribuere liceret.

Hac freto diagnoſi non admodùm erit difficile intelligere, undè repetenda ſit tanta ſymptomatum continuò oculis illudentium farrago? Cur tanta diverſitas ut eodem morbo laborantes oppoſitis inter ſe affectibus conflictari videantur? Cur nunc virium immanis & ferè creditu major cumulus? Nunc contrà debilitas atque infirmitas nimia? Cur ſpaſmus hos exerceat, illos atonia? Cur ſpaſmus in unâ parte, atonia in alterâ? Quî fieri poſſit ut ab apoplexiâ tranſeant in phrenitidem, à phrenitide contra in pleuritidem? Uno verbo, quaſi nictu oculi omnia in machinâ humanâ poſſibilia ſymptomata decurrant?

Nec minùs intelligitur à remotâ morbi causâ

ad diagnoſim conſtituendam tantùm concurrente, qui fiat ut morbo noſtro ſoli & univerſo competat, nec ulli alteri, ut à vehementiſſimis, & quæ evertendam machinam minarentur ſymptomatibus ſubitus quaſi fiat in optimam ſanitatem tranſitus. Remanet enim atonia, ſed in ipsâ atoniâ nihil morboſi eſt.

Nec te magis fallet quid ſit habitus ille nerveus, in quo aut aucta, aut perverſa nervorum actio, cauſæ exterioris impulſum expectat, ut quaſi exploſione factâ omnia incandeſcant; quid ſit paroxyſmus nerveus. Ex utroque tum habitu, tum paroxyſmo inter ſe collatis, gradus morbi ſancitur atque definitur. Nam morbum habitu fere nerveo conſtantem paroxyſmis vix interſtinctum nunc reperies, nunc contrà volatilem quaſi, & vix extrà paroxyſmos exiſtentem. Raró prior convulſionibus fœtus eſt, raró alter delirium pro comite habet. Sed ut in priori convulſivo delirii aut ſaltem erroris in mente ferè ſemper aliqua nota ſubeſt, ita ſubgliſcit poſteriori aliquid levioris convulſionis. Tum veró ſatis prænuntiare valebis quòd quæ paroxyſmis conſtat vehementioribus Melancholia nervea, ſpatio medio intereà tranquilliori, causâ externâ indiget ut excitetur, quæ contrà rarioribus paroxyſmis conflatur, ſpatio medio ad morbum magis inclinante, cauſam habet altis fixam radicibus & ex ipsâ pendentem corporis conſtitutione.

# CAPUT VI.

## *De Signis diagnoſticis variarum Melancholiæ nerveæ cauſarum.*

Quantumcunque varia ſint ſymptomata, quibus oculos perſtringit, ludum crudelem pertinax ludere affectio nervea, nec ipſa ejus eſſentia poſſit niſi à ſuprà memoratis deprehendi, non minùs tamen ſingularia ſigna, ſummo ſtudio atque accurato labore expendenda ſunt, cùm ſæpiùs morbi cauſas, nata ſint indicare, quibus aut avertendis, aut etiam profligandis non minima artis pars impenditur. Scilicèt notam conſtantem & vix facilè delendam inurit cauſa, quâ poſſit latens illa arripi, dum corpus jam labile in hoc illudve ſymptomatum genus præceps agit. Undè à ſymptomate cauſam hariolamur. Nec morbi ſolùm, ſed cauſæ habebitur diagnoſis. Quod quidem propoſitum jam à Sydenhamo feliciter auſpicatum perſequi conabimur.

Quod autem magis operæ noſtræ pretium facit, eſt quòd cauſæ ipſæ & multiplices ſint, & latè extendantur, tum verò quòd ab aliis morbis pendens, medicanti ſæpè tenebras offundit affectio noſtra. Undè factum, ut aſſerere non dubitaverit Sydenhamus, in eâ duas tertias morborum chronicorum partes contineri, quòd tamen in Angliâ morborum nerveorum feraciſſimâ verum, non adeò Galliæ noſtræ competit.

Cauſæ autem omnes Melancholiæ nerveæ excitantes, quas alibi retulimus, ad tres claſſes revocari poſſunt, quarum prima eas continebit cauſas quæ intrà corpus admiſſæ ita in nervos agunt, ut unaquæque proprium ſibi ſymptoma, propriam diagnoſim vindicet. Secunda eas complectitur quæ ſenſus primariò afficiunt. Tertia demùm earum eſt quæ alicui parti inhærent, undè & morbus mechanicus, & affectio nervea eodem paſſu increſcant, ſibique vires mutuas præbeant.

Prius cauſarum genus in retenta aut in intromiſſa dividitur. Retenta ea ſunt quæ excerni ſolita, ab aliquâ causâ cohibentur, ut ſunt alvi, cutis atque veſicæ excrementa; bilioſa, ſalivalia recrementa. Tum morbi cutanei, quorum quidem ſuppreſſio ſenſibus evidens, non indubitata ſuæ abſentiæ ſigna obtinet. Sed ſi Melancholiæ inducendæ faveant, diagnoſim ex tribus ſignorum claſſibus trahent. Primò quidem pars ipſa per quam fluere inſtitutus eſt liquor, gravamine, plethorâ, inflammatione afficitur, tum partes quæ ipſi compatiuntur, præcipuè vacillant; nec niſi tertium locum obtinent quæ Melancholiam univerſalem deſignant. Exemplo ſit quæ à retentis menſibus pendet; crura, lumbi, uterus, veſica primos in ſe ſuſcipiunt affectus. Tum picâ, malaciâ, nauſeâ, convulſionibus afficitur ventriculus, ab illò inteſtina volvulis cruciantur, imò & ad fauces uſque famoſa illa ſtrangulatio & ſuffocatio extenditur. Familiare eſt ipſis ex Sydenhami obſervatione, ex anteriore capitis parte dolere; dum intereà ex ejuſdem dogmatibus

affecto utero ſæpè nervea epilepſia exoritur.

Capitis interiora, dolore obtuſo, thoracem aſthmate, cutem ictero afficit, alvus durior ſi nerveam affectionem inducat; inteſtina verò volvulis affici ipſi morbo primarium eſt. Idem ſit judicium de reliquis retentis, quorum diagnoſin ultrà perſequi, utpotè ſatis manifeſtam, inutile eſt.

Multò magis ambiguam nobis offerent inquiſitionem, quæ ab admiſſis intra corpus pendent, ſive alimenti, ſive medicamenti, ſive veneni titulo, cauſa Melancholiæ nerveæ irrepſerit.

Ex notitiâ actionis ſingulorum medicaminum facile eſt intelligere, quòd ſi affectionem nerveam poſſint inducere, ea ſemper illas partes afficiet, in quas præcipua deſævit violentia. Sæpè autem illæ à centro actionis medicamenti diſſitæ ſunt, & ex ipsâ medicamentorum hiſtoriâ depromuntur. Sic helleborus dum ventrem ſolvit, fauces ſtrangulatione ſpaſmodicâ afficit. Sic aloës anum & ani venas reſolvit; cantharides dum veſicam ſpaſmodicè inflammant, thoracem & delicatulas tracheæ partes prorsùs intactas relinquunt. Vis porrò illa ſpaſmodica, in quâ forſan univerſa conſiſtit medicamentorum actio, ſi repetita nervos in convulſivum habitum traxerit, neceſſe eſt ut priſtinæ cauſæ retineat caracterem, altèque eum corpori inurat.

Frequens verò purgantium, ſialagogorum, apophlegmantiſantium, reliquorumque vacuantium abuſus, & ſingularia affectis partibus ſymptomata concitant, & ſimul univerſalia quaſi vacuationi dicata ſigna ſibi vindicant.

Scilicèt quicumque à nimiis vacuationibus exhauſtus in affectionem nerveam incidit, habet mixtam cum irritatione atque ſiccitate nervorum debilitatem : &, ut cum Veteribus loquar, exhauſtos ſpiritus experitur. Hi, aridiore fibræ tono in ipſis conatibus ad actionem convelluntur, & auſis vel mediocribus excidunt.

Quanquam autem horumce medicamentorum ſolus habitus vulgò noceat, viſum tamen eſt aliquandò in corpore prædiſpoſito, à ſolo præpoſtero unius purgantis uſu inductam fuiſſe nerveam ſummo gradu Melancholiam. Terribile ejuſmodi exemplum vidi in Viro amore litterarum celeberrimo, qui dum de languente ventriculo conqueritur, Pharmacopolam adit, à quo pulverem purgantem accipit horâ ſomni hauriendum. Dolores ab eo enormes in ventriculo enaſcuntur, ad inteſtina brevi communione nervorum extenti. Hinc vomitus enormes & alvi profuſio, cum cruciatibus vix enarrandis, tales, ut totum hominem in liquorem diffluxurum crederes. Tum venter intrò retractus, hypochondriis ſublatis, ſimulque mentis error ad imbecillitatem vergens enervatis & memoriâ & imaginatione, ægrum ita occupavêre, ut nonniſi furiis atque clamitationibus horrendis ab hoc veterno retraheretur. Intereà oculi concavi, nares retractæ, macies horrenda, per integrum duorum annorum ſtadium ita afflixêre miſerum, ut exhauſtis pedetentim viribus, ab exhauſtione ſuccubuerit aridus, diaphanus ferè, exſiccatus, & nullam ferè niſi à ſpaſmis exiſtentiam mutuatus.

Forſan herclè à quotidiano hodiè & penè in naturam verſo vacuantis nares Tabaci uſu, frequentior hodiè quàm olim nervea affectio. Certè fœminam novi nobilem, quæ dum tabaco abutitur hyſterica eſt, dum eo caret, ſpaſmis etiam caret, quod illi bis repetita demonſtravit experientia.

Irritantibus omnibus medicamentis vis ineſt quâ vellicent has partes aliis intactis; hac cognitâ habebitur centrum mali, conſenſus partium cætera enodabit.

Complexa magis eſt ſpirituoſorum actio ad ſpaſmos inducendos, adeòque notas ſibi proprias habet. Prima quidem ſpirituoſi liquoris cujuſlibet actio in eo conſiſtit, ut vaſa nervoſque ultrà modum tendat, & hac tenſione hominem ita funditùs immutet, ut ſibi ipſi diſſimilis jam nec eaſdem ſervet ideas, nec mentis aciem eandem obtineat; idea quidem vivacior, judicium promptius eſt, ſed ratiocinia diſſonant; imaginatio aucta, ſed contrà memoria facilè diffluit. Hinc nunc furor, nunc ira truculenta, nunc contrà lætitia immoderata, quæ omnia ſi in gradu moderatiori ebrietas adſit, rationem tantummodò conturbant, ſi vehementior fuerit, eam prorsùs deſtruunt.

Quanquam autem ebrietas affectio nervea brevis dici poſſit, eaque à tenſione inæqualiter auctâ oriatur, non aliter tamen ideas turbat, ac febris, quæ mediocris, liberum tantummodò functionum animalium exercitium non ſinit, ſi verò ſummè vehemens ſit, deliria, phrenitideſque aut apoplexias accerſit, quæ omnia in ebrietate concurrunt.

Verùm ubi ſitis atque ariditas ab ebrietate inducta, novam ſuaſit temulentiam, vertitur in vitium pravâ conſuetudine contractum; tuncque feraciſſima habetur malorum lerna; quibus enarrandis nullatenùs hujus loci eſt inſiſtere. Sed affectionem nerveam non unâ ratione inducit, nec ſine labis impreſſæ veſtigiis.

Si enim liquorum ſpirituoſorum uſui aſſuetus homo, ab iis ſine cautelâ, omiſſo medio, ſolâ ſuadente virtute, abſtinet, inflata heſterno Baccho vaſa, ſi hodierno non tumeant, decidunt atque collabuntur. Hinc atonia ingens & debilitas, hinc infirmatus mentis tenor, tremore jam non merè convulſivo ſtipatus, judicium labefactatum, memoria vacillans, & ſi ad conatum vel levem corpus à mente excitatur, impotentiam teſtatur tremor ſæpè in toto corpore ante actum excitatus, ut jam non ſoli procedere aut ſcriptitare poſſint.

Si autem invaleſcat libido vitioſa & vires accipiat ab indulgente ſibi animo, tunc niſi liquorum aut vis, aut quantitas augeatur, neceſſe eſt ut tardiùs quidem, ſed tandem fiat atonia, Melancholiam concomitans; aut ſi novis ingurgitent ſe liquorum viribus, aliis de cauſis temulentiam mors ſequetur comatoſa, fatuitatem & imbecillitatem, morborum horumce diagnoſticam, neceſſariò excipiens.

Idem judicium eſto de narcoticorum abuſu, quæ dum ſolida diſtrahunt & rarefaciunt liquida, idem præcisè ac liquida ſpirituoſa ad Melancholiam producendam operantur, niſi quòd ex illis plura venenatam etiam per ſe vim habeant, quâ

directè in cerebrum agant. Ita opium animi quidem motus ſedat, ſed aliquid etiam in mediâ narcoſi convulſivi infert. Ita Indorum *Bangue*, ſeu ſolani furioſi ſuccus opio adulteratus agit homines in ferociam; & *Pouſt* Principibus è ſanguine regio natis, apud Indos ſatìs cognita narcotica præparatio, uno hauſtu ita nervos afficit, ut fatuitatem & meram ſtupiditatem inferat, quo ad regendos populos & concipiendam ambitionem fiunt prorsùs inhabiles; horum actionem etiam moderatam ſequitur inertia, & convulſivis interſtincta motibus atonia, pupillæque dilatatio, quâ oculi hebetes apparent, ſenſuſque omnes tardi & langueſcentes vix exercentur.

Ubi alimentorum præpoſtero uſui accepta debetur Melancholia, ibi primaria circa ventriculum & inteſtina ſcena agitur. Sed ut hæc cauſa humoralem ſæpiùs inducit Melancholiam, ita raro nerveam ſimplicem advocat; niſi tamen venenatâ labe affecta ſint illa; quæ quidem corpora nervis conturbandis, prorsùſque pervertendis præcipuam exerunt efficaciam.

Venenata ſcilicèt toxicorum actio in nervos agit, demonſtrante ſic illuſtriſſimo Meadio, eorumque agendi ordo aut intervertitur, aut intenditur, aut elangueſcit atomorum venenoſorum efficaciâ, ſed iis ſingulis conſtans & perpetua vis ineſt, eoſdem continuò effectus progignendi, qui ſemel cogniti, cùm ſemper iidem ſint, nunquam ad aliam cauſam referri poſſunt.

Ut enim hîc prætereamus effectus illos veneni ſerpentum illorum quos cecinerat Lucanus, & quos in rerum naturâ reperit Hermannus, quo-

rum modus nocendi adeò conſtans eſt, ut nomen ab effectu acceperint, Hydrophobia, Tarantiſmus, ſemper ab iiſdem cauſis pendent, ut à ſtibiatis phlogiſto non deſtitutis ſemper vomitus concitatur. Undè nulla in diagnoſticis difficultas. Si enim venena illa moderatiùs ſumpta & in abuſum verſa, Melancholiæ nerveæ ſoli inducendæ paria fuerint, ea potiſſimùm retinent ſymptomata quæ in gradu intenſiori vehementiora, machinæ ſubvertendæ ſufficerent. Ne verò iis diutiùs immoremur prohibet inſtitutus ordo, cùm non directè ad propoſitum pertineant.

Altera cauſarum claſſis earum eſt quæ in ſenſus ſive internos, ſive externos agunt, & quaſi à mente morbum in corpus derivant. Idem morbus à ſenſuum diverſitate multiplici exoritur, ſed inſignis ſymptomatum varietas à causâ pendet. Non enim ſimile eſt à metu atque mœſtitiâ contabeſcere, aut præ nimiâ lætitiâ furere. Cauſa ſuî notam inurit, ſibi præbet indicium; correſpondent ſuæ cauſæ, hinc animo impreſſa debilitas, illinc corporis ſpaſmus. Debilitas enim illa animi eum dum detinet & occupat, motus omnes qui ab eâ directè pendent, qui ad eam referuntur, quos denique imperat mentis mutata conditio, & fortiores & vehementiores, quaſi concentratis in id unum viribus, eſſe neceſſe eſt. Quod ut clariùs atque dilucidiùs intelligatur, res altiùs repetenda eſt, & fuſiùs pro ſubjecti dignitate pertractanda.

Dividemus igitur cauſas Melancholiæ nerveæ, quæ ab animi influxu in corpus feruntur, in eas quæ odium ſuî, adeòque terrorem horroremque

incutiunt, in eas quæ ſuî amorem, illecebras, atque potiundi libidinem inducunt. Tertia demùm claſſis earum erit quæ in ſtuporem atque ſuî admirationem rapiunt. Quibus quidem cauſarum claſſibus cùm ſigna ſua ſint, id omnibus æquè commune eſt, ut animum fortiter occupent, & nulli alii ideæ locum relinquant, ſed ita mentem diſtineant & ab aliis avertant objectis, ut homo in uno conquieſcens totus fiat odium, totus amor, totus admiratio.

Metus quidem & terror frequentiſſima Melancholiæ cauſa odioſam ideam cerebro imprimunt, & animum è pacatâ Naturæ conditione dejiciunt. Nullus verò ex animi affectibus adeò facilè in Melancholiam labitur, cùm metus ipſe degeneres atque debiles animos arguat, undè muliercularum, delicatulorum, infantium proprius eſt, imò debilitato corpori ex ipsâ debilitate accidit.

Nec primus gliſcentis hujuſce mali gradus te latebit, ſi hominem in hæc vitia pronum luſtraveris attentis oculis, Primò enim omnia tuta timet, & facie atque oculis metum exprimit: imò ſine ullâ causâ metum incutiente,pavitantem aſpectum agnoſces. Tum ſi fortè virum, quem venerantur, aſpiciunt, tremere eos, & infanti pudore corripi notabis. Subſiliunt ad motum minimum. Rhedarum ſtrepitum, tormentorum exploſionem univerſali machinæ concuſſu ſentiunt.

Malum verò vim ſuam omnem exerit, ſi objectum verè metuendum ipſis adſtet, ab illo vix ſeſe avelli ſinunt, de illo ſomniant, illi infixi nihil aliud vident, nihil ſentiunt, & ſæpè ficti-

tium timorem pro veris mutant periculis, in quæ quia unicum timent, ſeſe præcipites agunt. Imò verò metus deſperationem inducit, & quærendis quæ ex re naſcuntur auxiliis, inhabiles facit.

Miſerum eſt vanis timoribus angi & excruciari, ſi mens aut corpus ipſis occaſionem dederit; miſerrimum ſi intùs enata labes mentem inficiat ſine ullo mentis crimine.

In priori caſu vix miſeratione digni videntur quos anxia remordet ſceleris perpetrati conſcientia, qualis fuit, ſi Meadio credamus, moribus proditoris Judæ. Hinc natæ, quas ſapientiſſimâ allegoriâ ſceleratis juxtà aſſidere Poëtæ finxerunt Furiæ, quæ perpetuò miſeris aut ſcelus, aut præſentes etiam in morte pœnas intentare non deſinant. Certè felicem in ſcelere neminem eſſe crediderim, ſive adſit intùs vindex Natura, quæ conturbatum ſocietatis ordinem, infirmato mentis tenore eluat, ſive quòd fœdere inter homines ſancito pœnam illam conſtituerit Creator, quam Caïni fronti ſceletatorumque omnium inuſſit; quòd eò magis divinitùs immiſſum ſignum crediderim, quòd ferè quivis nocens prudentiâ privetur, quâ ad celandum facinus facilè uti poſſe videretur. Sed nulla aut miſeranda magis, aut aſpectu magis fœda apparet Melancholia nervea, quàm quæ vanâ ſuperſtitione nata, aut Vatum præſtigiis enutrita, animum falſis implet terroribus, & quaſi vivos in tartara detrudit, ut memini me vidiſſe in Tragædâ celebri, quæ dum denegatam ſibi ab hominibus miſericordiam, à Deo ſe conſecuturam inſana

deſperat

deſperat, in miſerrimam maniam, quâ à cacodæmonibus vexari ſe credebat, incidit, undè à feneſtrâ præceps, & vitæ & malis finem impoſuit. Quod & alii viro, cæteroquin pio, acccediſſe novi. His timor, diffidentia, agitatio ingens, inſenſilitas ad omnia quævis morbum comitantur. Tum ad timoris ideam quaſi ad centrum cætera omnia deliramenta referuntur.

Nec minùs infelix Medico quàm ægro eorum genus eſt, qui circà ſanitatem læſam falsâ imaginatione feruntur. Duplex eſt hujus morbi ſpecies. Debilior altera quæ nonniſi occaſione morbi alicujus reverâ exiſtentis naſcitur, ſed cui gradum & atrocitatem idealem conciliat timor. In eâque morbi dilucidam facit cognitionem, mixta ex morbi conſtantiâ & mentis debilitate, diagnoſis. Sed nunquam niſi in levi morbo ibi obſcuritas ineſſe poteſt. In gravi enim & febrem acutam concitante, Melancholia conticeſcit. Stare enim ſimul non poſſunt, irregularis Melancholicarum fibrarum vibratio, & regularis febrium acutarum erethiſmus.

Alia & fortior eſt Melancholiæ ſpecies, in quâ læſa ſola imaginatio ſanitatem lædit, illibatis cæteris functionibus. Ipſe morbus error eſt mentis. Diagnoſis verò maximi momenti Medico eſt, quâ ſcilicèt ægros hujuſmodi aut fugiat, aut ipſorum menti imperitet. Hi enim Medicos importunis fatigant querelis & vanâ remediorum exoptatione. Hos dignoſcas ex eo quòd mala ſua ſæpiùs cum alienis mutent, quòd ſi quis de morbo novo epidemico à roſtris per compita manat rumor, fugam inſtruant, ſolum vertant

ſi vicinus unus aut alter occubuerit, & inſtare ſibi fatum clamitent; quòd omnia demùm Religionis, vitæ civilis officia, amicitiæ oblectamenta, cuticulæ curæ poſtponant; cibos, potus ponderent, pulſum ſemper interrogandum tradant, & ſcenicis ludis digni, ſemper de ſanitate interrogent, vel inidoneum quemque, & facundiâ ſingulari abutantur, ut poëticâ narratione mala ſua enumerando exaggerent. Intereà ferè omnes macilenti, exſucci cibos horrent, & ſi ſuadente appetitu aliquandò ſeſe cibis tradiderint, tunc ex ipſo epularum fonte ſurgit timor qui angat in ipſis faucibus; amor intereà Medicorum immodicus, qui fatiget quem arripuerint nunquam dimiſſuri, aut ſi eum pro alio, ex ipsâ morbi inconſtantiâ, reliquerint; tum odiis atque jurgiis derelictum proſequuntur, & convitiis abſentem onerant, præſentem verentur.

Ultimus eſt morbi gradus & curatui difficilis; ſi ſeſe hoc aut illo morbo affectos crediderint, nec jam morboſam in genere conditionem prætexant, ſed hunc illumve affectent: non adeò infrequens malum & ingenti imaginationum varietate ridiculum. Novi hominem ſolo lacte & aquâ viventem, qui de veneficio actionem adversùs famulum intentabat, vir circà cætera nullatenùs delirus, ſed contrà Conſultus-juris & cauſarum non mediocris actor. Ferè ſemper circà talia objecta verſatur delirium, nam quòd aliqui ſint qui ſeſe vitreos, in lepores aut canes converſos putaverint; hoc ſymptoma potiùs ad humoralem, de quâ alibi agetur, Melancholiam pertinet, quàm ad nerveam hanc noſtram. His om-

nibus mens debilitata, odio atque terrore corpus occupat, quam poſſit ideam vel ipſa Ars pictoria variis faciei atque oculorum lineamentis exprimere.

Altera Melancholiæ nerveæ ſpecies quæ ab amore pendet, adeò apud omnes populos cognita eſt, ut circà ejus diagnoſim inſudare, vix videatur operæ pretium. Quid enim addant Medici deſcriptionibus illis quas tantâ arte ad Naturæ effigiem expreſsêre philoſophus Lucretius & Naturæ Myſtes Virgilius. Verùm id ſedulò notandum cum Terentio: amor non ſimplex eſt affectus, ſed quaſi omnium animi pathematum confuſa atque turbulenta coacervatio. Etenim quid aliud ſibi poſcit amans? Immani rapitur objecti potiundi cupidine. Quaſi ſuum & ſibi debitum deperit, & ad eum tanto appetitu fertur, ut deeſſe ſibi, ſi vel momento careat, ſatis ſignificet. Hinc ſpes, metu dejecta; hinc ira, furor, zelotypia; rursùm lætitia immodica, quibus mens unico tantùm objecto inhærens, ab eodem ita in varias partes trahitur, ut perpetuò convellatur, & nunc effuſa, nunc conſtricta, ſuî ſemper impotens & procelloſo vecta Oceano, nil niſi placidam tranquillitatem ignoret. Hinc in amore nihil mediocre ineſt; undè labefactari omnia & in pejus ruere neceſſe eſt; hinc nullo alio affectu tantus languor inducitur, imò & citus promptuſque maraſmus, quem febris invehit Erotica non ſine convulſivis motibus, aut potiùs ſpaſmodico erethiſmo, qui præcipuè in partibus, quas libido furiare ſolet, accenditur. Sed duplex præcipuè in Erotomaniâ ſtatus corporis diſtinguendus eſt;

ubi enim ſpes potiundi amati objecti vivit ſub pectore, præſentemque alloquitur amaſiam procus amator, inflammantur omnia, oculorum acies intenſa, muſculorum omnium contentio ingens vires viribus addere videntur, & ſæpè adeò vivida exoritur convulſio, ut animo præ conſtrictione linquantur. Si contrà excluſum amatorem & deſperatione confectum videris, languentes oculos, pallentes & tinctas violâ genas, mortem ipſam quaſi vultu decolore inſtantem, miſerebe-ris, quam exoptant illi, imò ſibi ſæpè conſciſcunt; quanquam qui Orientalibus mos eſt, ut ſeſe antè amatas vulneribus confodiant, parùm Septentrionali phlegmati accommodatus ſit. Nec ulla eſt affectionis nerveæ ſpecies, in quâ minorem ærumnis relaxationem ſomnus inducat, cùm ipſe turpibus illudat præſtigiis & corpus fœdâ illuvie polluat imaginatio, undè tabes dorſalis, maraſmus ab illâ etiam causâ ſuprà dictis malis ſuperaccedens.

Apud mulieres, etſi eoſdem affectus eadem cauſa pariat, aliquid tamen diverſi progignit uteri ſtructura, ſenſilitate pollens exquiſitâ, & adeò univerſis partibus atque nervis correlativa, ut irritato utero, huic ſexui proprium ſit erotomaniâ affici ſine ullo amoris ſingulari objecto, & ita in convulſiones omnis generis corripi, ad uterum tamen referendas, ut inſciæ atque deliræ, omnes corporis meretricios concuſſus, laſcivos geſtus, pudendaſque criſpationes, alioquin caſtæ exprimant. Tum mens ipſa in delirium acta, verba fœdiſſima, Venereis lacernis atque lupanaribus dicata, ore exprimit, cum lacrymis, cla-

mitationibus, ejulatibus, prurituque ac ſcalptu aſſiduo partium pudendarum. Hoc paroxyſmo exacto, pudor mœſtitiam, dejectionem animi, ſuî odium relinquit, oculis intereà languore quodam, irritationis tamen indicia prodente, affectis. Hic eſt uterinus ille furor, qui mulieribus odorem præcipuè ſpecificum ſpirantibus, aliquandò accidit, ſi menſtruatio irregularis aut ſuppreſſa ſit, à cupidine præſertim, ſi viro maturis, nuptiæ, quas ardenter exoptant, recuſentur; ſi abſens maritus eas nimio mactet jejunio; qui morbus ſæpè inopinas inter vina choreaſque, ubi feſcennina ſtimulos addit animi affectibus licentia, adoritur. Utrique verò ſexui finis amoris infelicis idem, niſi quòd in tenellâ mulierum cute decoloratio multò major eſt, & in vividâ earum temperie multò dilucidiùs pingantur animi affectus, at febris eadem, maraſmus idem, ſed menſtruis retentis, multò majoribus inſignis progreſſibus.

Supereſt ut dum noſcendas quærimus cauſas quæ à mente in corpus feruntur, affectionemque præter naturam in nervis & ſine materiâ concitant, de illis tractemus, quæ vehementi admiratione hominem ita detinent, ut ipſum prorsùs immutent. Illæ autem proprio, ſed parùm latino nomine, enthuſiaſmum, ſeu fanaticum ſtuporem conſtituunt, cujus effectus Græcis dicitur *Ecſtaſis*, quaſi uni objecto homo alligetur, ad reliqua omnia immobilis & quaſi ſopore detentus. Extase

Cùm autem ejus effectus multiplices ſint, maximæque anguſtiæ illos circumſtent, qui de ejus diagnoſi dicere inſtituunt, cùm periculum ſit ne divina cum humanis temerariâ arrogantiâ confun-

dantur, liceat hîc rem altiùs & ex abſtruſioribus Phyſices principiis indagare. Turpe enim foret & periculoſum Medico in talibus falli, & effectus è Naturæ perverſæ ordine naſcentes, pro portentis venditare; nec minùs fœdum aut impietati magis riſum movens, fraudem non patefacere, ſi aliquandò ſacris ſe vellet nebulis obvolvere. Rem autem ſic accipi antè omnia obnixè rogamus, ut dum ſuperſtitionibus, atque Vatum minis animos tentamus exſolvere, nemo credat nos ſacro-ſanctæ Religioni vim illaturos, quæ per ſe firma ab impiorum conatibus firmior exurgit. Quod vitium procul chartis atque animo priùs abfore, ſi quid de me poſſum promittere, ſpondeo atque voveo.

Enthuſiaſmus, ſive, ut noſtri loquuntur, Fanaciſmus quo mens, rebus extra ſenſuum captum poſitis, ultrà modum percellitur & obſtinatiùs occupatur, non tam religionum quàm animi ægrotantis vitium eſt: nec eſt undè ulla aut idololatrorum aut hæreticorum ſecta, veræ atque ſanctæ Religioni fanaticos, ut ſolent, exprobret; cùm nulla ſit ſecta quæ non ſuos habuerit; habet etiam ſæpè fanatici aliquid atheiſmus; nec defuêre inſani qui vitam in ejus gratiam paciſci non dubitaverint. Naſcitur autem enthuſiaſmus à repetitâ & vehementi circa præconceptum objectum attentione atque admiratione, quâ fit ut aliqua inſit felicitas in illo conquieſcere. Hinc mens prona ad eum fertur, dumque ei inhæret, quaſi aliorum objectorum vinculis ſolvitur. Hinc novus ſenſuum organis, indèque toti corpori, quod ſenſilitate potiſſimùm regitur, inauditus, incogni-

tus, & vix Phyſicis comprehendendus legibus, habitus inducitur.

Differt itaque à ſuperſtitione quatenùs hæc quantumvis inter Melancholiæ nerveæ cauſas recenſeri poſſit, à metu vix differt : illius contrà baſis eſt atque fundamentum admiratio.

Mens igitur in enthuſiaſmo, prima perculſa eſt, amatque errori ſuo adhærere. Stupet, id eſt, uni intenta atque affixa idearum fonti, ad cætera quæcumque capeſſenda impar evadit. Quod verò circà cætera illa amittit, refunditur in amatam ideam, quam altè infixam omni modo verſat huc & illuc, & quo gradu invaleſcit illa, eodem remittunt quæ ab eâ aliena ſunt. Ubi verò malum intenditur, agitur corpus à mente, conſenſuque facto reſponſat motibus mentis. Senſus hebeſcunt qui nihil cum fanatiſmi objecto habent commune, acuuntur in illis qui aliquam cum illo connexionem obtinent. Indè verò promanant omnes fanatiſmi effectus corporei. Ad quos propiùs intuendos tres illorum gradus conſtituemus. Primus & debilior erit in quo occupatio mentis reliquorum negligentiam parit. Secundus erit in quo auctum malum jam ecſtaſes facit. Tertius demùm eorum eſt, in quo ecſtaſis cum oblivione omnium conjuncta, in furores & convulſionem deſinit.

Primus gliſcentis enthuſiaſmi gradus qui necdum morbum conſtituit, ſua habet ſymptomata ad poſtremorum graduum diagnoſim conferentia. Virtutis amor mendax & affectu animi potiùs quàm ratione enutritus, huic occaſionem ſufficit. Hinc voluptatis imaginariæ illecebris enu-

trita perfectionis idea mentem invadit. Tum in eâ brevi quaſi ad centrum unicè attendit homo. Brevì ſordet amicitia. Imò diſſenſus opinionum in odium vertitur. Societatis leges rumpuntur. Vix ipſa curatur Religio, niſi quatenùs cum ideâ amatâ concors, ipſi accommodatur. Vileſcunt ea quæ patria, liberi, amici ſibi vindicant officia. Illi ſoli inſudant objecto, ut perfectionis quam ſibi fingunt, apicem aſſequantur. Non delirant, ſed ad omnia negligentes, moroſi, niſi cùm de re amatâ cogitant. Oculorum fixitas, torvus & impexus aſpectus, frequens oculorum ad cœlum converſio, debilitatem animi arguunt.

Diagnoſis quidem difficilis & vix Medico neceſſaria, cùm hucuſque nihil Medicinæ agendum ſit, ſed turpis eſt error & impietatis facilè reus haberetur, qui veram pietatem cum Melancholiâ hac ſacrâ confunderet. Utrimque ſolitudinis amor reperitur, ſed illinc adeſt in hominem pietas, hinc contrà miſanthropia; hinc ferocitas & immiſericordia, illinc flecti facilis indulgentia. Pietatem condecorant actionum tenor unus, & ad juſtitiæ normam librata & accommodata agendi ratio, contrà nihil fanatiſmo inæqualius, cùm vehementiâ ardentis animi extrà ſe ferantur Fanatici.

Sed ſerpit malum, & in ſecundo gradu fert indubitata morbi ſigna. In eo enim jam vera adſunt deliramenta. Mens ſcilicèt occupata & vexata ideâ à quâ divelli non poteſt, notam còrpori inurit ſtabilem. Verùm ipſa illa idea utut altè affixa, non tamen æquè ſemper animo inſidet; hinc neceſſariò morbus inæqualiter, ſive per pa-

roxyſmos angit, undè duplex ſemper in eo ſtatus diſtinguendus eſt, ſive, quod idem eſt, æger ſpectandus nunc paroxyſmi tempore, ubi verè delirat, nunc extrà paroxyſmum ubi tolerabiliore morbo ægrotat.

Et primò quidem ſi extrà paroxyſmum ſpectentur ægri, omnes in illis atoniæ effectus videbis. Hebetes, imbecilli, oculis errantibus, incertis, & quaſi infantes apparent. Paſſu nunc præcipiti, nunc lento incedunt, & ſæpiùs quàm cæteri mortalium, in lapides & obſtantia impingunt. Diſtracti ab omnibus, vix audiunt loquentes, & quaſi temulentos crederes. Undè alienâ indigent ſæpiùs induſtriâ. Imò de cibis vix cogitant, etſi pertinaci ſæpiùs laborent jejunio quod ferre vel ipsâ ſuâ negligentiâ, præ cæteris valent. Hæcce præternaturalis & atona infantia ab ingentibus animi concuſſionibus excitata, jam dudùm apud Vates cujuſcumque ſectæ cognita & pro ſacrâ habita eſt. Fibris enim omnibus in idem objectum arrectis atque intenſis, ſuccedere atoniam neceſſe eſt, quæ ubi in habitum vertitur, imbecillitatem ad alia omnia & infantiam inducit. Hinc eam reperire eſt non tantùm in ſuperſtitioſis affectibus, ſed in omnibus illis qui mentem alligant. Hinc ſæpè eam videmus in omnibus qui objectum aliquod perditè amant, & ab eo, ut ita dicam, *carminantur*. Geometræ, Metaphyſici qui toti ſunt in rebus extrà Naturam poſitis, Poëtæ qui imaginationi præter modum indulgent, illi omnes ſi extra ſui laboris pomœria ſpectantur, ſimplicitate infantili laborant.

At omnia mutata ſunt & prorsùs diverſa in

paroxyſmo qui ecſtaſim conſtituit. Ecſtaſis eſt ſumma imaginationis evectio, ſummæ corporis quieti conjuncta, ſaltem ſi ad externa tantùm attendas. Mens, & qui ad mentem referuntur ſenſus interni, ita validè occupantur, ut quaſi ab externis fiat revulſio, tenſioque concentrata deficiat cæteris functionibus. Hinc ecſtatici & œſtro perciti hominis facies quaſi attenta, admirabunda, ſtupens; oculi fixi, immobiles, artus languidi, motui obſequentes externo non ſine quodam quaſi catalepticorum renixu. Ut nulla eſt ad externa attentio, ſic doloris ſenſus parvus aut nullus à forti incuſſu. Pulſus magnus, latus, æqualis, reſpiratio tarda, ſuſpenſa, aliquandò anhelanti ſimilis, & animi affectibus reſponſans; linguæ ſubmurmuratio, imò interdum voces inconditæ, verba aliquot in ecſtaſi ad finem properante, quæ animi conditioni reſpondeant; tum verò ubi jam ſolvitur malum, facies fit ut in inſanis ridenti ſimilis, rubicundus atque floridus vultus qualis eſt è ſomno emergentium, indèque quaſi ex alto ſopore evocati ad ſeſe redeunt.

In levioribus ecſtaſibus aliquandò obambulant, ſed inceſſu mechanico; aliquandò geſtibus quaſi convulſivis ideas exprimunt, quæ omnia epilepticis, in quos ſæpè mutantur, familiaria ſunt. Intereà colores ſeſe vidiſſe, odores ſe perſenſiſſe perhibent quos cognitis nequeunt conferre, & quorum uſum magnò mercarentur. Hi vocati olim *cerriti*, *larvati*, quibus aut Cereris iram, aut larvarum ſeu furiarum crudelem præſentiam exprimebant, quaſi ab eorum impetu atque ferociâ homines à ratione dejicerentur. Ii

verò præ conceptâ opinione obcœcati, ſibi à numine referunt dicta factaque, in quibus etſi ſæpiùs fraus inſit, eam tamen non hîc ſemper locum habere certiſſima exempla probant, & ad faciliorem relationibus fidem tribuendam inducunt ea quæ hominibus, vel minimè fanaticis, per ſomnum evenêre.

Ecquis enim aliquandò cum ſomno deditum, vigilante imaginatione, corpus traditur, multa non vidit audivitque, quæ vel in corpore poſt ſomnum ſuî notam reliquerint. Certè aliquos vidi ab inſomniis aliquandò in febrem delapſos, aliquandò ſentientes dolorum veſtigia, ab imaginatione ſola impreſſa, ne loquar hîc de vulgatiſſimis titillationibus, quas fœminei gratia vultûs immundo viſu in genitales partes afflat. Hinc antiqui ὄναρ ἔκ Διός ἐστιν. Nec ſacri Codices dubitare ſinunt quin aliquandò Deus per inſomnia hominibus locutus ſit.

Ecſtaſis porrò eſt aliqua ſomni ſpecies, ſed non ſine convulſione & arrectione organorum in unum vigilans conſpirantium, hinc ſæpè dantur ecſtaſes, ſeu delirium admirabundum in febribus.

Dum verò ſolvitur ecſtaſis, & quaſi ex alto ad ſeſe redeunt ægrotantes, malè tum de eorum ingenio atque naturali indole judices. Sunt adhuc extra ſe ipſos conſtituti, nec ſui juris, ut cum Hippocrate loquar. Non jam incondita proferunt aut delira, ſed quæ ad acquiſitum tonum referantur. Undè quidam vaticinari videntur. Imò & ſi fides adhibenda Aretæo Cappadoci, rem pro phyſicâ ſui temporis enodante, vaticinantur; ſaltem ut ipſe vidi, majora vociferantur

& grandiora, quàm quæ reliquum ſinit vitæ inſtitutum. Alii ſunt ſcilicèt homines, tono fibrarum terque quaterque majori quàm quo frui hominibus datum eſt; indèque enaſcitur eò major oppoſitio, quò dum diſcuſſus omninò eſt paroxyſmus, tonus idem ille magis depreſſus eſt & imbecillus. Undè fit ut non ſolùm alios ſub vaticinii ſpecie, ſed etiam ſeipſos decipiant; nec difficilis eſt error, cum enthuſiaſmo eorum addat adhuc ſtimulos, tremebunda, quam ipſis vovent adſtantes, admiratio.

Ubi verò major eſt ecſtaſeon gradus, tum res non adeò quietè tranſiguntur, ſed adeò potenter mens agitat corporis molem, ut immani tono concitentur fibræ; mutatur penitùs totus homo, ut non vultus, non color unus remaneat. Quatit artus anhelitus, & ideæ quaſi injuſsâ voce feruntur à mentis impetu, nec jam naturali ſed horrendâ voce profunduntur, qualem humanâ majorem ſibi fingit ſuperſtitio, talem nobis expreſſit, plenam & rabie & Deo Sibyllam Virgilius, qualem, dum fera corda tumentem pingit, enthuſiaſmum videtur adhibuiſſe, qui minor in Poëtis, major eſt in Fanaticis. Memini me non ſine horrore talem audiiſſe vocis ſonum in hyſtericâ juvenculâ, quæ gracilis & delicatula quoties paroxyſmo corriperetur, non aliter vocem emittebat, ἐγγαστρίμυθαν diceres. Tali voce oracula pandebant Antiqui dæmoniorum Myſtæ, convulſivis agitati motibus. Convulſio verò hæc non ſimplex, aut cui mens reluctet. Favet huic contrà præconcepta divini afflatûs opinio, tum & adſtantium favor atque obſtupeſcens veneratio. Imò

ſi convulſio hæc ceſſare properet, renovat ipſam circumſtantium aſpectus, ipſo etiam numine plenus, terrore percitus, horrore rigens, imò & quaſi ipſe convulſivus. Nemo enim adeò ferreus eſt, qui tali totus non contremiſcat & moveatur ſpectaculo.

In fortiori malo ferri duritiem æmulantur muſculi; nec diſcuti poteſt ſimplici frictione ſpaſmus. Ictibus opus eſt, & vehementibus, ut hærenti concilietur ſanguini circuitus, ut ad ſenſum revocentur nervi. Pulmones, conſpirante muſculorum coſtas arcuantium actione, ſub durâ teſtudine immobiles ſuffocationem intentant & immedicabilem ſtagnationem, niſi fortiter contundatur thorax. Auxilia hæc expetunt, & addunt iis pretium cum non ſine voluptate, mortifera aliis præſidia, ſentiant; ſcilicèt in novâ hac corporis conditione ſenſuum omnìnò diverſa eſt ratio, & in corpore arcuatam teſtudinem referente mechanici effectus à cognitis abludunt.

Verùm quanquam hîc experientiæ ratio conſentiat, tamen quantùm corpus poſſit & à Naturæ ordine, & à ſeipſo abludere, liceat notis exemplis illuſtrare, quibus pateat voluptatem, imò delicias aliquandò in abſurdis, imò & in horrendis latere, ubi depravata eſt & mutata organorum corporis harmonia, undè quaſi novo inſtinctu mali, animantum brutorum more, in illa miſeri feruntur præcipites. Chloroſis & melancholica mania appetitum veſanum, corii, carbonis, gypſi, & aliorum ſimilium offert quotidiè, imò viſi ſunt inſani, qui non ſine voluptate propria vorarent excrementa.

Durum eſt & ſcalpi & unguibus divelli, ſi non miram indè voluptatem afferret titillationis importunitas, quam adeò fortem vidi, ut cruentis manibus, ſanguineque in rivulos manante, non tamen à ſcalpendo poſſet averti vir ſummâ ratione præditus, qui cum diù ligatis, ut ipſe voluerat, manibus ſe continuiſſet, in convulſiones agebatur. Vidi alterum ſexagenarium virum, omnibus virtutibus, & animi fortitudine non mediocri inſtructum; hic dum fortiter ſibi ſuram ſcalpit, tremuntque ſub ſcalpentibus digitis gaſtrocnemii, en ad pedis diſtantiam proſilit à tenſo convulſoque veretro ſemen, deficiente ſimul animâ. Dolorifica certè hæc ſunt; nec tamen averti poſſunt homines, quin indè aut voluptatem, aut quod idem eſt, malorum ſolatium quærunt.

Quid loquar de amantium morſibus, quos quintâ nectaris ſui parte Venus imbuit. Delicias ex dolore petunt, imò & abſit à Phyſicis auribus ſcandalum, ſcio non defuiſſe mulieres quæ faſſæ fuerint, non immunes à deliciis fuiſſe qui adeò Naturæ adverſantur, partûs dolores. Quid ultrà iis immoremur, cùm nulla ferè ſit exquiſita ſentiendi forma, quæ non fortem ſimul dolorem invehat, quæ, niſi vehementi aliâ ſenſatione, vix poteſt à mente delirante avelli. Forſan indè lux afferetur enodandis lethalibus quibuſdam præſidiis, quibus ſolatium & medicinam ſibi quæſiêre hodiernis convulſionibus affecti, ipſo nomine, rei naturam prodente.

Rem autem ita ſe habere, vixque ſupernaturali potentiæ tribuenda eſſe, quæ vel noſtris uſur-

pavimus oculis, ſacrarum convulſionum phœnomena, plura probant, tum quòd ea quæ præcedunt, comitantur, ſubſequuntur, rem extrà dubium ponant, tum quòd in omnibus ferè ſectis, omni tempore communia fuerint hujuſmodi ſpectacula.

Præcedunt ætas, vel ſexus imbecillior, ſuperſtitioſa pietatis affectatio, non ſimplex, ſed enutrita portentis; librorum ſimilia jactantium lectio aſſidua, ſpectacula ſimili morbo laborantium, quæ quoddam contagium afflare videntur, cùm in unum defixa objectum attentio imitatione ducitur; quod in Hiſtoriâ Medicâ non novum, aut inuſitatum eſt. Certè ſanctiſſimè teſtari poſſum ſcire me à viro fidei non dubiæ, adhuc dum ſuperſtite, quòd cùm juvenis hoc morbo laboraſſet, adeòque plures per annos carcere regio incluſus, ſine libris aut ſpectaculis hujuſmodi delituiſſet, ſe ſine ullâ aliâ medicinâ ex hoc morbo prorsùs convaluiſſe, quem non finxerat vir expers fraudis atque mendacii, ſed quem imitatione, lectione atque perculſæ mentis imaginatione contraxerat.

Comitantur paroxyſmum, ſeu potiùs ipſum excitant, recitatio precum homotona, affectui animi conciliando apta, intentus in unum omnium aſpectus, veneratio & terror qui ſacro quodam horrore miſeros implet, quaſi Numinis expectarent præſentiam; hinc extrà ſe feruntur toti, exſtaticè delirant, nil niſi mira effutientes; & tono fibrarum penitùs immutato alii prorsùs ſunt, patrandaque ſibi poſtulant, imò & ſanitati neceſſaria arbitrantur, quæ frigidum ſenſum adhibentes

recuſent, dum ſtimulos addit dolorificæ voluptati decus indè enaſcens. Undè vulnera ſimplicia quæ liquore abluta & compreſſione coalita, vix apparent, impunè, imò & cum aliquo dulcedinis ſenſu, infliguntur; qui doloris morſus ſtatui illi ecſtatico medela eſt, ut titillationi medetur ſcalpentis manus dolorifica, ut cauſtica proſunt lethargicis.

Deferveſcente verò paroxyſmo remanet ἀθυμία, infantia quædam, imbecillitas, quâ vix quid ipſis acciderit referre poſſunt, undè fortior ipſis incutitur imaginatio, fuiſſe ſe à ſummo afflatos Numine, quod ipſos ſingulari viâ dirigat, eſſeque ſe ultrà Naturæ ordinem conſtitutos.

Notatum verò eſt non ſtatim ad ſummum evehi gradum affectionem hanc convulſivam, ſed ſensìm ſine ſenſu ſerpere, nec propagari & multiplicari ſolùm, ſed & intendi; undè ubi talis epidemia graſſatur, maturè arcenda eſt, nec ſuppliciis afficiendos crediderim infelices qui inſontes & innocuis moribus ut plurimùm præditi ſunt, ſed minis coercendi, ut convaleſcant certiùs; nec certè dubium eſt quòd ſi invaleſcente malo libertas concedatur, ad uſque animi deliquia, inſaniam, mortem ire poſſit, quod enthuſiaſmo poëtico accidit celebri Tragœdo Gallo Mondori, qui dum Mariamnam Triſtani fortiùs egit, furore correptus, ad uſque lethum tonum intendit: & ut evenit propè mihi cognito & adhuc dum vivo Rhetorices in Academiâ noſtrâ Profeſſori, quém Homeri ſublimitas ita extrà ſe rapiebat, ut exanimis concideret.

Quod verò in quibuſvis Religionum ſectis eoſdem

eoſdem ferè effectus enthuſiaſmus produxerit, exemplis demonſtrare facile eſt; undè ad cætera omnia ſuprà humanæ mentis captum elata, quæ œſtro homines percellunt, vario gradu iidem effectus pertinere intelligentur.

Hiſtoriam quidem omnium gentium perluſtrare difficile eſt, longum, & à noſtro alienum labore; ſed liceat cùm indè Melancholiæ ſacræ diagnòſis non parum lucis mutuetur, ſaltem ejus origines rimari & ſacras fraudes piorum auribus ita palefacere, ut indè puræ atque ſanctiſſimæ Religionis integritas, quæ nil niſi ſimplex, purum, caſtum, amabile ſpirat, ſarta tecta meliùs eniteſcat.

Pompoſis ac verboſis ſtrophis primi hominum Reges atque Magnates, deluſi ſunt. Cùm enim cæteris imperitent illi, nullâ aliâ ratione eorum dominium refrænari potuit, quàm animos implendo religionibus; imò cùm ſimplex atque nuda veritas, qualis eſt illa quæ à Deo emiſſa terras colluſtravit, eorum ſuperbas aures offendat, non dubitavêre ſapientes ſuis conſiliis adjungere numina quæ duritiem mollirent dicendorum, condonandâ quidem fraude, ſi eamdem citò adulatrix indulgentia non ſumpſiſſet, additique non fuiſſent ad ſcelera divi.

Fiducia verò nulla illis fuiſſet adhibita qui divini aliquid ſibi arrogabant, ſi non humanis majora protuliſſent. At brevì cùm fictitias ecſtaſes prodigiaque conficta cernerent ſimplices & meticuloſi homines, quaſi contagio per aures & oculos ducto, malum graſſatum eſt. Indè verò vires ſumpſit enthuſiaſmus, & ſtultâ ſæpe credu-

litate ſibiipſis fucum fecêre. Si enim inter fraudatores numeramus Pharaonis magos, certè vecordi inſaniâ decipiebantur Baalis myſtæ, cum Eliâ auſi coram contendere, & pignus accipere, intereà ſeſe cultris mactant, quò potentiùs fictitium Numen flectant, cogantque vel reluctantem Deum, oblatis victimis ignem infundere.

Si autem Hiſtoricos conſulamus, nullibi majorem reperimus enthuſiaſmum quàm quatuor in caſibus. Primò ſub cœlo fervidiore ſimul & aridiore, in nervis tenſione ſummâ laborantibus, quos ipſa loci temperies exſuccos reddit atque vibratiles. Secundò verò in iis locis in quibus vitæ luxuries & deſidioſa opulentia, plurimùm & poëticis ſpectaculis & Muſices harmoniæ tribuit. Hinc etiam reperitur potiſſimùm tertiò in feſtis Deorum qui deliciarum illecebras atque vinum pro ſacris habebant. Quartò in Religionibus quæ hominem extra communia præcepta conſtituunt, ſive vaticinium, ſive portenta promittant, ſi præſertim intentatæ coërcendis illis minæ pretium fervori addant. Quæ quatuor capita in Hiſtoriâ Melancholiæ ſacræ ut concurrere docuit obſervatio, ſic reperiri debere demonſtrat ratio.

Primò quidem quantùm ſub aridiore cœlo & ferventibus climatibus, nervi arefacti contendantur & exſiccentur, quanta indè imaginationi vis accedat, vix ſibi perſuadere poſſint Septentrionales Populi. Hinc ibi pathemata animi omnia vehementiſſima, quibus ratio ipſa nunquam obſiſtat. Hinc ibi non ſimplex & nuda, ut apud nos, ſermonis formula, ſed vel uſitatior ſermo

ornatur metaphoris, geſtu ſuperbit, pingitur in vultu. Si divitiarum contemptum exprimere ſatagunt Gymnoſophiſtæ, nudi incedunt; ſi pœnitentiam affectant Bonzæ, catenis cinguntur, ligantur vinculis, quæ vix trahere poſſit homo valentiſſimus, ferreis clavis inſident, & ea eſt in tenſione nervorum pertinacia, ut ſitum eundem tenaciter ſervent, corpore quaſi in novam formam mutato, uſque adeò mens corpori imperat, ſemel imbibitâ opinione præconceptæ perfectionis. Nec enim crediderim ſolum exiſtimationis acquirendæ ardorem, hominem in abſurda hujuſmodi præcipitem agere. Quid quòd apud Perſas quotannis dum Huſſeini mortem lugent Bonzæ, ſeſe cultris ultrò dilaniant, niſi veſana ad id impelleret religio, an aliquo pretio ad vulnera illa ſibi infligenda adigi poſſint. Id & etiam juvenibus amore furentibus coram puellis familiare eſt. Nec luctus olim minor erat, aut inſania minor in Syriacis mulieribus extinctum Adonim lugentibus. Certè apud Boreales populos nunquam invaluiſſet ſceleratus ille mos, quo uxores, apud Indos, cum maritorum corpore concremantur, aut genus illud vitæ ecſtaticum quo Santonæ atque Monachi Mahumetani totum ævum tranſigunt. An apud Europæos, cœcâ olim ſuperſtitione obvolutos, tot reperias portenta, Magicæ artis deliramenta, quot apud Aſiaticos Afroſque uſque nunc verſantur? An unquam apud illos reperias tot ſuppliciorum genera quàm quæ apud Bonzas, hodiè in uſu atque pretio ſunt. Iis certè fidem derogare, quòd nobis impoſſibilia

videantur, hominis eſt parùm in naturâ rerum verſati ?

Secunda verò convulſionum & ecſtaſeon promovendarum occaſio ſemper fuit, Poëſis atque Muſice, quæ ſibi mutuas conferunt operas, & iiſdem natæ exordiis eorumdem Numinum præſidio, jure meritoque apud Antiquos, foveri credebantur. Muſices quidem in corpus humanum effectus ab ejus in mentem actione pendentes, ita tonum nervis addunt, ita priſtinum ſtatum immutant, ut nemo ſit, quin ſi languidulus ad concentum muſicum acceſſerit, indè evadat alacrior; ſed triſtitiam metumque ſumit aut deponit, ſi ita jubent chordæ fideles. Horroris, terroris, lætitiæ experitur vices. Alii plus, alii minùs commoventur; at nemo eſt, etiam harmoniæ ignarus, qui non aliquem à Muſice motum concipiat; hinc vel infantes ad ſonum cytharæ moventur in numerum, choreaſque exercent. Sed nec fabula eſt, quod olim accidiſſe Alexandro narrant, ut à Theophilo Muſico in furorem conjiceretur, cùm res etiam à celeberrimo Goudimello aliàs Claudino, non ita pridem peracta ſit coràm fide dignis teſtibus, dum hinc Doricum, illinc Phrygium modum, veterum cytharâ imitaretur. Nec id ſemel, aut in uno loco, ſed pluribus exemplis conſtitit, quæ ſummâ congeſſit curâ Willh. Albrecht, *Tract. Phyſices de vi Muſices in animos*, §. 258, 259, 260 *& ſeqq.* Undè etiam adhibita olim ad dolores demulcendos Muſice, de cujus effectibus vide Meadium *de Tarantulâ*, quæ certè veneni medicatio ſatis abundè probat, quantùm

valeat Muſice ad hominem extrà ſe rapiendum & agendum in convulſionem. Hinc voces illæ *carmina* atque *carminare* ; undè etiam incantationes originem deduxêre, in quibus falſis atque fictis multa vera, & in exaltatâ Naturâ deſumpta intermiſcentur.

Poëſis verò ipſa etiam ſine Muſices adminiculo, nil mortale ſonans, hominem è ſenſuum commercio dejicit, & totum ita imaginationibus occupat, ut medium quaſi ſtatum obtineat furore poëtico percitus, inter rationem atque delirium. Rem enim ſibi fortiter objectam dum vehementiùs adhuc appingit, ab aliis mens libera objectis, hoc ſolum ſpirare videtur, aliis omnibus prorsùs neglectis. Hinc fugas ſervorum Poëtæ rident, domorum ſpernunt incendia, ſiliquis & pane ſecundo vivunt, nec aliud ambiunt præter honorem lauri Parnaſſiæ. Si quis à Naturâ ad id natum ingenium obtinuerit, vix penès ipſum eſt à faciendis verſibus ſibi temperare atque ingenio non indulgere. Undè veſana illa poëſeos cupido jure, hodierno tempore Metromania vocatur, quâ quicumque ſemel fuerit percuſſus, errabundus, oculis hinc indè nutantibus, ſocietatem hominum fugiet, ſylvas, prata, loca deſerta, murmur aquarum, ſonos lenes atque dulces deperibit ; quæ quidem omnia, dum reliquos homines ad ſomnos invitant, ipſis dulce inſomnium provocant, in quo, corpore languente, mens in ſeipsâ quaſi conquieſcit. Hinc vaticinia ad Poëſim meritò referuntur ; & apud Hebræos cytharam & pſalten poſtulat Vates, de futuris, inſpirante Deo,

locuturus, dùm certè mens Deo plena, corporis conditionibus jam reſponſare non poteſt.

Tertiò verò apud Veteres nunquam ecſtaſes atque deliria convulſiva frequentiora fuêre, quàm in ſacris Deorum, qui Venerem vinumque tanquam religionis partem ſibi vindicaverant. Notus eſt, nec prorsùs fidem ſuperans Mœnadum furor, quæ diſcerptum Orphæum, Lycurgumque per agros ſparſére, lymphatæque, montes ac invia clamoribus turbabant. Notum eſt delirium ſacerdotum illarum quæ Veneri in Cypro litabant, ubi depoſito pudore virgines ſeſe turpiſſimo Numini dedebant; cùm enim coïtus ipſe ſit brevis epilepſia, nihil ad convulſivos motus magis adigit, quàm cupido ejus effrænata, ſi ſtimulos addat libidini, Religio pudoris nodum exſolvens.

Quartò verò nihil potentiùs atque efficaciùs animos ad enthuſiaſmum diſponit, quàm fixa illa atque altè animis impreſſa opinio, nos cauſam Numinis agere, pro ipſo pati. Undè metus, ſpes, gloria, amor, pietas animum verſant huc & illuc, & ſimul ſuprà humanum captum extollunt. Exſtimulant acriùs arcana ſilentio tecta, metu imbuta & veneratione conſecrata. Pretium verò his addit ipſa pœna imminens; undè cura ſingularis à Deo ſibi vindicatur, & dum in ejus ſinu ſe depoſitos arbitrantur, nihil eſt adeò ſævum, adeò aſperum, quod tantis nixum fundamentis non modò tolerabile, ſed etiam dulce non appareat. Sic ſerpit, graſſatur, augeſcit malum, undè ecſtaſes, prophetiæ, vaticinia, tum ea nervei atque ſentientis

organi mutatio, ut quod nobis videtur abſurdum atque doloriferum, ipſis tum cauſâ, tum effectu gratum atque jucundum videatur; ut ſcilicèt iis quos vexat pruritus, gratum eſt ſeſe mordicus divellere; ut veſanis propria aliquandò excrementa voraſſe, ſapidum viſum eſt, ſic dolorifica voluptas ineſſe poteſt, alienatæ menti corporique perverſo, fuſtibus opprimi, clavis perfodi, vulneribus affici, modò ea ſimplicia ſint, nec ultrà textum cellulare penetrent, perfodi; hinc convulſiones iſtæ virginibus hyſtericis, imbecillibus homuncionibus & hypochondriacis maximè familiares ſunt; & quominùs præſentiam Dei in hiſce admittamus, prohibent in iis multa explicatu facilia, quæ magnoperè jactantur, multa enthuſiaſmi exemplis cognita apud varias hæreſes quæ hominum animos proſcindunt, ut nuper relatum eſt, è Methodiſtarum ſectâ mulierem apud Anglos ſibimetipſi nares, mammas, aures ſacro delirio amputaſſe; tum demùm, quod fatendum ſit, non adeò nobis reſerata eſſe Naturæ penetralia, ut de ejus efficaciæ limitibus ſtatuere poſſimus; nec minùs tamen temerarium videbitur illorum judicium, qui miſeros tali affectione vexatos ſtatim inter fraudatores atque balatrones reputabunt, cùm nunquàm ſpontè quiſquam talia patiatur, qualia recentiſſimis exemplis vidimus in fœminas infelices perpetrari.

Hæc forſan de Melancholiâ ſacrâ digreſſio à propoſito nos pauliſper abduxit, verùm cùm latens malum intricatam diagnoſim offerat, de eâ latiùs diſſerere operæ pretium credidi, ne error hic ſubrepat, nec impia inire incredulitatis ele-

menta videamur, dum de mero morbo diſſerimus.

Tertia cauſarum Melancholiæ nerveæ claſſis, quæ in ordine à nobis conſtituto peculiarem ſibi poſtulabat diagnoſim, ea eſt quæ à ſingulari cauſæ in partem aliquam decumbentis actione atque decubitu pendet. Ut enim in morbis omnibus quæ corpus univerſum afficiunt, cauſa quælibet univerſalia quidem ſymptomata concitat, tum poſteà etiam ſingularia ad partem pertinentia, ſic & in Melancholiâ nerveâ diverſum, diverſæ partes ſymptomatum agmen ſecum ducunt.

Imò verò rarum eſt in Melancholiâ noſtrâ hac, licèt ab univerſali causâ pendeat, partes omnes æqualiter pati. Aliquæ ſunt enim quæ debiliùs à Naturâ conſtitutæ, ſemper ſuæ debilitatis acutiùs patiendo, notas ferunt.

Præcipuus quidem nerveorum ſymptomatum fons eſt uterus, qui cùm diverſimodè afficiatur, tamen in quâlibet ſuâ affectione complexam affectionem nerveam trahit, ſaltem poſt pubertatem virginum, cum partium ſuarum evolutione, eam acquiſiit ſenſilitatem quâ functionum ejus exercitium viget, fitque ut in fictitiâ illâ Democriti ad Hippocratem Epiſtolâ, ſed alioquin antiquiſſimâ, *Sexcentarum ærumnarum innumerabiliumque calamitatum cauſa.*

Verùm ut nimis utero tribuebant Veteres in hoc morbo concitando, ita forſan minùs illi conceſſiſſe videtur Sydenhamus. Uterum laborare ſibi propria ejus ſymptomata demonſtrabunt. Crurum gravitas, dolor artuum inferiorum ad talos uſque extenſus. Tum pondus in abdomine ano æquè atque veſicæ urinariæ reſponſans, aut, quod

pejus eſt, mixtus ponderi dolor, vel ſaltem ad tangentis manum exquiſita ſenſilitas. Poſteà verò ſtrangulatus faucium & lumborum dolor, dictante ſic Hippocrate, cui à tanto tempore conformis obſervatio teſſeram adjunxit, prima ſunt Melancholiæ nerveæ hujuſce ſymptomata, quibus adjunguntur clavi, ſeu dolores fixi capitis, in unâ tantùm parte hærentes; indè verò multiformis illa ſymptomatum farrago quæ hyſtericam affectionem conſtituit, quæ quidem affectio nullum non morbi genus æmulatur.

Symptomatibus verò ad uterum pro causâ referendis liceat adjungere, quam pluries ab hac causâ repetendam animadverti, tuſſim importunam, acrem, convulſivam, ſiccam, totum thoracem ſuccuſſu importuno convellentem, quam indè ab utero pendere credidi, quòd intimum ſit ejus commercium cum mammis quæ thoraci ſitu ſuo imperitant. Tuſſim hyſtericam oppidò raram eſſe ſtatuit Sydenhamus, quod ipſi, ſaltem apud Gallorum nurus non conceſſerim; rarior apud nos ptyaliſmus ille enormis, ſaltem in nerveâ Melancholiâ; & ille pituitoſis potiùs adſcribendus, quàm tuſſis quæ frequens eſt ſiccis, aridis & macilentis mulieribus.

Universìm autem affectio hyſterica duobus conſtat ſtadiis inter ſe oppoſitis, ſeſeque mutuò excipientibus. Alterum convulſionis eſt, ſeu paroxyſmi, quo malis ſuprà dictis miſellæ aguntur & exercentur, vires tunc ſuprà Naturæ captum obtinent, aguntque & aguntur violentiùs quàm ipſa ferat virium præſentium conditio. Hunc ſtatum deferveſcentem excipit atonia, lan-

guor, imò & quidem à diſtractione fibrarum vehementi, dolor obſcurus, quaſi fractorum oſſium, aut fuſte contuſorum; nec deeſt alter alteri horum ſtatuum. Adde quòd poſt elapſum aliquod tempus, fracta tantis concuſſibus machina, hoſpitium menti præbeat infirmum, ipſaque mentis firmitas humi poſteà proſternatur.

Unicè pendet à causâ in uterum deſæviente furor ille uterinus, qui quidem caſtas mulieres aggreditur, ſed illas imaginationis præſertim vitio laborantes & cupidine refrænatâ ferocientes, quod quidem malum per ſe & per incondita atque libidinoſa verba, geſta, facta ſatìs innoteſcit, ut à ſpurciſſimo morbi genere liceat oculos avertere.

Nec eſt etiam undè fœminis mares inſultent, quamvis enim rarius ſit ipſis in convulſiones abripi, ubi partes genitales evolvuntur & ignis medullis ſubditur, tamen multos indè in furorem inſanabilem correptos numerare eſt, quibus etiam veſanis, morbi diagnoſis per dicta, facta, optata elicitur; inde non abſurda fuit illius opinio, qui credidit non uni inſano reſipiſcendum fore, ſi teſticuli abſcinderentur. Cui certè opinioni, licèt non expertus, manum libenter dederim.

Remanet omnibus illis à paroxyſmo atonia, ſed in ipsâ veteris incendii veſtigia permanent. Vidi hyſtericas capite obſtipo ſemper ſpectandas. Alias rictus oris canini deformabat. Plures verò pro hyſtericis prodebat ſubſultus in tendinibus, tangendo pulſum deprehenſus.

Quæ verò Melancholia nervea à capitis vitio pendet, rarò ſimplex eſt, ſed ut eſt gravioris

morbi ſymptoma ad ejus diagnoſim pertinet; apoplexia verò aut epilepſia, quæ merè nervea eſt & à capitis vitio pendet, raro omninò apparet, niſi in debilitatis præ hyſtericâ ſæpè ſæpiùs repetitâ affectione, organis. Hinc fit ut ſæpè morbum hunc ſimplicem terminet, ab ipsâ ejus naturâ deſciſcens & in compoſitos ablegandus.

Inſignem adhuc hujus Melancholiæ cauſam conſtituunt perverſæ, debilitatæ ventriculi atque inteſtinorum functiones. Cùm ſcilicèt pondus debiliori viſceri præbent alimenta, cùm conſtringitur criſpatus ſuprà alimentarem maſſam ventriculus, novuſque ille corpori ab alimentis admiſſis inductus ſtatus, non quietem atque reparationem corpori conciliat, ſed turbas. Prima ventriculi eſt cum corde Συμπαθεία. Hinc multis familiare eſt à paſtu palpitationibus cordis, ejuſque tremoribus corripi, quod quidem ſymptoma aliquandò adeò vehementer exardeſcere vidi, ut in animi deliquium miſerè delaberentur plurimi. A corde, ventriculi malè & nervosè affecti, tibi ſigna dabit caput, nunc ad verticem dolens, nunc mediâ ſuî parte, ita laborans, ut potiùs à capite quàm à ventriculo oriri videantur, quæ ab eo pendent nauſeæ, vomitus, aliaque mala quæ hemicranias comitantur. Hæ ut plurimùm nerveæ, à ventriculo tamen ſæpè repetuntur. Sæpè nervea in toto corpore pathemata induxit calculus in rene aut in uretere latens, cujus diagnoſis à propriis calculi ſignis repetenda eſt, nec certè in hiſce caſibus principem morbum conſtituit Melancholia; adeòque noſtræ huic Tractationi non propria eſt. Cùm enim nullum ſit in

corpore ſymptoma notatu dignum, quod alacritatem deſtruens fugacem ſaltem Melancholiam non inducat, vix ullus foret morbus quem non inter Melancholiæ cauſas recenſere valeremus.

Attentionem verò plurimam, cùm ad diagnoſim atque curationem momenti ſint maximi, merentur, atomi venenatæ, prorsùſque corpori extraneæ, quæ intrà corpus, ſive vitio ambientium, ſive ipsâ intùs enatâ tabe, tragicam ſcenam poſſunt ludere, nerveamque inducere Melancholiam? Non unum certè hujus eſt generis veneni exemplum. Ut enim de Tarantulâ non loquar, cujus morſus hypochondriacos homines facit, putrida ipſa materies quæcumque intùs graſſans, hypochondriacos conſtitueret, ſi non graviora inducere mala nata eſſet. Uno verbo, quodcumque acre nervos vellicare, irritare, conſtringere poteſt, nerveam affectionem procreat & vellicatu continuo Melancholiam; donec novis invaleſcens progreſſibus, fortiorque ac multiplicata, ſui generis, naturæque propriæ, ſymptomata efferat. Exemplum illuſtre Podagra præbebit, quæ plures per annos latens, & nullis agnoſcenda ſignis diagnoſticis, ægrotos pertinaciter angit nerveum in morem; nec alio credas affligi morbo præter ſpaſmodicum, undè triſtes, melancholici incedunt, ſpaſmiſque variis vexati, donec appareat illa, liberetque ab angore melancholico, per cruciatum inſignem quidem, ſed quo priſtinum ſtatum redimere ſeſe fortunatos autumant. Idem etiam ſcabiei ſæpè accidit, quæ ad inſaniam uſque ſæpè homines adegit, donec emicet, quam & inoculatione quâdam nuper procuratam, feliciter ſucceſſiſſe legimus,

Verùm utut nulla alia habeat præter ea quæ Melancholiæ competunt ſymptomata morbus noſter, tamen per cauſam differt, adeòque naturâ diverſus eſt; & ſæpè medelâ omninò abludit. Multoties enim lacteâ diœtâ, veſicantum applicatione ſanari contigit morbum iſtum, quæ certè remedia nullatenùs ad Melancholiam nerveam poſſunt applicari. Vidit Meadius affectionem nerveam in muliere, quæ ſaniſſima videbatur alioquin, ſubito compoſito nervorum tumultu in phtiſin abire, quâ miſerrima conficiebatur. Idem ego non ſemel me vidiſſe teſtari poſſum. Juvencula quædam inſaniâ corripitur, rectè cæteroquin corpore videtur ſe habere, niſi quòd irritis omnibus medicamentis perſtat mentis loquax & inverecundus error, in muliere alioquin piiſſimâ. Oritur tuſſicula, quæ ſenſim invaleſcens menti priſtinum nitorem reddit, donec pulmonibus ſuppuratione conſumptis, menſe circiter ante mortem, tabida febreque lentâ laborans, iterùm in delirium ejuſdem generis inciderit, nec jam ſanari poterat veſania illa, nec phtiſis non invaleſcere. Undè fortunam illuſtriſſimi Meadii invideo, cujus ægra tandem ad ſanitatem perducta eſt.

Quin imò ſi diagnoſim Melancholiæ nerveæ ritè callere eſt animus, altè animo tenendum eſt, quod pro Melancholiâ nerveâ haberi non poſſit, quævis prætermodùm aucta, aut quâcumque ratione inducta triſtitia; cùm nullus ſit morbus qui non alacritatem deſtruat: alacritatem ſcilicèt illam, quæ naſcitur à juſtâ & æquabili proportione inter vires & pondus humorum ferendum, do-

cente ſic immortali apud Medicos Sanctorio. Sed ut Melancholia adſit nervea, neceſſe eſt ut nulla cauſa evidens læſionem inferat; ſaltem ex earum genere quæ mechanicè in organa agunt; adſit demùm, ut cum Veteribus loquar, intemperies ſine materiâ; hinc abſint ſigna læſionis præſentis, cætera verò concurrant quæ ſatìs fusè expoſuimus ſigna, ipſius tum eſſentiam tum ſpecies indicantia.

# CAPUT VII.

## *De diverſis Symptomatibus quæ novum nomen Melancholiæ nerveæ indunt.*

VARIA nomina ſortitur Melancholia noſtra nervea, pro ſymptomatibus quæ ſibi adſciſcit, ſi emineant illa præter cætera, undè ad ſe præcipuam adſtantium attentionem detorqueant. Tum verò etiam nerveis corpus fatigatum ſymptomatibus, functionibus ſuis impar evadit. Læduntur facultates mechanicæ à nerveâ origine, & ad uſque organorum cladem corpus deducitur. Hinc duplex diſtinguenda Melancholiæ noſtræ extenſio. Altera cùm nomine varia ſit, re non differt. Altera cùm degener varias amplectitur formas à ſeipsâ diverſas. Prior ad diagnoſim morbi pertinet, poſterior ejus prognoſim conſtituit ſive exitum; undè ut prima diviſio jam ampliſſimè tractata eſt, vix ei inhærere neceſſarium erit, poſteriori verò præcipuum examen dicabimus, ut nihil de ſorte morbi noſtri poſſit ignorari. Quod ut quidem ex ordine dilucidiùs fiat, articulos duos, paragraphos plures conſtituemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Morbis melancholico-nerveis, nomine tantùm mutato, notabilibus.*

Melancholia nervea aliquandò hyſtericam affectionem mulierum, virorum hypochondriacam conſtituit, aliquandò mera mania vocatur, aut ſæpè ſine maniæ ullo vel leviſſimo indicio, tota in convulſionibus repoſita eſt. Has liceat paragraphis totidem percurrere differentias.

### §. I.

### *De affectionibus hyſtericâ aut hypochondriacâ merè nerveis.*

Dum affectionem hyſtericam à Melancholiâ nerveâ anteà deſcriptâ ſecernere quærimus, verborum potiùs ambagem tollendam, quàm rerum differentiam definiendam habemus. Scilicèt nervis laborare, vaporibus, ut aiunt, angi fatentur fœminam, quæ hinc indè, longioribus intervallis, aut continuâ quidem ſed mitiori ſpecie, aut ſpaſmos experitur, aut mala ſpaſmodica. Affectio hyſterica huic malo ſuperaddita dicitur cùm ſymptomata hujus morbi aut conferta, & cum quâdam vehementiâ brevibus intervallis recrudeſcunt. Undè affectio hyſterica morbus ſui generis dici poteſt, non ſtatus morboſus, aut conditio corporis infirmati.

Hinc affectio hyſterica poteſt certis limitibus circumſcribi

circumſcribi, ita ut ſi illa ſubitâ de causâ nerveum omne genus concutiente exorta ſit, poſſit omninò & integrè perſanari, nullaque ſuî relinquere veſtigia, cùm ſcilicèt omnis æſtus cauſæ deferbuerit, & compoſito motu fuerit ſedata. Id nonnullis mulieribus violentâ de causâ, ut mœrore inſolito, lætitiâ inſperatâ & vehementibus animi affectibus accidere videmus; ut in morte fratris, vidi fœminæ nobiliſſimæ accidiſſe, quam breve tempus perſanavit, ex horrificis convulſionibus & delirio maximè metuendo, nihil omninò labis priſtinæ relinquens. Aliquandò plus durabile malum eſt, plures per menſes primò quidem ferociùs, mox verò mitiùs ſæviens, imò & ſæpè per plures annos extenditur, ſuî impreſſa relinquens vulnera, quæ etiam causâ novâ accedente, aut veteri renovatâ, iiſdem ſignis ſeſe produnt, ſed lenioribus.

Affectio illa tres potiſſimùm ſymptomatum periodos affectat; vel enim uno impetu ſævit, acuti morbi in modum, vel ſtatis & regularibus paroxyſmis, febris intermittentis æmula revertitur, vel anomala & irregularis paroxyſmos abnormes concitat.

Quæ inſtar morborum acutorum invadit, ea cauſam vehementiorem videtur agnoſcere, & vulgò magis ſanabilis eſt, & minorem corpori cladem, aut ſaltem minùs memorem impertitur, cùm vulgò à forti animi perculſu pendeat, & à causâ mobili, cujus prima impreſſio fortis, cæteræ ipsâ aſſuetudine emoriuntur. Nec tamen licèt acutiſſimi inſtar exordiatur morbi, affectio hyſterica, ſervat acutorum periodos, ſed ſæpè multò longiùs pro-

tenditur, & crudeliùs ſeſe ſub ipſis obdurat remediis, ſi præſertim ex eo ſit genere quod ſtuporem ſenſibus invehit, & quaſi functiones conſtringit & alligat. Sæpè, quæ mirandæ inſciis videbantur catalepſiæ ſevero examini ſubjectæ, nil niſi affectionem hyſtericam exhibebant, imò, ſi dicere fas eſt, quòd res eſt, fœminæ illæ longam paſſæ inediam, qualis eſt Conſolentanea illa de quâ doctè egit Citeſius, alia illa Vivarienſis quam theſi dignatus eſt Combaluſerius, & aliæ plures nil aliud erant quàm hyſtericâ affectione laborantes. Nec deſunt apud Obſervatores exempla mulierum, quæ plures per annos vixêre ſine ullo mali intervallo, ſed cum alternâ ſtuporis, delirii & convulſionum viciſſitudine, quæ poſteà ſine ullâ prophaſi, aut legitimâ ratione perſanatæ ſunt.

In illis verò affectibus hyſtericis qui ſtatam atque regularem periodum ſervant, exquiſita eſt aliquandò illa periodorum uniformis conſtantia, ita ut hora horam, dies diem non prætereat. Imò ſæpè eadem vidi ſymptomata eo tenore recurrere, ut quoties aliquod phœnomenon apparebat, adſtantes qui ſæpiùs ægroto adfuerant, modò finitum iri illum pronuntiabant. Id memini in fœminâ quæ cùm vocem quandam in paroxyſmo periodico emittebat, redibat ad mentem, idque vel ipſæ norant ancillæ.

Hujus autem in periodis conſtantiæ cauſas altiùs rimari inutile eſt, cùm eæ captum humanum huc uſque ſuperaverint, niſi tamen dixerimus, rem ſatìs aliundè mirandam, tamen meliùs intelligi poſſe, ſi annotaverimus quòd quotidiè nervi

eâdem horâ in eodem ſtatu reperiantur. Prætereà verò notandum eſt quòd qui periodis ſubjiciuntur morbi, aliquid ſecum nervei habeant, ut & ipsâ eorum curatione declaratur, ita ut pro axiomate poſſit haberi, cauſam hanc periodorum in nervis quærendam eſſe, & ad eos ſolos referendam.

Nihil addendum habebimus de eâ hyſtericâ affectione quæ nullam periodum ſervat. Notabimus tantùm in quo à Melancholiâ ſimplici differat; abludunt ſcilicèt quatenùs, hæc morboſa eſt potiùs diſpoſitio quàm morbus. Illa verò contrà morbus eſt ſui generis, nullas poſt ſe reliquias relinquens. Melancholia tardior eſt & ad chronicas tendens affectio. Paſſio hyſterica potiùs ad acutas refertur; Melancholia ſensìm invaleſcit; hyſteriſmus à ſummo incipiens acumine, decreſcit ſensìm & evaneſcit.

Quoad affectionem hypochondriacam virorum, quam Willis & poſteà Sydenhamus cum hyſtericâ confundi voluêre, fatebor ſevero me examine nullam hucuſque differentiam inter hypocondriacos ſimplici affectu laborantes, & nerveâ Melancholiâ vexatos deprehendere obſervando valuiſſe; cùm rarum ſit admodùm viros affectione adeò vehementi atque illâ quâ hyſtericæ laborant, vexari. Sed corpus ipſum, levem inter utrumque, vel potiùs inter triplicem hunc morbum conſtituit differentiam, adeòque longiori tractationi ſuperſedebimus, ne vanam luſiſſe operam videamur.

## §. II.

### *De Maniâ melancholicâ merè nerveâ.*

Furere & inſanire, ſi ad rectæ rationis inſtitutum, acta aut expetita non referre, dici poteſt, certè cum Horatiano Damaſippo, vix quemquam inſaniâ vacuum reperias, at certè nullus ex melancholicis eâ poterit dici caruiſſe.

Verùm ut aliquis inſanus vocari poſſit, oportet ut quæ exteriùs ſe produnt, nata ex objectis externis, aut imaginatione fictis judicia, iis nullatenùs reſpondeant; ſive concordent illa præconceptæ opinioni, ſive nullatenùs inter ſe cohæreant. In utroque caſu nil niſi abſurdi, nil niſi ridiculi promanat. Undè patet in inſanis merè nerveis, memoriam integram, judicium facile & liberum eſſe, ſolam imaginationem lædi.

Error verò ille imaginationis dicitur nunc eſſe *cum affectu*, id eſt, proficiſci ab impetu mentis ita fortiter affectæ, ut ab amato aut occupante objecto nullatenùs divelli poſſit; aut *ſine affectu*, ubi ad omnia indeterminatim mens inſanit, jam omninò impotens, atque ſui juris neſcia. Quicumque melancholicè furit, ſemper à vehementi mentis occupatæ affectione, è ratione dejicitur, cùm ipſa Melancholiæ idea mentem aliquo pathemate laborantem ſupponat.

Mania igitur nervea eaſdem patitur differentias atque ipſa Melancholia, cujus eſt effectus. Hinc alia perpetua eſt, alia intermittens, eaque aut periodica, aut anomala.

Inſaniæ porrò melancholicæ cauſæ eædem ſunt

atque morborum quorumcunque melancholicorum. Eas igitur enumerare vanum eſt. Notandum tamen cauſas omnes quæ in imaginationem directiùs & omiſſo medio agunt, eas eſſe ad maniam inducendam efficaciſſimas. Affectus animi omnes, ita vehementes ut hominem funditùs ſubvertant, ſive lætitiâ, ſive dolore immodico agant, ſæpè perpetuam rationi labem inuſſere. Imò vix alia datur cauſa, quæ fortiùs aut vehementiùs agat. Numerantur tamen adhuc inter cæteras, odores, ſuffumigia, vacuationes immodicæ, quibus tonus fibrarum ſufflaminatur, ſi præſertim debilitati irritatio addatur. Hæc eſt inſania illa à debilitate Sydenhamo dicta, nec aliis non obſervata.

Sed cùm plures ſint melancholici qui nunquàm ad maniam uſque evehantur, licèt longo tempore & vehementer ægrotent, alii verò quaſi ſubitò corripiantur inſaniâ; ſuæ ſunt cauſæ illis undè faciliùs in maniam delabantur. Eæ autem repetendæ ſunt

Primò, ab ægrotantis idioſyncraſiâ, quæ in delicatâ & exquiſitè ſentienti interioris ſenſorii conſtitutione poſita eſt; undè fit ut non ſine ratione ſuſpecta ſit eorum qui olim inſaniêre progenies, & inter hæreditarias labes recenſita ſit mania melancholica. Hîc ſtructura ipſa thecæ oſſeæ capitis aliquid efficere poteſt. Præſagiunt multi, & ſæpè rectè, ex formâ capitis, ex oculorum poſiturâ, aliquem in inſaniam caſurum, fallacibus tamen ſignis, & quæ in hanc rem attenti, inquiſitionem meam eluſêre.

Secundò, aliquid hîc confert regionis influxus,

qui quidem gentes ita inter ſe diſcernit atque diſcriminat, ut hujus efficaciam negaſſe durum videatur. Certè loca ſunt plura in quibus nervei morbi frequentiùs vagantur, quàm in craſſo Bœotum aëre.

Tertiò, loci patrii regimen, varium, inſtabile, in quo ſpes magnæ, metus immanes, animos huc & illuc diſcruciant, huic morbo anſam præbet. Hinc nunquam in noſtris regionibus tot inſani viſi fuêre, quàm anno hujus ſæculi viceſimo, in quo Magnatum nequitia, civium fortunas inſignibus cladibus vexavit, hos extollens, illos deprimens, notante ſic illuſtriſſimo Meadio.

Quartò, ebrietas frequens & repetitus liquorum ſpirituoſorum abuſus hîc etiam ſymbolum conferre poteſt, immani liquorum rareſcentiâ & ſolidorum diſtractione.

Quintò, longior & profundior circa eadem objecta occupatio cerebri minuit vires, undè ſi affectus naſcatur, ei ferendo fiet impar ægrotans.

Nec verò quantumcunque ex hiſce cauſis intelligatur origo maniæ, ſatìs indè concipi poteſt quomodò hæc perpetua ſit, illa intermittat, niſi dicatur interruptam reviviſcere, ex occaſione, quâ datâ erumpit, abſente conquieſcit.

Symptomata ejus recenſere inutile eſt, quæ tam varia ſunt, tam abſurda, ut nihil ſit quod de inſano credi non poſſit. Scilicèt homo ab inſaniâ mutatur penitùs, fit frigoris patiens ad uſque incredibilem patientiam. Verbera vix reformidat; famem vix ſentit; ſitis jam nulla, ſenſus varii ita obſtupeſcunt, ut totus quaſi in amatam ideam verſus, ſapida, odorata non ſentiat, aut

ab iis nullatenùs commoveatur. In nerveâ tamen maniâ ineſt ſemper aliquid convulſivi, ſive in facie, ſive in oculis, qui inquieti, errantes, morbum produnt; ſed in omnibus maniacis duo ſemper diſtinguenda ſunt tempora, alterum remiſſionis, intenſionis alterum, quod qui inſanis adſtant, præſagire didicerunt. Vernâ quidem tempeſtate ferociunt inſani, hyeme de furore remittunt, niſi adſit gelu acre, aëre ſereno atque gravi notandum.

Id autem proprium habet nervea mania, quòd cum affectu ingenti ſtipata incedat, inſaniæ etiam addat affectûs infelicitatem. Metum horrendum vidi in homine qui alium occiderat, quem, etiam veniâ à Rege impetratâ, ſemper habebat antè oculos. Ut etiam de Alarico, Gothorum rege, narrant, qui ſibi Symmachi caput inter fercula querebatur offerri. Hæ ſunt Oreſteæ furiæ, quas adeò terribili penicillo expreſſit in Macbethi ſcenâ Anglorum Vates Sakeſpearius. Hinc nullibi mortis cupido major, quam ſibi ſæpè ſæpiùs conſciſcunt, quaſi illos nunquam pœna deſerat.

Pulſus intereà vividiſſimus, imò & ſtrictâ arteriâ durus; præſertim paroxyſmorum tempore. Calor naturali æqualis, concoctio inculpata, urinæ albæ tenues, vis nova muſculorum iis quaſi addita, ut quem ſemel admiſere ſtatum obſtinatè retineant, ſtupendâ & quæ fidem ſuperet pertinaciâ. Somnus ferè nullus. Pectus intereà cataphractum & vix ad ullum alium morbum ſuſcipiendum, vel maximè contagioſum, incapacitas. Peſtem ipſam non concipiunt; uſque adeò à ſenſu regitur machina hæc noſtra; prætereàque

cùm præ erethiſmo vix perſpirent, vix etiam inhalant. Undè fit ut inſanis qui antè inſaniam morbum venereum contraxerant, dupla aut tripla hydrargiri doſis adhibenda ſit in medelam.

Diagnoſis inſaniæ facilis eſt, cùm plus ea certè oculos percellat, quàm ſapientia aut virtus. Sed quæ ſit nervea, quæ ab aliâ causâ pendeat, difficiliùs dignoſcitur. Signa tamen dabunt, præcognita jam & præviſa nervorum à Naturâ diſpoſitio. Secundò cauſa in inſaniam adigens, aliquam obſcuritati lucem afferet. Affectus enim animi ſubitus & vehemens in humorum craſin nonniſi ſecundariò agit, ſolida ipſa aggreditur, & ea quidem ſentientia. Nec te incertum ſinent, ipſa quæ morbum comitantur ſymptomata. Licèt enim omnia primo aſpectu, unicâ ferè abſorbeantur mentis errabundæ notâ, & vix præ illo cætera annotentur ſymptomata, tamen pluribus ſeſe producit indiciis nervea intemperies. Urinæ ſemper tenues ſunt, ſaltem ubi ingruit paroxyſmus. Nec abeſt aliqua convulſio, quæ veteris noxæ veſtigia imprimat.

Præterea in aliis ferè omnibus inſaniæ generibus ægri vix aliquid curant. In maniâ melancholicâ aliquid aut effusè amant, aut perditè oderunt. Denique nervos ſolos laborare concludes, ſi amati objecti præſentia, aut abſentia odioſi maniam ſaltem fugaci levamine curet. Sic non abſque ratione concludimus, melancholicè, ſed nerveâ Melancholiâ, deliraſſe Saülem, quem Davidis præſentia in furorem adigeret, compeſceret contrà ejus fuga. Ultimum verò ſignum implet quòd harmonico cantu revocaretur ratio,

cui impar fuiſſet muſicè, ſi humor aliquis melancholicus, aut alter cujuſvis generis, præſentiâ ſuâ maniam concitaſſet.

Quanquam autem ex illo concurſu aliqua lux affulgeat, cogit tamen veritatis amor fateri, non tolli ab illo omnimodam æquivocationem, nec niſi ab ipsâ inchoatâ curatione complementum demonſtrationis haberi.

Quod verò hujus prognoſim ſpectat, turpiſſimus morbus pro felici exitu habet, quemcumque ſortitur. Mors ipſa felix eſt, & impium in aliis morbis votum,plenum hîc eſt miſericordiæ. Rarò melancholica mania morte ſubitâ terminatur; bis tamen rem accidiſſe, nec opinis adſtantibus vidi. Aliquandò epilepſiam ſibi comitem adjungit. Hæc celeri tranſitu in apoplexiam, necat. Sed ſæpiùs in fatuitatem abit; & mentis imbecillitatem ſtupidam, atque ſæpè miſerrimam longævitatem ſortitur. Famoſa eſt Meadii obſervatio de maniâ ab hydrope curatâ, nec ignotum eſt aliquandò febre quartanâ reſolutam fuiſſe inſaniam.

Sed non rarò perfectè ſanata fuit inſania quæ ex nervearum genere eſt. Si recentis affectûs cauſa ſubita tollitur; ut in Amaſiis, quos amore denegato potiri contingit. Novi mulierem quæ quoties gravida eſt merè inſanit. Statim à partu mens ſana in corpore ſano habitat. Sæpè ſcabies, impetigo, herpes erumpentes ſanitatem retulêre. Mulier quæ juvencula antè eruptionem menſium inſaniebat, metuit nunc ne finientibus olim recrudeſcat malum triſti memoriâ apud illam vivax.

## §. III.

### *De Convulſionibus nerveæ Melancholiæ.*

Cum quidem morbo melancholico convulſiones per ſe inhæreant, vix illæ videntur ſingularem mereri tractationem; verùm ubi totus & univerſus morbus in illis ita conſiſtit, ut nihil aliud præter illas appareat, tunc ut nomen morbi mutatur, ſic etiam nova diagnoſis inſtituenda, cùm non omnes convulſiones à causâ adeò ſimplici pendeant, ſed plurimæ à veneno intùs admiſſo, aut ab aliâ quacumque mechanicâ causâ trahant originem.

Convulſio, ſeu ſpaſmus qui idem ſonat, eſt motus muſcularis partis injuſſus, aut extra ordinem Naturæ, in partibus etiam voluntati ſubditis, invitâ imò & reluctante voluntate natus.

Ea autem aut conſtans eſt & retractis his vel illis muſculis perpetua, vel alterna, & nunc his, nunc illis ſeſe mutuò ſuperantibus, tremores, motuſque alternos efficiens. Sæpè autem habitus convulſivus ex utrâque conflatus eſt, & nunc in hac, nunc in illâ parte, nunc ſub retractionis, nunc ſub alternantis motûs formâ apparet.

Rursùs autem ubi convulſio morbum conſtituit, ea aut perpetua eſt, & non deſinit niſi ceſſante morbo, aut per paroxyſmòs recrudeſcens, intervalla quietis relinquit, quibus ſilet & quaſi conquieſcit.

Ut autem prior morbi ſpecies altiori fundamine radicatam cauſam arguit, ſic etiam mitiorem demonſtrat. Alioquin brevì ſuſdèque totam

ageret machinam, poſterior verò fortem quidem at tranſitoriam, quæque nunc adeſt, nunc contrà poteſt abeſſe. Demonſtrat enim obſervatio quòd qui paroxyſmis conflatur morbus vehementiùs convellit, quàm qui perpetuo aſſultu hominem conficit.

Nec minùs notandum eſt quòd ſæpè ab Hippocratis temporibus ad uſque noſtra docuerit obſervatio, quòd erumpentibus convulſionibus delirium deſinat, & viciſſim quaſi quædam fiat revulſio à parte ſentiente ad motricem.

Huic etiam morbo ſingulare eſt quòd ſæpiùs & fortiùs convellantur muſculi flexores extenſoribus; undè familiare eſt mûlieribus convulſis digitos ita fortiter volæ manuum affigi, ut vix fortiſſima vis eos indè disjungere queat, aut ſi fuerint disjuncti, proprium eos ſubitò reſtituat elaterium: in convulſionibus autem quæ à nerveâ Melancholiâ pendent, phœnomenum maximè ſtupendum eſt, & ingens meditationis argumentum præbens, vis illa immanis quam in hominum debiliſſimis acquirit muſculus, ita ut hominum fortiſſimi artum quemlibet in muliere convulſum nullatenùs diſtrahere poſſint; quod ſæpiùs mirabundus expertus ſum; quæ quidem vis ita aliquandò increvit, teſte Meadio, ut à convulſo etiam injectæ catenæ penitùs diſruptæ fuerint, ruptis etiam muſculis. Ubi verò conſtantia illa non ineſt, alterni motûs, tanta viſa fuit rapiditas, ut vix illam aſſequi poſſit oculi fixiſſima acies? Undè, quæſo, tantum in naturâ virium promptuarium? Undè pars illa ita muſculos opplens, ut ferri duritiem illi æmulari videantur?

Tam facilè diffluens ut ſalis alcali volatilis odor aliquandò ſubitò flexiles efficiat. An non in hiſce enodandis deficiunt tot ingenioſæ virorum præclarorum de fluido motum muſcularem producente hypotheſes ; nec mirari ſubibit ſi à convulſionibus atonia, imò & quædam pareſis, muſculis affectis inducatur ?

Cauſæ quidem omnes quæ nervos afficiunt, iiſque ſenſilitatem imprimunt naturali vivaciorem, convulſionibus anſam præbent. Sic novi univerſam proſapiam hominum & opulentiâ & probitate illuſtrium, in quâ & pater & mater, & omnes liberi, tum mares, tum fœminæ, leviſſimâ de causâ in convulſiones rapiuntur, ita ut aut imitatione duci, aut uniformitate miſeriæ non ſecerni credas. Cauſa ab ipsâ nativâ ſtructurâ repetenda, cùm certè aliter mares, aliter fœminæ educatæ fuerint ; at adeſt ſemper cauſa aliqua determinans, ita ut ſi ſummam animi aut corporis quietem impoſſibilem certè illam ſupponas, nunquam convulſionibus tentabuntur. Hæc quidem ſenſilitas exquiſita conditio eſt Melancholiam nerveam conſtituens, ſed nullatenùs enodatur indè, cur hi potiùs in convulſiones ferantur, illi delirio potiùs occupentur ? Nec magis intelligitur, cur alii convulſione & contractione perpetuâ vexati, quaſi in motibus ſuis alligentur, alii contrà motibus jactentur inconditis, & fatendum quidem eſt nos in ipſo Hiſtoriæ naturalis limine adhuc poſitos reſolvendis iſtis problematibus eſſe prorsùs impares. Sicubi enim adeſſet mechanica in aliquâ parte cauſa, ut fit in opiſtotono, tetano, emproſthotono, jam non

merè nervea dici deberet convulſio, & aliam prorsùs admitteret theoriam; talis eſt, exempli gratiâ, convulſio febrilis, aut illa metallica quæ ſæpiùs dirum hocce convulſionum genus in temperatioribus noſtris regionibus producit, undè fit ut vix unquam illa deprehendatur apud nos, niſi in metalli Foſſoribus, aut Artificibus qui circà metalla verſantur.

In genere tamen duplex convulſionum genus, ſi de cauſis ſolliciti ſumus, diſtinguendum eſt. Alterum enim immane totam humanitatem ſuſdeque agens, rarò viſum mihi oriri ab aliâ cauſâ, quàm aut ab animi affectibus, aut ab affecto utero, cerebrique epileptici vitio, ſi infantiam prætergreſſa ſit. At quæ mitior eſt convulſio, quaſi convulſivum habitum conſtituit, aut aptitudinem ad concitandos paroxyſmos, ſi aliqua ingruat convellens cauſa. Non ab unico pendet illa fonte. Primus eſt, hæreditatis jure contracta ſtaminum ſentientium debilitas, ſeu ad tenſionem diſpoſitio, quæ quidem primitùs undè ſit repetenda, parùm conſtare videtur. Senſilitatis tamen illius prætermodum auctæ cum aliis Autoribus incuſare velim aromaticorum oleorum eſſentialium, ſpirituoſis mixtorum, piperis, ſalſorum alimentorum, nimiam hodiè profuſionem, quâ à teneris imbuimur, undè vel ipſa in cladem atque perniciem cedit nutritio. 2°. Verò ſæpè innaſcitur convulſivus habitus in teneris atque delicatulis à vividâ cujuſcumque objecti impreſſione, dum adhuc tenera ſtamina, cedunt rebus abſurdis & inuſitatis, aut à diſſimulato præſentis periculi metu. Undè fortiter concuſſa pars illa mo-

bilis atque ſenſu exquiſito indè contracto, vibrat & oſcillat fortiùs, non ſolùm ad præſentiam objecti quod tanto impetu affecit, ſed etiam ad cætera quæcumque. Nemo eſt qui non viderit aut ora diſtorta, aut caput obſtipum, aut artus timore in pueritiâ impreſſo, tremulos. Eoſdem effectus ſæpè videre eſt ab uſu medicamentorum acrium, venenorum præſertim antimonialium quæ longam labem inurunt corporibus, etſi ipſa fuerint vacuata, dum nervos ſuccutiunt, ipſorumque tonum prorsùs immutant.

3°. Verùm an ab obſcurâ rei peractæ aut perpeſſæ memoriâ, an à nativâ & inextricabili fibræ ſtructurâ, an etiam à maternis, utero gravido, debilitatibus pendeant, famoſæ illæ & fidem ſæpè ſibi derogantes convulſiones, quæ ſympatheiæ & antipatheiæ nomine debiles animas divexant, operæ pretium foret hîc indagare. Verùm nulla lux affulget, quæ dirigat errantes, undè rationale naſcatur obſervationi fulcimentum, adeòque nec convulſiones ab antipatheïâ oriri negabimus, nec omninò hiſtoriolis circà illam undequâque per vulgus diffuſis, fidem adhibebimus. Certè ſi aliquid olim nocuit vel in pueritiâ, nauſeam ſæpè & vomitum memori ventriculo imprimit. Nota pluribus vivit hodiè nobilis fœmina, quæ primis ætatis annis ab aciculâ deglutitâ pœnè extincta, ſine convulſionibus aciculas ſpectare non valet; ſed viſo fele exanimari, ſtricti ad aſpectum gladii deliquium animi experiri, ut de Anglorum rege Jacobo narrat Digbæus, quia ſtricto antè oculos gladio, confoſſoque Amaſio, mater ejus Maria Stuarta fuerat perterrefacta, dum ip-

ſum utero gereret, non à Naturæ ordine cognito poteſt enodari, licèt hîc miſerè ingenium torſerit Mallebranchius; nec tamen res prorsùs ideò impoſſibilis reputanda, cùm etiam in convulſionibus concitandis videatur aliquid conferre, diſſitus aſtrorum influxus, quod quidem non facilè refellendis obſervationibus probaſſe videtur Meadius.

4°. At convulſio ſemel nata novis convulſionibus anſam præbet, ſive, quod idem eſt, nihil eſt quod tam potenter habitum convulſivum inducat, quàm ſemel nata, à potenti causâ convulſio. Scilicèt novum indè tonum concipiunt fibræ, ab ipsâ ſuâ diſtractione, diſtractiles fiunt atque vibratiles. Imò indè fit ut ſemel nata convulſio non protinùs finiatur, ſed quaſi per gradus ceſſet & ſensìm obſcuretur, ſæpiùs renovanda. Imò cauſa quæ primitùs levem inducebat convulſionem, ſi perſeveret, & continuatis ictibus agat, conditione corporeâ ſemel inductâ, atrociores, indèque atrociſſimos ſpaſmodicos motus arceſſet. Indè fit ut ad convulſiones debellandas multùm interſit, ægrotantis animi impetum regere, debilitatem firmare & concitatos affectus refrænare, ita ut ſæpè violentiſſimis corporeis motibus ex morali, medicina quærenda ſit.

Ex dictis verò circà nerveas convulſiones non obſcura erit earum diagnoſis, nec à metallico tetano difficilè ſecernentur, nec cum uterinâ paſſione confundentur, ſed ut ſine ſignis oriuntur, mechanicam cauſam arguentibus, ſic ferè nunquàm convulſivus habitus abeſt, aut aliqua externa cauſa violenter ſenſus concutiens, huncque habitum priùs non exiſtentem importans.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Morbis qui Melancholiam nerveam excipiunt.*

Cognita & intimiùs perluſtratâ Melancholiæ nerveæ naturâ, ſupereſt ut de ſorte ejus inquiramus.

Et certè ſi vehementiam ſymptomatum, cauſarumque pertinaciam conſideremus, mirum forſan videbitur corpus adeò labile atque fluxum tot & tantis inſultibus contrà ſtare, ita ut è medio convulſionum tumultu integrum reſurgat, cùm rarò admodùm vel violentiſſimè convulſa mulier ipſos inter ſpaſmos occubuerit; verùm labaſcit intereà tonus fibrarum, jamque deſtinatis uſibus recuſant obſequi. Læditur indè ſecretio, nutritio, aliæque mechanicæ functiones, undè nova exoritur morborum ſoboles, qui Melancholiam per ſe innocuam, lethalem faciunt. Hos verò ſequentibus articulis exequemur. Agemuſque, 1°. de Febre lentâ nerveâ; 2°. de Maraſmo, ſeu Phtiſi nerveâ; 3°. de Paralyſi & Hydrope ab eadem causâ pendentibus. Undè duplex morborum claſſis conſtituta indè deprehenditur, alia tonum auctum mentitur; alia contrà fractum peſſumdatumque fibrarum tonum exhibet.

§. I.

## §. I.

### *De Febre lentâ nerveâ.*

Famosa eſt apud Anglos febris lenta nervea, nuperrimis Autoribus cl. Pringle, Huxham, aliiſque ſummâ cum diligentiâ deſcripta, quæ à lenibus orta principiis clàm graſſatur, & ad mortem ægros deducit vehementiſſimis ſtipata ſymptomatibus. Hæc apud nos malignæ nomine nimiùm generali cognita, ab Hippocrate variis ſymptomatum nominibus deſignata, coctionis atque criſeos capax, à venenato miaſmate intùs admiſſo pendet; & nihil cum hac noſtrâ commune habet, morbumque ſui generis conſtituit. Illa inter acutos morbos numeranda eſt, noſtra verò ad chronicos refertur; nec niſi veteri & jamdudùm graſſanti Melancholiæ competit.

Etenim perfractò & omninò peſſumdato vaſorum tono, deſtructâ fibrarum ſentientium ad æquabilem actionem aptitudine, neceſſe eſt ut ſtimulis naturalibus impulſæ vibrent inæqualiter illæ, adeòque diſcordem circuitùm efficiant, ſed auctum ſimul atque impetu quodam donatum. Ipſa enim debilitas à reſiſtentiâ circà vaſorum axim frequentiores efficiet vibrationes, adeòque pulſum exhibebit frequentiſſimum & imbellem.

Nunquam igitur cum Melancholiâ nerveâ incipit febris nervea, ſed inveteraſcenti ſuccedit, aut illam potiùs comitatur, & quaſi trementis muſculoſæ vaſorum tunicæ ideam præſtat.

Latenter quidem incipit illa, & vix ejus principia cognitione poſſumus aſſequi, cùm illa pulſûs

frequentia præternaturalis debilitati ſemper conjuncta ſit. Prævideri tamen poteſt & præſentiri languore quodam animi & corporis, in oculis, facie; ariditate cutis, dolore artuum, quem oſteocopum ſcholæ vocant, depreſſione omnium functionum, quæ quidem depreſſio convulſivis motibus, & totius machinæ ſuccuſſibus ſuccedit.

Exiſtentem autem imò & jam confirmatam demonſtrant, non æſtus, non ardor febrilis, ſed pulſûs vacillantis frequentia, ſummæ debilitati conſociata. In vehementiori paroxyſmo ſerratilis & quaſi trementis chordæ durities adeſt, undoſum in morem exaſperata aliquandò, aliquandò etiam in minùs regulari victûs ratione intermittens. Calor ad aliquas partes delabitur, ſed nunquam univerſalis eſt; nunc faciem, nunc volas manuum ita occupans, ut quæ modò æſtuabant, momento pòſt partes algeant.

Tum verò meticuloſa mentis depreſſio, imò puſillanimitas, ſæpè lachrymis, ejulatibus, deſperationis ſignis comitata, increſcunt & inſiliunt miſeros. Nec abſunt levia convulſionum veſtigia, tendinum ſubſultus, diſtorquetur os, pervertitur, aut dolet in variis motibus collum, ut & lumbi in fœminis.

Febris autem nervea, aut intermittens eſt, aut continua. Quæ intermittit, ſæpiùs periodum ſervat, aliquandò abnormis & incondita eſt. Quæ intermittit, nunquam incipit à rigore, aut horrore, ſed illud ſymptoma, ſæpè ipſum intercurrit paroxyſmum. Sudores erratici nihil pariter in illâ febre abſolvunt, & ſæpiùs per ſomnolentiam

levem, febris decidit. Nec alius eſt typus ejus quæ continua eſt. Rationem intermiſſionis difficile eſt augurari, ſed corpus iiſdem horis eumdem ſtatum affectat, undè periodus naſcitur.

Farraginem ejus ſymptomatum enumerando exponere ut inutile, ſic impoſſibile eſt. Nihil enim inter ſe commune habent, & ad affectionem nerveam potiùs quàm ad febrem ipſam referuntur. Vidi febre nerveâ, periodicâ, quotidianâ & intermittente laborantem, quem ad clamores & ejulatus cogeret dolor ad orbitæ ſciſſuram, quâ nervea fibrilla ad frontem tranſmittitur.

Occupabat primò dolor ille, partem vix lineam latam, quam ſi vel minimè tangeres, ejulabat æger miſerrimè. Indè dolor ille ad inſtar rivuli per omnes faciei partes decurrebat, eamque gryphis ungulæ mordaci comparabat æger. In aliâ thorax totus occupabatur, & ſeſe infelix, quaſi phaleris conſtringentibus vexatum querebatur. Undè mirùm quantoperè diſtractionibus levaretur, & diſtorto ſitu.

In continuâ febre cruciatus illos leviores eſſe æquum eſt, cùm brevì moderationem adipiſcantur, quæ perpetua ſunt; reviviſcant contrà acriùs quæ intervallo ſopita conquievêre; minùs tamen extenuatur corpus ab intermittente febre quàm à continuâ, cùm ab ipſo quieſcentis mali intervallo reparetur corpus.

Abit autem febris hæc noſtra ſæpè inopinâ ſanatione, in ſtatum ſanitati propiorem, ſi excitantes cauſæ fuerint ſemotæ; exceperit, v. gr., lætitia mœrorem, ſi ſecuta ſit mentis aſſiduas

contentiones, diverſio atque diſtractio ; ſi demùm ægri ſeſe legitimo atque moderato rerum non naturalium uſui dociles præbuerint.

Verùm ingraveſcentibus, aut etiam perpetuò ſævientibus mali cauſis, ingraveſcit etiam malum. Hinc perturbatis ſecretionibus, obſtipatâque canalium cutaneorum aperturâ, nulla fit à cute exhalatio, undè annotatum quòd ſimili morbo laborantum, lintea vix fœdentur. Undè cachexia huic febri, cum febre cachecticâ ſuccedit, quam excipit hydrops. Vel ſi nimia ſit ſiccitas, Melancholia humoralis nerveam excipit, de quâ mox erit dicendum.

Sed omnium quibus infeliciter terminatur febris noſtra nervea, viarum, miſerior nulla, nulla frequentior, quàm ea quâ in phtiſim & febrim hecticam abit. Sensìm ſcilicèt invaleſcens vaſaque nutritioni ſuſcipiendæ dicata & apta conſtringens & exſiccans, ipſam materiem nutritiam ſtagnatione corrumpit. Undè hecticum & tabificum fit quòd alendæ atque reparandæ machinæ fuerat inſtitutum.

Melancholiam verò, ſeu nerveam febrem in hecticam delabi, plura docent ſigna. Primò, ſi ei adjungatur calor qui priùs conſtans non erat ; tum, ſi ad veſperam æſtus ingraveſcat ; mox verò rubor quidam faciei, oculis fulgor accedet. Et primò quidem præclarè ſecum agi credent ægri, accedetque brevì poſteà ipſa ex hectico ſtatu nata confidentia. Frigus pedum quod hac febre laborantibus familiare eſt, tardiùs recedet quàm in omnibus aliis febribus, cedet tamen. Tum pulſationes arteriarum, ſudores matutini, vigiliæ

æſtuoſæ, aliaque ſigna quæ tabidam febrem comitantur, adſunt. Progreditur intereà tempus, nec jam dubia ſunt hecticæ febris ſymptomata, nec ulteriori indigent deſcriptione. Verùm quis ſit tantorum laborum finis quæritur? Certè ubi res eò anguſtiæ devenerunt, non dubitandum eſt quin ominoſum ſit malum & nullâ prorsùs arte emendandum. Imperat per univerſi corporis ambitum, corrumpens diatheſis, & ipſum ejus centrum depaſcitur, undè optima quæque pervertuntur, & per abnormes excretiones colliqueſcit corpus & collabitur.

Triſtiſſimum quidem mali hujus exemplum in Melitenſi Equite nobiliſſimo me vidiſſe memini, qui cum febre hecticâ plures per annos colluctatus, tandem miſerè ita contabuit, ut antè mortem ad inſtar ſceleti exſiccatus ambularet tamen, non ſine omnium ſpectantium terrore. Hunc remotis omnibus remediis quæ officioſa ſedulitas obtulerat, victoque per vim, quem ad omnia edulia afferebat, terrore, tandem priſtinæ videram ſanitati reſtitutum. At dum rus abit ferè reconvaleſcens, iterùm eodem delirio melancholico correptus, metuenſque alimenta, rursùs ſe febre corripi atque marceſcere permiſit, undè per immanem diarrhæam è vivis abſumptus eſt. Alterum vidi Militum Prætorianorum cohortis Ducem, cui eadem contigit infelicitas, ſed in illo nullum erat ad capiendos cibos faſtidium; ſed ſolo infelici amore, qui in corpore ſummè ſenſili altas egerat radices, ſensìm febre lentâ contabuit. At quatuor ante mortem diebus febris vehementiſſima exarſit cum delirio atque convul-

ſionibus, undè non vana mihi humoralis Melancholiæ motæ, exorta ſuſpicio.

## §. II.

### *De Tabe nerveâ.*

Cum rarò aliquis ſine febre colliqueſcat, ipſaque febris lenta tabem, tabes verò febrim lentam inducat, actum agere videremur, niſi illa ſæpè ſine febre ingentem corpori vim inducere nata foret, nec niſi jam confirmatæ tabi comes accedere febris poſſit. Ut enim tabes immineat, ſufficit ceſſet ali homo cui impendet. Hinc aut deeſſe debet, aut non applicari materies nutritia, undè fit ut detrita quotidiano vitæ uſu Natura, rore non perfundantur, quòd à triplici origine pendet, autore Galeno, cujus in hac diſquiſitione veſtigia ſectamur, Naturæ obſervationi maximè conſona.

Origines autem phtiſeos tres illæ ſunt; 1°. Solidorum ſiccitas, ſive arida prætermodùm diatheſis; 2°. illorum torrefactio; 3°. humorum putredo ſeu acrimonia. Quamvis autem voces illæ non omninò ſaniori Phyſice conſonæ ſint, rem tamen enodare aptæ, cauſas omnes quibus pervertitur nutritio, comprehendunt.

Quoad verò humorum acrimoniam, nihil in phtiſi nerveâ enodandâ conferre poteſt, & ad nos non pertinet, ſed alias ferè omnes phtiſeon ſpecies comprehendit.

Ea autem quæ à torrefactione ſolidorum ſecundùm Galenum pendet, non repetenda eſt ab igneâ intùs redundante materie, qualis habetur

obſervatio virorum à propriâ & indigenâ flammâ exuſtorum ; ſed aliquatenùs cum ariditate coincidens, ſummam ſolidorum tenſionem & inflammatoriam liquorum denſitatem complectitur, ita ut ad minimum motum tota machina quaſi incadeſcat : in phtiſicis duòbus ejuſmodi ſitim inexhauſtam vidiſſe memini, cum alvi enormi depreſſione, ita ut umbilicus quaſi dorſo adhærero videretur. Iracundias, affectus animi vividos inter hujuſce phtiſeos cauſas recenſuit Galenus ; regionibus verò æſtuoſis multò magis quàm noſtris, familiaris videtur. Unum & alterum vidi è juvenibus nobilibus Gallis, è Melitâ inſulâ reduces, quibus hoc malum impendebat, & plures eò mulctatos reperies poſt bella æſtiva Italica, ubi in æſtuante cœlò illos indefeſſus labor exhauſit. Verùm rarò morbus ille ſine aliquâ acrimoniâ, ex earum præcipuè genere quæ ad alcali acre volatile vergunt, complexus atque compoſitus, non incedit, rariſſimèque ſimplex apparet.

Ad veram tabem nerveam præcipuè pertinet maraſmi tertium genus, quod à ſiccitate pendens Galenus deſcripſit, & quod ex ipsâ rei naturâ petitâ Metaphorâ, ex morbo ſenium, nuncupavit. Scilicèt ſeniorum ſolida quaſi ad ultimum nutritionis faſtigium evecta, induruêre, & eum ſoliditatis gradum adepta ſunt, ut jam roris nutritii impulſioni cedere dediſcant. Hinc actiones, flexilitate deſtitutis organis, languent, undè & ab ipsâ duritie robur deficit, mobilitas impeditur, & quaſi incatenatur. Fit rugoſa macies, & demùm quies illa perpetua ſilicerniis mente &

corpore exhauſtis, exoptanda, quæ mortem ſenilem conſtituit.

Maraſmo melancholico inducendo concurrit idem mechaniſmus, vel deeſt ob vacuationes nimias ros alluens nutritius, aut ob animi affectus alimenta vel non admittuntur, vel admiſſa non concoquuntur; aut criſpatæ erethiſmo perpetuo ſolidæ partes, illius influxum recuſant admittere. Undè ſensìm opima corporis conſtitutio elangueſcit, & omnia ad reparationem inſtituta vertuntur in perniciem.

Patet indè quòd ad maraſmum illum producendum omnes ferè cauſæ poſſint conducere, quæ nerveæ Melancholiæ favent; ſed præſertim illæ tabem maturè inducunt, quæ corpus quaſi perpetuo erethiſmo ſtringunt, ita ut vinciantur & alligentur functiones omnes, nutritio præſertim, dum fibræ tenſione ſuâ ariditatem, imò & rigiditatem æmulantur. Cùm verò à nimiis vacuationibus inducitur Melancholia, ſuo defraudatum alimento corpus contabeſcit citiùs quàm ab aliâ quavis cauſâ, ſive morbi natura, ſive præpoſtera artis auxilia huic cauſæ dederint ingreſſum.

Mœror atque mœſtitia cùm perpetuum erethiſmum inducant, etiam præcipuè digeſtionibus officiunt, nec minùs invidia quæ alienâ felicitate colliqueſcit; undè ipſam rugis & macie horridam pingit Ovidius; uno verbo, omnes animi affectus qui dum mentem invadunt, corporeis functionibus vincula injiciunt, primam cauſarum claſſem complent, nec minùs eumdem effec-

tum edunt meditationes nimiùm protractæ, abſtractæ præſertim à ſenſibus, ut aiunt Patres noſtri vidiſſe ſe Mallebranchium ferè diaphanum præ macie. Undè etiam ferè omnes doctrinæ aſſeclæ macilenti ſunt.

Sed duplici titulo maciem illam inducit, melancholicis familiaris, timor alimentorum, quem non in uno nerveâ Melancholiâ laborante vidi. Miſerum memini me vidiſſe, quem hinc fames urgebat, illinc angebat timor, in utramque partem infelix, ſive huic, ſive illi obſequeretur affectui. Vigiliæ immodicæ quæ, ut Hippocratis verbis utar, maximè ſiccant, inter maciei nerveæ cauſas, cùm rarò ſine animi anxietate ingruant, numerandæ ſunt, quæ & vires abſumunt, & ſolida tenſione perpetuâ fatigant. Adeſt enim cauſa ſomnos auferens, qualem in infelici Phœniſsâ Poëta depingit, quæ aut oculis, aut pectore nunquam concipiebat ſomnum. Hinc tingitur violâ amantium pallor, quos languidioribus oculis agnoſci vult Anacreon.

Ad alteram cauſarum claſſem referuntur humorum deperditiones quæcumque, ut in juvenibus atque amaſiis, cum fœdo viſu ſomnia ſemen profundere cogunt, aut ſcortorum amor, ſuccis exhaurit incautos & diſcriminis inſcios. Huc etiam refertur nimia perſpiratio, undè macilentia quaſi ingenita eſt locorum aridiorum incolis, & ſæpè nerveo modo invadit eos qui à Borealibus locis advecti in hæc loca, nimiis laboribus indulgent.

Contrariâ prorsùs actione phtiſici evadunt, quos acris aliqua materies intùs penetrat, &

quaſi ad imas uſque medullas perfundit, vitiatur indè ros nutritius, vellicanturque fibræ, ita ut areſcant, & ipsâ nutritionis defraudatione contabeſcant. Talis videtur eſſe miſerrimus Britannorum caſus, qui adeò frequenter melancholicè colliqueſcunt: ſed utut non poſſit dici morbus ille verè nerveus, tamen à causâ tàm citò difflabili pendet, ut nunquam illum in Anglis, ad Galliam advectis, mihi videre contigerit, ſed qui tali morbo in Angliâ laborantes, ad nos navigarunt, jam ubi advenêre, curationi adeò proximi ſunt, ut nullo alio auxilio indigeant, præter rectam rerum non naturalium adminiſtrationem. Sed quodcumque acre eſt ad meram nerveam Melancholiam referri non debet; cauſa enim in illa phtiſi exiſtit, à Melancholiâ prorsùs diverſa. Sic etiam maciem quæ à fame, nimiis laboribus ſæpè ſæpiùs ad maraſmum uſque deducitur, hic inter cauſas noſtræ phtiſeos recenſere ſupervacuum eſt. Mali enim evidens cauſa eſt, quâ ceſſante ceſſat etiam malum.

Sensìm & ferè ſine ullo ſymptomate malum ingruit; & ſæpè ad uſque extremum aguntur ægri nullo alio ſymptomate, quàm iis quæ ad nervorum affectionem pertinent. Ægris ferè omnibus, enormis ad frigus impatientia adeſt. Intùs quaſi frigeſcunt. Vidi quorum dimidiam corporis partem in hemiplegiæ modum frigus afficeret. Vidi virum cui tegumenta capitis externa quaſi glacie icta calorem non acciperent, ipſo ſaltem ita conquerente; nam aut ad thermometrum, aut ad digitum frigus nullum ſentiebatur. Intereà ſeſe miſer caputque induſiis ita onerabat,

ut riſum ſpectantibus moveret. Mirum eſt quantùm vel furente Syrio ament veſtibus veſtes ingerere puſillanimes, & prætextus varios veſaniæ aggerentes. Nullus enim eſt verè nerveus homo qui vereatur, ut miſericordiam extundat, mendaciis vel turpibus, hiſtoriam malorum onerare.

Tabes nervea cùm non conjunctam habet febrem, plures per annos immota in eodem ſtatu remanet. Si febrem ſibi adſciſcat, huic ferendæ corpus impar, quaſi in cineres citò dilabitur. Sed ſine febre etiam poteſt eò devenire, ut facies Hippocratica luctui atque terrori ingenito commixta horrorem ſpectantibus incutiat. Jam nec mens, nec judicium ſibi conſtant, ſed imbecilles & fatui ſenum in morem decrepitorum delirant. Concoctio flatibus & ructibus conturbatur, urinæ ut plurimùm impensè fluunt, & ubi jam in hoc ſtatu conſtitutus eſt morbus, aut per ſe in mortem abit, aut in alios, ſed promptè funeſtos morbos delabitur. Ubi ſcilicèt finis imminet, nulla functionum in tantâ rerum ruinâ rectè peragitur; ſed evidentiùs alimenta in vas inanimum (ἄψυχον ἔγχος), ut verbis Galeni utar, infuſa, mutari neſciunt, & ſpontè corrupta lienteriæ formâ, cum detritis naturæ reliquiis vacuantur & abeunt. Quòd ſi aliquid chyli penetrat altiùs, jam rubor inde enaſci in ſanguine non poteſt, ſed viribus elanguidis exundat latex aqueus; & in hanc aut illam partem irrumpit; vel cellulas inflat adipoſas, brevì anxietatem atque ſuffocationem lethiferam advocaturus. Hinc ſæpè ad finem tendens morbus noſter, phtiſeos ſuppuratoriæ formam induit, & tuſſium ingenti reduplicatione

fatigat ægrotantes, adeò ingenti pulmonum labore, ut aquâ Stygiâ tacti videantur illi. Nulla enim in toto corpore arctior eſt liquidis via, nec ulla ubi præceps ſanguinis motus tot infarctus reperiat ipsâ laticis perlabentis velocitate, infames.

## §. III.

### *De Paralyſi & Hydrope qui nerveam affectionem excipiunt.*

Convulsionibus quaſſati, diſtractione nimiâ ultrà modum tenſi, quaſi perpetuo labore fatigati, tandem ad atoniam nervi deducuntur. Quæ atonia non modò laxiores reddit, ſed ſi ultrà modum progrediatur, inhabiles ad tenſionem facit. Minuitur ſcilicèt diſtractione perpetuâ partium fibras conſtituentium adhæſio, indèque fatiſcere neceſſe eſt proprietatem illam tonicam quâ gaudebant, & quâ ad varias corporum impreſſiones vibratiles oſcillabant. Hinc ut fatigatus quilibet vel curſu nimio, vel actione quavis inſolitâ, tremore afficitur in muſculis delaſſatis, & ut in motu vacillat, ſic in ſenſu hebeſcit; pariter melancholici longâ defatigatione nerveâ tonum amittunt, & in veram paralyſim degeneres feruntur.

Paralyſis illa non in hemiphlegiæ modum invadit, ſed in ipsâ ſuâ origine aliquid convulſivi habet, & priſtina mobilium nervorum indoles, vel in ipsâ ſuâ impotentiâ, ſeſe ſpectandam præbet. Rarò abſoluta atque perfecta cùm merè nervea eſt, occurrit; hinc peraguntur ſæpiùs actiones

ab hominibus illâ paralyſi affectis, ſed convulſivè & quaſi per ſaltum. Virum novi pluribus ab annis hoc malo affectum, poſt convulſivos habitus, laboreſque aſſiduos eò redactum, exactâ in laborioſo magiſtratu ætate. Hic antequàm cujuſvis muſculi poſſit motum in fines propoſitos determinare, tremore univerſali corripitur, qui in parte motâ ad uſque convulſionem progreditur; nec abeſt aut oris difformis tortura, aut maxillæ motitatio, undè blæſus balbuſque incautis, & ridiculus pueris videatur.

Sæpè verò hac paralyſi unus aut alter muſculus afficitur. Vidi fœminam in quâ deltoïdei muſculi actio deerat prorsùs, auxiliantibus, ſed malè, reliquis; & quanquam fatendum ſit raras eſſe hujuſmodi paralyſes perfectas, nullus ferè eſt convulſivum habitum paſſus, qui non plus minùſve ætate provectior tremat, quòd & quibuſdam proſapiis gentilitium eſt.

Verùm nullibi completa magis paralyſis hæc emicat, quàm in ingenti inteſtinorum tractu, qui poſt violentos colicos dolores nerveos, aut metallicos, ſæpè paralytici evadunt, & in tympanitidem figurantur. In hoc morbo laxatæ inteſtinales tunicæ jam aëri clauſtra non imponunt, undè diſtenduntur enormem in molem inteſtina verè paralytica.

Illâ autem paralyſeos naturâ ſemel poſitâ, facile eſt intelligere quòd ſi in unâ parte adſit atonia, quod naturæ reliquum eſt pariter labaſcit; hinc deſunt circumeunti per vaſa atona ſanguini, fulcra atque adjumenta. Undè tardior ejus regreſſus, friguſque enorme, quod his fermè om-

nibus ægris commune eſt, metuendam reddunt ſtagnationem,indèque gangrænam, quæ ſæpè ſicca à rubedine in livorem, indèque in ſphaceloſam atram nigricantem maculam, ſensìm ſerpentem, abit; cùm brevì collecta ſanies ſpontaneam concipiat acredinem, & toti communicet viciniæ.

Promptior eſt atque facilior atoniæ illius in hydropem tranſitus.

Ea enim eſt ſanguinis natura ut partibus gravitate diversâ donatis conſtans, ſolo motu fluidus remaneat, qui ſi deſit, aggeruntur ſimul ſolidiora, liquidiora verò in cellulas adipoſas, aut cava quæcumque elabuntur. Hinc hydrops adeſt, nullâ aliâ præter nerveam atoniam famulante causâ. Adeſt etiam redundantia tenuioris liquidi quàm ipſa chyli cruditas ſuppeditat. Sed in hoc illudve cavum quaſi deducit cauſa, quæ hanc illamve partem plus defatigavit. Ita familiare eſt illis qui longis aſthmatis convulſivi paroxyſmis conflictati fuêre, ut hydrope pectoris, intereant; debilitato præcipuè vaſorum pulmonarium tono; quod etiam iis evenit qui cor atonum præ longis palpitationibus habent. Ita etiam non tympanitidem ſolùm, ſed & aſcitem longi colici dolores produxêre. Sic etiam apud Naturæ Curioſorum Ephemerides legitur exemplum hominis, quem aſſiduus mentis labor in hydrocephalum injecerat, duplicatâ ſic debilitatis atque atoniæ causâ.

*Finis primæ Partis.*

# DE MELANCHOLIA
## ET
# MORBIS MELANCHOLICIS.

## *PARS ALTERA.*

### *De Melancholiâ Humorali.*

QUANTUMVIS veteres Medici reverâ intemperiem ſine materiâ exiſtere, eamque quaſi in intimis Naturæ penetralibus radicatam, poſſe innumeris calamitatibus anſam præbere agnoverint, tamen ubi de Melancholiâ mentionem injecêre, eam inter morbos non ſolùm ab humorum vitio repetendos, ſed etiam ab intemperie humoris Naturæ affinis, & inter elementa corporis conſtituti, ſæpè ſæpiùs ortam, aſſeveravêre.

Ut autem quouſque eorum hac in Parte aſſertis fides adhibenda ſit, meliùs intelligatur; quid de Melancholiâ cenſuerint tum in ſtatu naturali, tum in ægroti corporis declinatione, antè omnia exponendum incumbit; indè quid ſit, & an reverâ exiſtat ſuccus ille melancholicus, expenden-

dum eſt ; quod cùm firmata ratione experientia adſtruxerit, effectus ejus, cauſas, ſymptomata, rationem quâ degener ire poſſit humor ille, ex eodem filo deducemus : undè non diagnoſis tantùm, ſed & prognoſis, & propter quam inſtituuntur cætera, ipſa curatio poſſit aliquem certitudinis gradum, qualis Medicinæ conceditur, adipiſci.

CAP. I.

# CAPUT PRIMUM.

## *De Veterum Melancholiâ.*

SANGUINEM humanum, ut & aliorum omnium animantium quæ communi vitæ beneficio fruuntur, ſimplicem eſſe non poſſe, ſed, cùm variis partibus nutriendis deſtinatus ſit, varias etiam ſortiri partes, diverſis corporis elementis conſonas & accommodatas, primus omnium propoſuit Hippocrates. Si enim hemorrhagiâ enormi aliquis laboraverit, quatuor partes exire, pronuntiat; pituitam ſcilicèt, bilem, ſanguinem propriè dictum, & Melancholiam, ſeu melancholicum ſuccum.

Eo igitur Autore habentur quatuor hæc ſuccorum genera, vi naturæ genitorum, & illi non familiarium tantùm, ſed etiam ex ipsâ ſuâ eſſentiâ requiſitorum (*a*). Hinc etiam quatuor illa, potentiorum catharticorum vis educit, non ſimul & confusè, ſed admodùm diſtinctè, ita ut unuſquiſque ſuo ordine appareat; pituita quidem, prima elicitur; ab eâ verò proxima facilitate cedendi, bilis: vehementior vis ſanguinem accerſit; ferociùs ſævienti medicamenti efficaciæ auſcultat tantummodò, Melancholia. Undè quoties ſursùm aut deorsùm apparet, funeſto ſemper eventu educitur; pronuntiante Hippocrate, *ortam ab atrâ bile dyſenteriam* lethalem eſſe.

(*a*) Lib. de Humoribus, paſſim.

Ea verò ( ex Autore noſtro cujus doctrinam hîc exſcribimus ) , ſi moderata & ad legem Naturæ temperata ſit, ad optimam ſanguinei laticis conſtitutionem neceſſariò conducit & in eo continetur, nedum noceat. Si verò emineat , ſi *per ſe exiſtat*, ut amat loqui , tunc effectus habet à Naturæ ordine prorsùs alienos. Qui verò ſint illi, non ab alio Autore, ſed ab Hippocrate ſolo repetemus.

Glutinoſam atrabilem eſſe , & quaſi piceam multis locis aſſeruit ; undè nihil mirum eſt ſi morbos ei adſcribat qui tenacitatem ſummam in humoribus & immeabilitatem præ ſe ferunt ; quartanam , magnos lienes , uteri obſtructiones, morbos etiam inflammatorios , ſed inflammatione lentâ conficientes , tormina & difficultatem inteſtinorum ſeu dyſenteriam , hæmorrhoïdes, cancros demùm. Sapientior tamen illis qui eum poſteà ſecuti ſunt , hoſcè morbos nunquam ab unicâ causâ pendentes , ſed à diverſis ſæpè diverſam mutuantes originem depinxit. Sic , v. g. aliam agnovit dyſenteriam ab atrâ bile pendentem , aliam à diversâ repetendam origine. Generatim verò , ut ea eſt corpori humano ſtructura, quæ ſummè mobilis ſit , & per influentes irruenteſque undequâque cauſas, ineluctabiles illas, alteranda : iis ſummè inſtitit Medicorum communis præceptor ; & inter haſce cauſas nullus etiam inter recentiores Phyſices præceptis imbutos, accuratiùs tempeſtatum effectus expendit ; undè pro naturali humorum conſtitutione , & neceſſario aëris in humores influxu , varias prædominari elementares in ſanguine partes pronuntiat.

Frigido & ex præcedenti aëris æſtivi ſqualore, ſicco adhuc, autumno Melancholiam adſcripſit, quam hoc tempore prædominari non uno loco pronuntiat ; undè omnibus autumnalibus morbis Melancholici quid ineſſe, conſequens eſt. Præcipuè verò habitat illa in quartanâ, circa cujus cauſam, nullam exceptionem adhibuit Hippocrates. Indè verò longiùs provectus, inter eas hominis ætates quæ autumno tum cauſis, tum effectibus reſpondet, ea eſt maximè Melancholiæ obnoxia, quæque eſt virilitati proxima, cùm vires jam anteà firmæ franguntur, corpuſque declinat in ſenium.

Notandum eſt autem cum iis qui poſt Hippocratis tempora circà hujus dogmata verſati ſunt, effectus omnes quos Autor noſter ut proprios Melancholiæ dicavit, frigidi quid habere ut & ſicci aliquid atque exuſti, undè Melancholiam ut frigidam & ſiccam habuêre. Quod quidem effatum nullibi apud Hippocratem reperire eſt, cùm contrà ſapientiſſimus Naturæ Myſta, in ejus arcanis detegendis nihil omninò tribuendum eſſe qualitatibus illis fictitiis cenſuerit, ſed tantùm evidentibus, quæ ſcilicèt aliquo ſenſu externo ſe produnt, colore, odore, ſapore.

Præterea inter cauſas quæ Melancholiæ dominium aliquod inducere valent, nullam de frigido mentionem habuit. Sed pro cauſis habet concoctionum languentium vitia, ſi præſertim à craſſis & inertibus ſuccis languor ille inducatur, animi pathemata triſtitia, ut amorem & mœſtitiam ; carnis bubulæ, caſei veteris uſum, aliaque quæ hìc referre tot ſparſa voluminibus & ope-

roſum & ſupervacaneum foret. Sed in illud omnes illæ cauſæ conſentiunt, ut craſſities partibus ſanguinis & tenacitas viſcoſa, indivulſa, tractilis &, ut loquimur, *gummoſa*, picea inducatur, qualem reperire eſt in extractis quæ vegetationi propriâ aquâ à plantis eductâ, parantur, ut ex Hippocrate Melancholia dici non poſſit frigida & ſicca, ſed craſſa tantùm & ſicca; non quidem eo ſiccitatis genere quod per vaſorum actionem & *coctionem*, (ut verbis Hippocraticis non deſim) enaſcitur, ſed quod tantùm ex ablato liquido per exuſtionem & vaporationem repetendum ſit.

Patet ex dictis inertiam quandam Melancholiæ propriam eſſe, undè in illâ producendâ concurrunt cauſæ quæ vires aliquatenùs infractas fuiſſe, ſimulque præceſſiſſe incendium declarant. Talis ſunt, autumnus ab æſtate, ſenium à virili robore, otium à laboribus ingens, vigiliæ, triſtes animi affectus, tempeſtates ſiccæ poſt Aquilones, alimenta dura, ſicca, auſtera, immatura, potiones ſimilis generis. Hinc eam pici liquatæ ſimilem, ab inteſtinis exire videt.

Quod verò ſpectat ejus effectus, naturales quidem, eoſque qui ex ordine conſtitutionis humanæ debent ab humoris ſanguinem pro parte conſtituentis exiſtentiâ pendere, parùm expedit Hippocrates; ſed atram bilem inter feraciſſimas morborum cauſas habet; eam quidem non ut morboſam per ſe ſpectans; ſed nunc ut corrumpi facilem, nunc verò ut exundantem. Quæ quidem atræ bilis nocumenta non huic ſoli humori peculiaria credit, ſed cuicumque alii vel maximè naturali humori pariter competunt, ſi aut ſuperexundet, aut corrumpatur.

Parùm fuit in inveſtigandâ theoriâ ſubtilis Hippocrates, & cùm in obſervandis evidentibus cauſarum effectibus perſpicax antè alios judicetur, mechaniſmum quâ agerent, arte leviſſimâ proſecutus eſt. Morbos omnes ab humorum atque flatuum nunc corruptelâ, nunc deviatione, nunc exuperantiâ deduci voluit, nomina ſortiri à parte in quam decumberent. Inter corrumpentes cauſas primarias, aëris, aquarum, alimentorum vitia recenſuit: deviare humores à partium attractione explicabat; exuberantiam verò atque redundantiam à cauſis quæ hunc illumve humorem producunt, ex actione ergo cauſarum mox recenſitarum.

Hac igitur adhibitâ diviſione, quis locus tribuendus ſit atræ bili ſatìs patet. Autumnalis cauſa in autumnalibus præcipuè morbis reperitur, & in conſtitutione epidemicâ autumnali (*a*), phrenitides, febres ardentes, inteſtinorum difficultates ab atrâ bile repetebat, quibus peſſimam pronuntiabat prognoſim, tum ob tenacitatem vix vincendam materiæ morbum facientis, tum ob peſſimam putredinem, quæ dum acriùs inhæret, rodit, & medicamentorum penetranti efficaciæ reſiſtit. Hinc, *Lib. de internis Affectionibus*, varicem pulmonis ab atrâ bile ortam & ſanguinem effundentem, inter lethalia mala numerat.

Verùm licèt diſtinctiſſimè pronuntiet & innumeris quidem locis, quantam capiti atrabilis pernicies minetur, plus tamen ad arcem cerebri irradiant partes, quæ bilem atram quaſi ſuæ naturæ

(*a*) Sect. III. Epid.

jure excipiunt, quam ipſum per ſe patitur caput. Sic loco citato deſcribit hepatis morbum atræ bili acceptum, qui dolente maximè, imò evidentiſſimè inflammato jecinore, mala, imò peſſima ſymptomata in omnes corporis partes miſerrimâ communione diffundit, deliria ſcilicèt levia, nugatoria, ſed præcipuè ſtrangulatum miſerrimum. Hoc morbo deſcripto, ad alium tranſit, quem cùm Autor noſter à bile ſanguini commixtâ intrà viſcerum cava erumpente acceptum referat, patebit ex modò dicendis ab atrâ bile eſſe repetendum. Hic autem miſerrimo morbo enecat, inſaniam immanem inducens, & ita atrocibus ſtipatam doloribus, ut ipſi erigantur capitis pili.

Hîc autem notatu dignum ad ſummi Hippocratis laudem licebit adducere, quòd nulla eum circà bilis effectus præconcepta opinio à vero abduxerit (*a*). Cùm enim lien & colore & officio, (licèt minùs diſtinctè apud Hippocratem) ad Melancholiam deſtinatus videatur; tamen dum ejus morbos expendit, obſervationi unicè fidens, multos recenſet quos, licèt atræ bilis ſigna adſint ſaltem ambigua, aliis tamen quas obſervatio ipſi detexerat, cauſis adſcribit. Sic primum à bile attractâ numerat in quo ſymptomata occupant artus, inteſtina, partes denique omnes. Hunc ferè ab immodico ejus volumine aucto pendere pronuntiat. Eum tamen bili tribuit, non atræ bili; quòd repugnent aliqua, tenacitati bilis atræ ſymptomata, cùm ſcilicèt eodem die lien decreſcat deinde verò rursùs augeatur; quo ſympto-

(*a*) De Morbis Lib. III. paſſim.

mate neceſſum eſt ſignificari humorem mobilitate vigentem.

Nec audet tamen Hippocrates, ( ſed fatebor me quâ de ratione neſcire ) ad Melancholiam referre alterum lienis morbum, in quo color vultûs aut niger eſt, aut ſaltem malicorii inſtar, qui color ad atram bilem ſolam pertinet; membris quidem dolentibus præ gravitate, ore intereà & gingivis fœtentibus. Ego quidem Galeni (*a*) autoritate, & ipsâ rei naturâ, & demùm quod argumentum Hippocraticum eſt, morbi curatione fretus, morbum hunc ad Melancholicos ablegaverim.

Demùm (*b*) morbum lienis ab atrâ bile recenſet ab olerum crudorum uſu præcipuè natum, vultu nigricanti, aliiſque Melancholiæ ſymptomatibus agnoſcendum; ſed pondere præcipuè quo lien in viſcera alia vicina incumbit. Nec jam minuitur aut augeſcit lien, ſed conſtat eodem immaniter aucto volumine & pondere, & ruptionis, imò roſionis periculum incurrit, ab hærente tenaciſſimâ & acri atrâ bile. Tum lien ruptus, digito tangenti, ſtrepitum edit. Strepitus porrò, ſeu rugitus lienis, ſi reverâ ad lienem pertinet, ſymptoma eſt, multis apud illum locis infame. Habemus ergo ex ſuprà dictis obſervationibus Hippocraticis atram bilem triplici quidem in loco, ac triplici ſub conditione ſpectandam. 1°. In ſtatu naturæ partem ſanguinis conſtituentem, adeòque alendis partibus analogis deſtinatam, uſuique accommodatam, quem ſan-

(*a*) Comment. in Lib. de Morbis. (*b*) Ibid.

guis ipſe recipit, cujus pars eſt eſſentialis. 2°. In morbis acutis ubi vel exuperans, vel devia, aut ſimul & exuperans & devia, pro diverſo ejus perverſitatis gradu ſymptomata accerſit, nunc leviora, nunc contrà graviſſima. Eam quidem nunc in pulmonibus commemorat, pro varicis & hemorrhagiæ nigræ causâ, nunc ad caput delatam è ventriculo, quaſi afflantem lethargum; deliria, metum atque mœſtitiam inducentem; & dum ſenſuum originem pervertit, ægros lychni extincti & fumantis adhuc odore delectatos & vehementer allicitos, depingit. Mox verò atrocior facta, in morborum acutorum principio peſſimis ægri rebus apparet, mortem minata certiſſimam, eamque celerem ſi ſursùm vomatur, minùs celerem, minùs certam, ſi deorsùm prorumpat. Quâ quidem in prognoſi docet nos ipſe, quantoperè diſtinguenda ſit materia nigricans, ſola ſtaſi, in atrum verſa colorem, à venenatâ illâ atræ bilis pice; cum aliquandò fauſto omine, & bonis ægri rebus materia nigreſcens per inferiora exeat: peſſimum contrà ſit, ſummè dolorificum & ſæpiùs funeſtum, dyſenteriam ab atrâ bile ordiri; quæ etiam ſi aliquandò potentioris naturæ viribus in melius mutetur, longam tamen labem inteſtinis & partibus omnibus, per quas rapta eſt, inurit. Signa porrò quibus Melancholia à materiâ nigricante diſtinguatur atque diſcernatur, ex noſtro Autore eruere non admodùm difficile eſt; cùm illâ præſente ſemper adſint pallor, oculorum concavitas, metus atque mœſtitia, & perverſio ſenſuum. Verùm nullibi dilucidius bilis atræ effectus recenſuit, per ſe quidem & ſuâ vi morbum

efficientis, quam libro ſecundo de Morbis, ubi morbos incipit deſcribere ab illo quem curam ſeu ſollicitudinem, φρόντιδα appellat; ubi ab hoc morbo caput præcipuè impetente ad morbos nigros progreditur. Eorum ſymptomatibus recenſendis non immorabimur, cùm ipſa rei dignitas requirat ut ad eum conſulendum, qui hiſce rebus ſtudium locat, feſtinet. Notabimus tantùm, in hoc loco unicè, de aciditate bilis atræ mentionem ab Hippocrate injici, quam adeò evidenter recenſet, ut non abſint aut dentium ſtupor, aut læſio laryngis, aut demùm, quod in hac re præcipuum eſt, terræ in quam decumbit effervescentia; hiſce enim caracteribus poſitis intelligere eſt, quantùm cum ejus ſequacibus conſentiat.

Multa prætereà prognoſeon capita quaſi de morbis ab atrâ bile pendentibus inſtituit quæ ſuo quæque loco referentur. Satis ſit ſi hîc indicaverimus atram bilem ab Autore noſtro tanquam feraciſſimam malorum in acutis cauſam habitam fuiſſe; ejuſque caracteres, ut loqui amant, ſpecificos, ab eo antiquitùs ita conſtitutos fuiſſe, ut hinc haberi non poſſit pro materiis ſola ſtaſi corruptis, illinc pro ſanguine extrà vaſa putrefacto, cùm neutra horum materies aut aceſcere poſſit, aut tantam cladem inferre.

In chronicis verò morbis etiam ſua atræ bili efficacia eſt. Quanquam fatendum ſit chronicum quodcumque cùm aut parum, aut ſenſìm tantùm machinæ deterat, enormem illam acrimoniam excludere. Hinc ipſam ſemper aut minùs acrem, aut magis craſſam, ut in deliriis, curis & mœroribus præter naturam depingit, aut exitui & va-

cuationi proximam, ut in illo morbo quem Melancholiam in uteris vocavit. Eam etiam in icterricis quorum non unam ſpeciem admittit, reperire eſt; quanquam circà eos Hippocrates vereatur pronuntiare, cùm etiam vultum ad inſtar malicorii, urinas virides, ægros immorigeros deſcribit. At etiam aliquid melancholici ex Hippocrate habet, morbus ille quem ſplenes magni appellat, ubi ulcera nigra in cute, gingivis ac tenellis partibus enaſcuntur; ſplene intereà in immenſum volumen aucto. Verùm fatendum eſt multò minoris apud Hippocratem momenti habitam fuiſſe pro causâ morborum Melancholiam, quàm aut bilem aut pituitam, quas ferè pro univerſis morborum cauſis appellat. Modò addas etiam inter Hippocraticas cauſas nunc ſolidorum duritiem, nunc laxitatem aut raritatem texturæ, nunc denique aliam quamvis cauſam, ut craſſitudinem hærentis materiæ. Forſan verò, ut non unam pituitæ formam agnovit, ſed nunc aqueam, nunc glutinoſam, nunc acrem, nunc acidam admittit, eadem etiam diſtinctio valet circà bilem, quæ viridis, porracea, variique coloris ab eo diſtinguitur.

Rariùs verò Melancholiam inter chronicorum morborum cauſam recenſuit Hippocrates; non ex ignoratione effectuum. Pleni enim ſunt ejus libri ſcilicèt, *Prænotiones*, *Prognoſtica*, *Coacæ Prænotiones*, effectuum quos humori atro tribuit. Sic furorem ecſtaticum, deliria pertinaci ſilentio juncta, non illa quidem à vocalis facultatis extinctione, ſed à mentis alienatæ mœſtitiâ, ſpiritum ſublimem, ſuſpirioſum, qualis in meditante

reperitur, foràs vel intrò revocatum, tremores, cute præſertim aridâ, ſputationeſque, aliaque multa ſymptomata nigrâ vomitione ad mortem, nigris excrementorum ſeceſſibus, aliquandò ad ſalutem judicata, enumerat. Verùm id ex obſervatione deductum ipſi fuit, & ex ipsâ humoris melancholici naturâ jam antè Hippocratis tempora famosâ.

Nam inter Hippocratis & ætate ſuperiores & coætaneos, non ſemel injecta fuit bilis atræ mentio; ſic apud Homerum, dum Achillis in Agamemnonem furias depingit; ſic apud Platonem in Timeo, & in lib. περὶ πολίτικων, de bile atrâ tanquam cognitâ agitur: in quorum priore loco verſionem bilis in atram & acidam commemorat; in poſteriori nigros homines, ſeu potiùs luridos, tanquam μελανχλωρὲς appellat: imò antiquiùs, jam Præti filias Melampodio ſanatas Poëtæ meminerant, agitaverantque ſcenis Oreſtem. Nec certè credendum eſt deſcriptionem atræ bilis quæ in Homero, loco citato, reperitur, ab aliquibus Medicorum ſcriptis mutuatam eſſe, quæ eo tempore rariora & filiis Medicorum ſacra erant, ſed ex ipsâ obſervatione Naturæ quæ hoc quidem tempore eò ſimplicior ſeſe oculis offerebat, quo minori velata artificio. Hinc homines luridi, oculis concavis, Bellerophontæis ſollicitudinibus vexati, ſepulchra, locaque deſerta habitantes, forſan pro dæmoniacis apud Autorem ſacrum, uſitatâ nec Hippocrati ignotâ, apud Orientales formulâ pronuntiati ſunt. Hinc & Nabuchodonoſor divino perculſus flagello, melancholicus evaſit. Verùm quod & Hippocrati & antiquioribus à primo

mundi ævo Natura detexerat, à viris & arte & facundiâ inſignibus, ad artis leges revocatum eſt.

Tractationem humorum quaſi non maxima pars vitiorum quæ corpus humanum impetunt, ab iis penderet, neglexit Eraſiſtratus, vir ſummi in arte poſt Hippocratem ponderis. At quanquam de ſucco melancholico vix, eaque pauca locutus ſit, exprobrante Galeno, ejus tamen exiſtentiam aliquibus in ejus operum locis agnoſcere coactus fuit, eodem Autore; ubi ſcilicèt de urinis nigris agens, peſſimas alias, alias minùs perniciosas diſtinxit. Sed nec ſolum eſſe qui quaſi & propoſito de bile atrâ non locutus ſit, indè patet quòd & ipſe Hippocratis latinus exſcriptor Celſus nullam ejus mentionem injecerit; cùm alii contrà de eâ copiosè diſſeruerint, Pliſtonicus, Praxagoras, Philotimus, Sed ex omnibus Autoribus pleniùs ac meliùs circà humorem hunc ſcripſerat Rufus Epheſius, ita ut teſte parco laudatore Galeno, vix aliquid circà hujus humoris originem, fontes, effectus, prætermiſſum reliquerit. Sed unus adſit omnium loco Galenus. Hic quid de eâ Veteres ſenſerint, hic quid de eâ ipſi ſubminiſtraverit obſervatio, diſtinctè, copiosè expoſuit.

Primùm quidem & ex ipſis Hippocratis operibus, ut jam annotavimus, ſedulò vult diſtingui Galenus inter ea quæ nigro ſolummodò colore imbuta, nunc è corpore exeunt, nunc in eo commorantur. Ea quidem, per ſtaſim humorum intrà viſcera abdominalia enata, aut eorum corruptione intrà ſanguinem delata varia quidem ſymptomata, eaque peſſimi generis poſſunt procreare,

ſed non tam certæ perniciei, quàm quæ ab atrâ bile oriuntur. Sic febres petechiales vidit, in quibus, ubi ægris ſub initio morbi nigra non prodierant per alvum, exanthemata nigra ſub morbi finem, ipſis criticè apparebant. At ea nigra quidem, ſed non ab atrâ bile pendere dicenda erant. Si enim ea ipſis natura fuiſſet, quod quibuſdam accidit, certa mors ea excipiebat ſymptomata. At ex ipsâ Galeni narratione id ſaltem concludendum datur, fuiſſe aliquam inter nigras haſce materias atque atram bilem analogiam, cùm hæ in illam irent degeneres. Undè duo jam habentur gradus materierum nigrarum, aut in ſanguine exundantium, aut per alvum raptarum, quas ex noſtro Autore in tres dividi poſſe videbimus.

Quæ ſit ergo atræ bilis natura, quis ſit caracter, ex Galeno nunc perpendendum eſt, cùm ex eâ in ſummo ſuo ſtatu ſpectatâ quaſi ſpontè fluant ejus proprietates. Ea quidem à nigris materiis ſpontè exeuntibus primo in eo differt quòd ſit παχυμερῆς, id eſt, quòd partes habeat craſſas, indivulſas, adeòque homogeneas. Qui quidem caracter ad eos tantùm pertinet humores, qui multiplicem jam in corporis officinâ laborem, ſeu, ut impropriè loquar, *coctionem* experti ſunt. Altera verò univoca ea quidem & jam Hippocrati recenſita proprietas, eſt ut aceſcat illa, ita ut aciditas illa non ſtupore tantùm dentium, ſed etiam terræ ſubjectæ efferveſcentiâ deprehendatur. Nec verò ſimplex haberi poteſt, aut nativa aciditas, ſed corruptelâ quâdam, à naturâ prorsùs diſſidente contracta & enata; cùm virulenti id præ ſe ferat, ut nullum ſit animal quod

eam impunè aut vorare aut accedere poſſit, quod ne corruptiſſimis quidem humoribus accidit. Hinc non mirum ſi tam venenatus humor omnia ſuo inficiat halitu, ſubjectas verò partes ita erodat, ut & vaſorum ſubſtantiæ non parcat.

Hinc quatuor habemus ſigna atræ bili unicè convenientia, eique in eximio gradu aſſignanda, ut ſit παχυμερῆς, δριμὺ, ὀξῶδες, διαβρώτικον, id eſt, craſſarum partium, acris, acida, erodens. Hinc ſi pauciſſima ſit, ſi vires Naturæ valeant illam confeſtim & illicò, quaſi impetu facto expellere, & ad minùs nobilia loca amandare, fit anthrax, peſſima inflammationis ſpecies, aliquandò proſerpens & corrumpens omnia; aliquandò tamen viribus Naturæ miteſcens. Si lentè eadem congeratur, locis præſertim glanduloſis, fit cancer; ſi mitior illa ſit, occultus primùm, poſteà aperiendus; ſi gravior ſit & ad ſummam evectus ſævitiem, apertus ab ipsâ origine, brevìque ad funeſtum finem perveniens. At ſi materies hæc non hunc aut illum affectat locum, ſed per univerſum diffundatur corpus, vique agentis naturæ à centro ad extima deferatur, jam non ſimplicem eruptionem concitat, ſed nunquam veneni ſui oblita, duros, acriter prurientes, cutis ipſius ſubſtantiam deſtruentes varos efficit; uno verbo, elephantiaſim procreat. Quid ſi jam in morbis acutis lues illa calore præternaturali aucto, ut Autoris mei verbis utar, in motum acta cerebrum impetat, qualem cenſebimus eſſe debere phrenitidis ſpeciem, quæ medicinâ deficiente, vaſiſque eroſis citò perimet, ſtillis intereà ſanguineis prorumpentibus. Quid ſi in pulmones, in

hepar, in ventrem dyſenteriæ more deferatur? Nec jam de ejus ſignis multùm inſudat Galenus, cùm ſua atram bilem ferocia ſatìs apertam atque manifeſtam faciat, At verò illam, gradu ſaltem licèt cauſis multùm non abludat, ſummè à Melancholiâ ſimplici differre edocuit. Tanta ſcilicèt inter utramque eſt differentia, ut Dureti verbis utar, quanta inter ferrum candens & ferrum extinctum.

Jam igitur ſatìs patet quanta intercedat inter melancholicum humorem, ſuccum nigrum qui ſæpè naturalis eſt, atque atram bilem differentia. Galeno quidem annotata, ſed jam ab Hippocrate ſatìs indicata eſt; nam, ut ait Duretus in *Coac.* 74. excretionum quæ fiunt dominatu morbi nulla eſt tam mortifera quàm bilis atræ. Eſt enim bilis atra peſſimum excrementum, triaque habet adjuncta quæ naturam labefactant, δριμὺ, διαβρωτικὸν, ὀξῶδες.

Lienoſi contrà qui ſimpliciter melancholicè laborant, dyſenteriâ ſuperveniente ſaneſcunt, (*Aphor.* 48. *ſect.* 6. *aph.* 25. *ſect.* 4.). Hinc Melancholiâ ſimplici inſaniam poſſe generari negat Galenus, (*Comment. ad Aphor.* 55. 6.). Si non illa peruſta fuerit.

Imò verò acutior Hippocrate, plures atræ bilis fontes indicat Galenus, dum nunc ab ἁλυκῷ φλέγματι καὶ σαπρῷ, putri & ſalsâ pituitâ oritur, dum à melancholico humore peraſſato ſumit exordium, aut demùm dum originem debet bili ſimplici flavæque, aut, ut verbis Hippocraticis utar, eſt κατακορέως χολώδης. Hanc ultimam ut ferociorem admittit, & magis urentem atque ro-

dentem. Conſentiunt cum Galeno Duretus, Fernelius ſummi certè viri, ſed quos forſan nimis Galeno aſſentiri inſimules. Verùm ne videantur ſummi viri in hoc vitium incidiſſe, ſentiaturque ſimul quantùm feritati humoris atri Hippocrates ipſe conceſſerit, notabimus quòd ipſe Medicinæ Princeps, qui nunquam de atrâ bile judicium fauſtum inſtitui voluit, bonis ægri rebus nigrum ſanguinem prodire poſſe conceſſit, *Aphor.* 2. *ſect.* 4. Undè etiam recentioribus quibuſdam de atræ bilis exiſtentiâ diſputantibus, annotare jubebimus magnam inter atrum ſanguinem per alvum prodeuntem, atque bilem atram ſtatutam eſſe differentiam ab ipſo Hippocrate, & in ipsâ quidem prognoſi, in quâ nec mediocriter verſatum fuiſſe Hippocratem, vel obtrectator peſſimus negare poſſit, modò artem noſtram, vel ſummis labris attigerit.

Non ergo dubitamus eos qui à Galeno recenſiti ſunt atræ bilis fontes, pro fluentibus ex genuinâ Hippocraticâ doctrinâ habere. Undè Melancholia, ſi credamus Hippocrati, humor ſimplex atque naturalis habebitur; ſecretus quidem in liene, ſanguinem ab eo repurgante, undè coctioni inſerviat. Atram verò bilem pro humore corrupto, aut à pituitâ ſalsâ atque putri, aut ab exuſtione humoris melancholici oriundo, aut demùm peſſimum & ſummè ferale exordium ſumente ab incendio atque peraſſatione bilis æruginoſæ, quæ per gradus plures à merâ & ſincerâ ad hanc ferociam evecta eſt; undè ab eâ ſive cerebrum impetatur, ſive torreantur hypochondria, ſive erodantur inteſtina, nil niſi certiſſimum exitium,

exitium, ſpe omni abjectâ, expectandum ſit. Quæ quidem doctrina à Galeno accepta, tranſlataque ad nos ex Arabibus, à Fernelio atque Sennerto aliquid ornamenti accepit, ſed nullam in doctrinâ mutationem; de quâ verò præcipuè legendus eſt, ornamentum Pariſienſis Scholæ Duretus, dum eam per ſingulorum morborum phœnomena atque prognoſin acri ſtudio proſequitur.

Nec certè attentè legenti Duretum una eademque atræ bilis forma apparebit. Quotieſcumque enim in morbis acutis apparet, ſignis vehementiſſimis, ferociſſimus humor mortem præ foribus ſtare ſatis indicat. Aliquandò verò in morbis chronicis non certè manſuetus, ſed aliquandò mitior apparet. Nam nec elephantiaſi, cujus non accurata tantùm, ſed elegantiſſima apud Aretæum habetur deſcriptio, nec cancro, cujus furiæ vel conſtantiſſimum virum ſolvi cogant in lacrymas, illicò mors adeſt. Undè non adeò erodens dici poſſit humor. Certè ſi Galeno, cujus exſcriptor eſt Duretus, fides adhiberi debet, elementa atræ bilis, ab atrâ bile differunt, formaturque aliquandò in loco in quem decubuit jam malus, ſed nondùm peſſimus humor; ibique morâ & ſplendens, & ater, & acerrimus evadit.

De Melancholiâ & atrâ bile & plurima & optima diſſeruiſſe Rufum Epheſium autor eſt Galenus; illius quæ ſcripta extant, minùs poſterorum cultu digna ſunt, quàm quæ perdita requiruntur. Aetius tamen ab eo exſcripſiſſe ſe quæ de Melancholiâ narrat, teſtatur. Nec tamen Autor ille fusè adeò ac Galenus de eo humore, ejuſque malignitate loquitur. Quidquid enim de Me-

lancholiâ ait, de ſucco nigro potiùs quàm de atrâ bile intelligendum eſt. Non eum quidem pro naturali ſucco vindicat, ſed tanquam inſani delirii cauſam habet. Prætereà ne verbum quidem addit de ejus in morbis effectibus; eum verò humorem, aut in ſanguine exundantem credit, aut ferri atque hærere in cerebro, aut circà hypochondria atque ſeptum tranſverſum, ægrum angere, aut tetrâ anathymiaſi tenebras ſenſuum domicilio offundere credit. Ceſſant hinc ergo omnes acrimoniæ effectus, nihil niſi ſpiſſum atque craſſum reperitur, nihil niſi atoni atque laxi, ut cum recentioribus loquar; undè atram bilem ab ejus nigredine auſpicatus, tenebris comparat, nil niſi debile ac infirmum procreare ait, & ſpectris ac terroribus quæ cæcutientibus in nocte ſunt familiares, confert. Hinc humorem à cruditatibus ortum, malè coctum, attenuantibus atque digeſtivis aggreditur, longâque oratione inſaniam indè ortam deſcribit; plumbeum Philotimi pileum, illis qui ſe capite carere credunt commendat: ſeparatque à dementiâ melancholicâ caninam illam atque lupinam dementiam à Marcello imò & Aretæo deſcriptas, quanquam ultimus hic Autor eam Melancholiæ acceptam referat, ut & qui poſterioribus ſæculis, de eâ fusè locutus eſt Sennertus. Huic verò Autori longiùs non inſiſtemus, vulgaria omninò proſequenti.

Meliùs certè atque pleniùs & ſummâ ſimul cum facundiâ, quæ tamen aliquid fortaſsè deſcriptionis veritati, poëtico quodam errore detrahat, ſcripſit Aretæus. Hic Melancholiam quidem ut morbum ſui generis proſequitur, nec atram

bilem ultrà in morbis vidit. Scilicèt metaſtaſibus humorum commotus ille, rapidoque motu quo omnia in humano corpore circumaguntur, venenatos flatus pro univerſali morborum causâ haberi voluit; ſectæque Pneumaticorum addictiſſimus, omnia ad flatus retulit; quæ ſecta patronos inter Hippocratem trahebat; quod reverà antiquiſſimus libri de Flatibus Autor in hanc iiſſe ſententiam videatur. Hinc etiam Aretæus Melancholiæ cauſam ad bilem ejuſque corruptionem, atque natam indè nigredinem referens, flatus eo infectos veneno, ad cerebrum ferri pronuntiat, quo flatu quaſi tabifico, ſenſuum organa atque motuum peſſumdarentur, contraherentque vitium quo omnium concitaretur odium atque horror. Hinc axioma illud ante omnia ponit in morbi hujus deſcriptione, φυσώδεες, ſeu flatulentos eſſe melancholicos omnes; undè etiam per inferiora non ſine volvulis atque torminibus plurimos flatus emittunt, per ſuperiora verò ructibus fœtidis, evanidis infeſtantur. Cùm verò ſic ſe res habet, omnia circà præcordia peraguntur, nec niſi aura venenata ad ſenſuum organa defertur. Sed ſi melancholicis qui per ſe mœſti & tremebundi vitam agunt, inſolenter & nullâ de causâ accidat lætitiâ corripi, vertitur brevì morbus in furorem, & in inſaniam immedicabilem violentam præcipites aguntur. Hinc enim cauſa morbi, ut aiunt, caput impetit.

Notatu tamen dignum eſt ne plus Aretæo tribuere videamur quàm ratio ſinit, quòd etſi ſuæ fidelis videatur hypotheſi Autor noſter, tamen dum ſummi gradûs Melancholiam deſcribit,

hominesſque more beſtiarum vitam degentes lucifigos deſcribit, eos colore atro aut ex atro viridi fœdatos pronuntiat. Quòd quidem flatulentæ anathymiaſi difficile acceptum deberi videtur. At quod nobis tum ad naturam morbi, tum ad Autoris ideam pleniùs elucidandam aptum videtur, eſt comparatio illa quam morbi cum frigore inſtituit, ait enim *arteriarum motus parvi, invalidi, crebri, frigori ſimiles.* Quanquam verò Autor noſter in ſkirrho lienis deſcribendo de humore melancholico ne ſemel quidem mentionem injiciat; analogiam tamen naturæ ſervat, ut in utroque morbo deſcribendo, quanta ſit affinitas ſentire facillimum ſit. Adeòque videtur ad vocem potiùs Naturæ, quàm ad præconceptam opinionem narrationes ſuas accommodaſſe.

Non tam Hippocratis doctrinam, quàm propriam ſibi obſervationem conſuluiſſe videtur Autor apud Medicos obſervationi naturali addictos, ſummi ponderis, Alexander à patriâ Trallianus dictus.

De Melancholiâ ſcilicèt agit; ſed cùm cæteri à Galeno humorem melancholicum etiam ſine Melancholiâ conſideraverint; hìc altiùs rem repetens Melancholiam ſine humore melancholico perpendi voluit.

Et certè quodcumque vitium adſit in corpore, ſeu leve ſit, ſeu gravis incommodi initium, alacritatem illam ſanitatis comitem indivulſam perturbat. Undè qui læti, prompti, alacres eramus, mœſti, languidi, graves ſentimur. Habemus ergo Melancholiæ initium. Hinc prima Melancholiæ ſpecies apud Alexandrum Trallianum

habetur à plethorâ, ſive gravet pondus humorum inutile, ſive minores ſint vires ipſæ. Plethora quidem à Melancholiâ morbus diſtinctus eſt. Sed ſi habitus plethoricus non ſolvatur, nec Naturæ vires plethoram moveant; gravitas illa, Melancholia illa vertetur in habitum. Aliundè legitimo ſecretionum atque excretionum ordine interrupto, ſensìm gliſcit intrà venas acrimonia, nutritionem atque adeò vires lædens, pondus augens: undè habetur ab eodem Autore altera Melancholiæ cauſa à ſanguinis acrimoniâ. Qualis ſit acrimonia illa non definivit Trallianus, nec id erat ejus in quo vixit temporis. Sed eo ſenſu ejus accipienda eſt ſententia ac ſi diceret quòd quæcumque ſanguinis acrimonia, ſi vitium aliud non infert, certè Melancholiam adducet.

Et huic quidem ſententiæ pondus addit, dum ait, ab infarcto impactoque ſanguine ſimiliter oriri Melancholiam, cùm pondus auctum in parte, totius levitatem atque alacritatem minuere debeat.

Quouſque cauſæ illæ admittendæ ſint alibi diſquiremus. Satìs ſit nunc Autoris ſententiam expoſuiſſe, apud quem pro quartâ & ultimâ Melancholiæ causâ habetur ſanguis melancholicus; id eſt, plus ſatis aduſtus, vapores ad cerebrum tranſmittens. Cæterùm melancholicum hunc humorem pro feraci malorum venâ habet, perſonamque ipſi ingentem tribuit in ſtomachi, inteſtinorum, hepatis & lienis affectibus; nec extrà noſtrum inſtitutum erit, ſi annotemus quòd in tantis Autorum circà Melancholiæ cauſam differentiis, ingens tamen ſit conſenſus ut quæratur extrà cerebrum cauſa mali, cerebrum ipſum im-

petentis ; eumque vel ipſi Poëtæ, ut Homerus ; notante Aretæo, circà præcordia fixum eſſe voluerint. Et reverà licèt triſtiſſima hujus morbi ſymptomata ea ſint, quæ ipſam humanitatis arcem ſuo quaſi domicilio & tranquillâ pace deturbent ; præcipua tamen à ventriculo, hepate, liene pendent ; undè imaginata fuerat anathymiaſis illa ab his partibus ad cerebrum, vaporque noxius indè delatus ; quo fit ut hoc nomen etiam hodiè ſervet morbus vulgatiſſimus, vaporum nomine infamis.

Non multa Galeni doctrinæ addenda ſuppeditat nobis Paulus, qui in melancholicorum claſſe eos recenſet, qui Numine afflati ſeſe futura prædicere exiſtimant. Prætereà verò inter Melancholiæ ſeu atræ bilis, ( nam alteram ab alterâ Autor noſter non diſtinxit ) ſigna, communem ponit, & ab aliis jam notatum corporis habitum, hiſpidum, nigrum, gracilem ; tumque diſtinctè primus inter humoris atrabilarii cauſas, hæmorrhoidum ſuppreſſionem numeravit, jam à Galeno, imò & ab Hippocrate indicatam in Prognoſticis. Nec minùs tamen atram bilem aliam diſtinguit, per ſe quidem atram, aliam ex aſſatâ flavâ bile pendentem, quæ ſi atræ bilis peſſima ſpecies in cerebrum fuerit delata, non Melancholiam tantùm, ſed inſaniam atque furias producet. Melancholiam autem, ut & alii qui eum præceſſerunt, triplici in loco conſtitutam ſpectat. Vel enim per totum corpus vagatur illa, vel cerebrum impetit, vel circà ſtomachum & hypochondria collecta, tetrâ anathymiaſi animales functiones conturbat.

Quæ quidem, ut videtur, opinio ab omnibus à tempore Galeni Græcis, ſi Trallianum excipias, accepta & propugnata fuit.

Poſt Melancholiam, ſed diſtincto titulo, de Lycaone ſeu Lycanthropiâ egit. Quâ qui corripiuntur, hominibus infenſi, vitam intrà ſepulchra agitant, & de cujus ſignis fusè ab Autore noſtro deſcriptis alibi agendi locus erit; quam tamen ad Melancholiam referri mentis conditionem, diſtinctè aſſerit: nec minoris viſa ipſi momenti eſt illorum conditio qui præ amore delirant. Quam quidem Melancholiæ ſpeciem eſſe, & ad quam pertineret, in primâ noſtri Operis Parte probavimus. Nec de Oribazio aliiſve Græcis poſterioris ætatis aliquid novi ſperandum habemus, qui Naturam quidem minùs quàm codices antè ſua tempora ſcriptos videntur evolviſſe; omneſque idem repetunt, niſi fortè Actuarius qui *de Meth. Med. lib. I. cap.* 20. fuſiùs atque ſapientiùs aliis diſſeruit de hæmorrhoidum fluentium utilitate ad Melancholiæ cautelam.

Nec præſenti elucidandæ materiæ multùm contulêre Arabum Medicorum Principes, ſed allata Græcorum principia, peripatheticâ caligine involverunt contrà, & inanibus merèque ſcholaſticis quæſtionibus intricaverunt. Talis eſt Averrhoïs contrà Galenum de obſcuritate & ſpiſſitudine ſpirituum diſceptatio; talis eſt & formatio atræ bilis ab Avicennâ ex pituitæ cum bile miſcelâ. Qui tamen tres Melancholiæ ſpecies diſtinxit à ſymptomate notabili diverſas, nec minùs ſpaſmum à Melancholiâ dividi voluit atque diſcerni, & effectibus & curatione. Hæc omnia

recenſere ex tenebris ad lumen properantibus vana eſſet opera, multùmque à veræ Philoſophiæ principiis remota.

Neglectis igitur hiſce, aliiſque tum Arabum, tum Arabo Græcorum quiſquiliis, quænam fuerit Scholarum noſtrarum ſententia, ubi renovato Græcarum litterarum ſtudio, adjunctâque, venerationi quam recentiores & quaſi novâ nitentes juventâ, ſibi extorſerant Autores Græci, Naturæ contemplatione, nemo meliùs edocuit Fernelio noſtro, qui ſummæ eruditioni, Naturæ ſtudium adjunxerat, ſummâque facundiâ, ſi quandò à Veteribus diſcederet, ſuam fulciebat audaciam. Hic verò nigrum in ſanguine humorem ex Naturæ ordine, Hippocraticis argumentis confiſus, admittebat; ſed quem vetabat atram bilem nominari, ne humori per ſe alibili indè inureretur infamiæ nota. Humorum tamen deterrimum vocat, non quòd acerrimus ſit, ſed quòd craſſus, hærens & ad coagulationem pronus ex ipsâ ſuâ naturâ. At tantùm ab atrâ bile effectibus abludens eſt, quantùm colore ſimilis. Atra bilis per ſe acris & erodens non unam ſortitur originem. Triplex eſt ſcilicèt, pro triplici quòd cum ſanguine vehitur elemento. Sanguis enim ipſe ſic propriè dictus, nunquam in atram bilem tranſit, cùm & naturâ ſuâ dulcis ſit, & excrementa quæ in ipſo generantur, per varia emunctoria ablegando, purus ſemper remaneat. Prima verò atræ bilis ſpecies ex Fernelio nuncupatur, ex ipſo melancholico humore orta, qui aut putredinis, aut caloris adventitii actione in cinerem convertitur; cinerem quidem, non quaſi lignorum ab

igne exuſtorum, ſed quaſi humoris ſummum ſiccitatis gradum adepti. Altera ſpecies eſt quæ Galeno, ut Fernelio communis eſt. Pendet ſcilicèt illa ab exuſtione bilis illius, cujus prava qualitas jam hoſtilibus & corpori infenſis cauſis procreata, vitellinæ ipſi nomen meruit. Scilicèt urente intùs causâ corporiſque incendio, fit bilis, naturalis quidem primùm, poſteà porracea, tum æruginoſa, ac demùm à cæruleâ quæ peſſima eſt, in atram vertitur. Hæc verò & ferocior eſt, & omnibus aliis tantò ſævior, quantò nativâ acrimoniâ cæteros humores ipſamque Melancholiam, bilis præcellit. Hæc eſt famoſa illa atra bilis, quæ ubi primùm apparet adeò metuenda eſt, ſcilicèt aciditate ſuâ dentes ſtupere cogit, terram cum efferveſcentiâ attollit, & adeò animali naturæ repugnat, ut ejus aut attactum, aut odorem omnia animalia refugiant.

Tertia demùm atræ bilis ſpecies obſcurioris eſt indaginis, quippe quæ Fernelio propria eſt, licèt ab Hippocratis operibus ipſis deducatur, ut alibi demonſtrandi ſeſe dabit occaſio. Hanc verò à pituitâ deducit Autor noſter. Quæ quidem origo,ut clariùs eluceſcat,triplicem diſtinguit pituitæ formam. Alteram quidem quæ ex ordine Naturæ dulcis eſt, & nullâ pollens acredine, maximè nutritia, parteſque lubricandas, muco ſuo protegens. Hæc ſi ſpiſſeſcat, vitrea fit, qualis ſæpè ab inteſtinis exit, & cujus exempla maximè præſtantia affert Fernelius, & à vitreâ formâ ſæpè ſi glandulis immoretur, concreſcit in duri lapidis formam, & grandinoſa evadit, tuberculique nomine, non ſine magno cruciatu, ali-

quandò ejicitur. Hæc verò pituitæ in ſtatu naturali conſtitutæ eveniunt, at ſi in hanc illamve partem deflectat, duæ novæ exurgunt in pituitâ differentiæ; altera, quâ aceſcit; altera, quâ in ſalſam indolem commutatur & convertitur. Aceſcit pituita à cauſis præſertim externis, aceſcencentiam per ſe invehentibus, quibus inhærere hujus loci non eſt; ſed, ut verbis Autoris mei loquar, pauco calore quo ſensìm omnis diffluit humiditas, ſpontèque quod ſupereſt concreſcit atque coaleſcit. Patet indè quibus illa elementis ad Melancholiam referatur, ſeu potiùs ad atram bilem, eam quæ à bile vitellinâ pendet. Salſa verò pituita à cauſis externis præſertim originem trahens, putredini ſubjacet, quo in teterrimum ichorem convertitur, atrum, ut cætera omnia quæ putredine colliqueſcunt, licèt etiam adſcititio calore concreſcant.

Patet ex his quàm latum atræ bilis dominio campum aperiat Fernelius, & quantas tum in morbis acutis, tum in chronicis partes huic concedat. Quæ quidem ſententia, paucis mutatis, ad uſque inventa Harvæiana, detectaſque vias lacteas, in Scholis & apud Medicorum ingenia viguit, donec poſt ſubreptam hepati ſanguificationem, novæque introductionem Philoſophiæ, cum reliquâ Veterum Phyſiologiâ evanuerit.

Teſtis mihi hîc adeſto fuſior præ cæteris & inter vigentes opiniones judex acerrimus Sennertus. Hic Melancholiam apud Hippocratem non humoris nomen, ſed morbi contendit; neſcio quâ fretus autoritate, cùm non ſemel inter humores naturæ inquilinos ſuccum nigrum Hip-

pocrates recenſuerit. Poſteà verò cùm Melancholiam pro morbo habeat, plurimas ejus cauſas recenſet.

Cauſam quidem efficientem phantaſma tenebricoſum cum Capivaccio appellat, ſeu potiùs ſpiritus craſſos, opacos & infucatos fuligine quâdam à vitiatis quidem primariò functionibus naturalibus, quaquaversùm tanquam à centro radicatim diſtributâ. Indè verò vel cerebrum primariò afficitur, vel partes omnes per conſenſum cordis affecti vitiantur; aut Melancholia fit hypocondriaca, liene, hepate ventriculo per ſe affectis, malumque hinc indè dividentibus. Addit tandem illam quæ fit per uteri conſenſum. Hæc porrò famoſa maximè eſt, & notabilis ab eâ fit vulvæ morbus à Celſo deſcriptus, & circà quam verſatur integer libellus Hippocrati adſcriptus de Virginum Morbis. Cùm tamen conſenſum hunc ut maximè notandum deſcribit, nullatenùs excludit quos Arabes admiſerant ad Melancholiam inducendam variarum partium conſenſus; ita ut alia ſit quæ ab omento, alia quæ à meſenterio, ab inteſtinis demùm alia pendeat. Imò Sennertus dum varias ſimpliceſque intemperies recenſet, dolorem capitis ab atrâ bile tanquam causâ pendentem deſcripſit; Galeno & Arabibus conſentiens: dignus certè qui legatur Autor, dum parvi momenti cauſas parvi pendit, iis verò pondus addit quæ & maximâ obſervatione dignæ, & in praxi plurimùm occurrunt. Sic amorem inſanum frequentiſſimam Melancholiæ cauſam recenſet. Et quanquam diverſis titulis, ad Melancholiæ genus tamen re-

fert, hinc Tarantiſmum, indè hydrophobiam.

Patebit certè ex his attendenti & concordem vetuſtiorum Medicorum doctrinam ſedulo examini ſubjicienti, quòd apud Antiquos, imò & qui antè Harvæi ætatem floruêre recentiores, lienem cùm per ſe, & ex ſuâ naturâ pro ſucci nigri atque Melancholiæ receptaculo haberetur, partes in morbo noſtro inducendo maximas agere debuerit. In quo quidem Fernelium atque Sennertum conſentientes habemus. Et eo quidem genere conſenſûs, qui per ſe eò majorem mereatur attentionem, quò à ſolâ obſervatione magis depromitur. Lienis enim morbi apud Hippocratem icterus niger, magni lienes ita ſymptomatibus ad Melancholiam referuntur, ut niſi de liene agi ipſo titulo Autor indicaret, de Melancholiâ agere crederetur. Quod quidem non ſoli Hippocrati familiare eſt, ſed & Aretæo qui tabem melancholicis ſymptomatibus inſignem à liene ortam commemorat.

Hinc factum eſt, ut cùm ſæculo proximè elapſo Aſellius, Bartholinus, Veſlingius, Wallæus novis Anatomiam inventis illuſtrarunt, ſyſtemaque venarum lymphaticarum atque lactearum, chyli receptaculum atque ejus ductus invenerunt; quæ apud Veterum opiniones non ad Naturæ judicia, ſed ad opinionum commenta fuerant efficta, convellerentur, & ſuſdèque è foro medico ejicerentur. Hinc hepar à recepto antiquitùs officio chylum per venas meſaraicas recipiendi atque in ſanguinem efformandi detruſum fuit, lienique nihil relictum fuit præter pondus inutile, dum ei ſacrat exequias Bartholinus. Symmetram quidem

partem, hepatique quaſi æquilibrantem Eraſiſtratus olim & Ariſtoteles crediderant; quod, quantoperè & corporis conditioni & partium inſpectioni repugnet, intelligere facile eſt. Ab hacce ingenti veteris doctrinæ ruinâ, quæ circiter circà ſæculi præteriti dimidium, ſcientias omnes auxit & amplificavit, in diverſas abiere ſententias quicumque de liene ſcripsêre; circà ejus uſum ſæpè ex oppoſito diſſentientes. Eos hîc agitare noſtri officii non eſt, & longè extrà propoſitum exſpatiaretur. Liceat tamen annotare ferè omnes in id conſentire, ut cum Antonino lien rectè fiſco regio comparetur: cujus creſcentibus opibus, privatæ minuantur, privatis contrà opibus creſcentibus decreſcat fiſcus, cujus ſub optimo Imperatore cauſa ſemper mala eſt. Si enim lien creſcat, cæteræ corporis partes marceſcunt, & certè aliquandò immenſi voluminis fit, ut *jam quaſi zonâ liene cinctus ambulet æger* (a): hypocondriaco intereà & melancholico ægro. Hinc ejus quicumque ſit uſus, maximus eſt; nec ad excrementum recipiendum comparatus quod jam ſenſerat, & contrà Veteres, alioqui Galeni acerrimus vindex, ſcripſerat Riolanus.

Paracelſus intereà, cæterique ferè omnes Chymici lienem acori formando quo digeſtionem perficeret, deſtinaverant. In quo quidem aciditati atræ bilis formandæ commodum ingens emergebat. Sed repugnat natura lienis & humorum cognita conditio. His ergo omnibus expurgatis, nec jam riſuum atque lætitiæ autore liene, reſtat

(a) Vid. Plaut. in Pſeudolo.

id conceſſum quod ſplenici Melancholiæ addicti ſint. In quo conſentit cum Veteribus Boerhaavius qui lienem pro pulmone hepatis habet.

Inſtaurato verò naturalis Philoſophiæ ſplendore, experimentorumque face arti, noſtræ prælucente; non ideò tamen dilucidior Melancholiæ cauſarum habita cognitio. Helmontius ſagittatorem ad cerebrum in præcordiis latitare finxerat. Vapores à ventriculò emiſſos Williſius. Sydenhamus verò ſapientior, attentus maximè multiplici horum affectuum formæ, varietatique ita inſigni, ut nullum non æmuletur Melancholia morbum, cùm à cauſis quibuslibet in corpus impingentibus excitari poſſit, nullatenùs tamen eam à mechanicâ causâ pendere pronuntiat; ſed à ſpirituum ataxiâ omninò eſſe repetendam, qui in materiæ confinio poſiti, intimius Entis immaterialis cum corporeo commercium conſtituunt. Hinc nulla ſecundùm ipſum inter hyſtericum atque hypocondriacum affectum differentia, niſi à ſexu quem, idem eſſentiâ, diverſus nomine, morbus occupat. Non conſentiebat, tamen Hygmorus aliique hujuſce ætatis Scriptores, qui, quamvis ſpirituum ataxiam pro immediatâ morbi causâ agnoverint, ſedem tamen hypocondriaci morbi in ventriculo, hypocondriorumque confiniis ſtatuerunt. Scilicèt morbum fieri putant languente ſolidorum præſertim ciborum coctione; propter aut hepatis, aut lienis, aut pancreatis obſtructionem; ſive etiam ob vitiatam humorum in hiſce partibus aut craſin aut ſecretionem; hyſtericos verò inſultus à malè morato utero repetunt, quem fatigant nunc menſtrua malè erumpentia, nunc ali-

quid præter naturam intùs retentum, nunc demùm aliquod ex illis incommodis quibus millenis ſubjacet; cujus in opinionis gratiam fatendum eſt quòd non rara & nullo ratiocinio refellenda afferant experimenta. Et huic quidem ſententiæ favet cæteroquin omnia ſpaſmodica in utroque morbo agnoſcens, vir graviſſimi ponderis Fredericus Hoffmannus.

Et certè ſi ſimplex ibi ſpaſmus adduceretur, nec ingurgitatio aliqua atque infarctus adeſſet, vix explicari multa poſſint, quæ in hoc morbo quotidiè adſunt, & ab Antiquis obſervata, Recentioribus non prætervisa ſunt. Cur hæmorrhagiæ naturales repercuſſæ Melancholiam accerſant? Cur ex intermiſſione venæ-ſectionis Melancholia? *Eph. N. C. dec.* 2. *an.* 4. *obſ. X.* Cur febres tertianæ & quartanæ malè curatæ in Melancholiam deflectant, teſte Sydenhamo? Cur apud Galenum, (*de atrâ bile cap.* 2.) hæmorrhoides temerè curatæ idem effecerint? Hinc duplex opinio Medicorum hodiè viget; eorum ſcilicèt qui Melancholiam pro ſimplici ſolidorum ſentientium vitio habent; aliorum verò qui in eâ efficiendâ ſanguinem craſſum, viſcoſum, terreum circà aut venæ-portarum, aut uteri oſtia hærentem admittunt. Ne loquar hîc de ſepultâ hypotheſi eorum qui animæ hîc circà diaphragma hærentis, mutuoſque indè natæ activitatis, tum ad ſuperiora, tum ad inferiora refluxus, ſibi fingere amant. Nec in ullâ eorum ſectâ de atrâ bile injiceretur mentio, ſepultaque penitùs foret Antiquorum circà illam opinio, ſi & Naturæ obſervationibus & Phyſices theoriâ, ſi quis alter

doctus Boerhaavius eam è tenebris penitùs non eruiſſet, eique novam formam dediſſet, vir qui & ratiocinii & obſervationis limites mirâ ingenii vi perſpexerat (*a*).

Indè ergò patet ab expoſitâ priùs Antiquorum doctrinâ, prout à Fernelio enarrata eſt, cum iis omni ratione virum clariſſimum conſentire. Undè etiam mirum mihi viſum fuit, quòd in aureo Aphoriſmorum libello, §. 1092. unicam tantùm Melancholiæ ideam ſuppeditet, adeòque cum Stahlianis videatur conſentire, dum putat atram bilem indè efformari, quòd diſſipatis in toto ſanguine mobilioribus, uniantur immobiliora, ita ut ſanguis fiat craſſus, ater, pinguis, terreſtris. Sed ſatis ſit, ſemel exiſtentiam triplicis atræ bilis admiſiſſe virum, quem jure Præceptorem omnes ferè Medici ſalutant, ut altiori indagine res digna ſit.

Notabilis autem hîc nec Boerhaavium, nec ullum è Recentioribus putaviſſe humorem melancholicum inter humores naturales recenſeri poſſe; cùm in rerum naturâ & conditione ſanâ exiſtere non poſſe, ſit demonſtratum ſatis per plurima, quibus nec ipſi Antiqui ſuffragium recuſare poſſint, argumenta.

Ea petuntur à naturâ ſanguinis quæ in tranſlucentibus vaſis inſpecta, nullatenùs partes melancholicas ſic dictas oculis deprehendi ſinit, niſi eo nomine intelligas terreſtres partes, quæ nullatenùs niſi Chymiâ demonſtrari poſſunt, nec ſejunctæ exiſtunt.

(*a*) V. Inſtitutiones, §. 789.

2°. Loturâ

2°. Loturâ ſanguinis quâ demonſtratur poſſe rubram ſanguinis partem à reliquis ſeparari; ſolidiſſimas verò ſanguinis partes non rubeſcere, nedum nigreſcant, ſed contrà coagulum ad albedinem nitentem poſſe adduci.

3°. Inverſione quieſcentis cruoris quâ demonſtratur contactu aëris, eas quæ in fundo vaſis nigreſcunt partes, rutilum rursùs acquirere colorem, tum etiam quòd ſanguis multâ aquâ merſus nihil nigri oculis exhibeat.

4°. Analyſi ſanguinis quâ demonſtratur partes omnes cruoris rubras iiſdem conflari principiis, & ad ignem admotas, æquè inflammari, æquè crepitum edere.

5°. Comparatione chyli & lactis ad ſanguinem; in quibus elementa ſanguinis ſingula reperiuntur; nec tamen aut videre, aut ſentire licet undè poſſint elementa Melancholiæ formari.

6°. Demùm phœnomenis morboſi ſanguinis qui in omnibus ab atoniâ morbis nedum nigricantes partes exhibeat, contrà rubris ſæpè defraudatur.

7°. Verò cùm cæteri humores à ſanguine diſtincti, ſua & receptacula habeant & partes ſaltem in quibus evidentiùs videantur, nulla eſt in corpore humano humoris atri ſentina. Lien enim qui in ejus gratiam olim factus videbatur, ipſi adſcribi non debet, licèt ejus uſus, ſi vera loqui fas eſt, ignoretur. In ſententiam ergo recentiorum hac in parte ibimus, & dum fatemur atram bilem vitiati corporis eſſe ſobolem, eam à foro medico exulem, in antiqua nocendi jura reſtituere conabimur, ut tutiùs & faciliùs curari poſſit. Se-

quaces hac in parte magni Boerhaavii, cui contradixit vir ſummæ & meritæ apud Anglos autoritatis, eruditione atque doctrinâ florentiſſimus Thomas Simſonus. Qui dum veracior & ſedulior obſervator eſt quàm qui phœnomena neget, obſervationes tamen, ad inſtitutum de morbis à ſolidis pendentibus tractatum, detorquet.

# CAPUT II.

*In quo probamus admitti debere Melancholiæ & atræ Bilis exiſtentiam.*

NEGLECTAM penitùs & quaſi oblivione deletam de Melancholiâ & atrâ bile doctrinam, è tenebris erutam fuiſſe & quaſi redivivam in medium à Boerhaavio prodiiſſe, modò ex tanti viri operibus demonſtravimus. Si porrò aliquid in Phyſicis valeret autoritas, cognita atque experta aliundè obſervatoris ſagacitas & amor veri, deducendæ concluſioni ſufficeret. Verùm ut ſummorum virorum dogmata trutinæ ſeverioris examine penſitanda ſunt, licèt etiam rem obſervationibus fulcire atque demonſtrare.

Sanguis, fluidum illud vitale, elementis iiſdem ita conſtat, ut eſſentia quidem ejus nunquam variet; ſed diverſa ſint illa pro variâ vitæ conditione, in proportione, numero, facultatibus.

Nec minùs certum eſt partes naturæ diverſæ imò repugnantis, quæ illum conſtituunt, motu ſolo in liquidum uniforme converti, quiete verò & otio ſtatim concreſcere; ſcilicèt quæ ejuſdem naturæ ſunt elementa quaſi attractu uniuntur; ſejunctis illis quæ diverſam ſortiuntur naturam.

De partibus quidem illis fuſiùs diſſerere hujus loci non eſt, cùm & ad propoſitum parùm conducat illa Tractatio; & aliundè inter Theoriæ noſtræ principia, ea quæ in controverſiâ ſunt, admit-

tere non ſit animus. Satis ſit hîc ea indicare quæ vel ſimpliciſſima ratio, chymicis adjuta principiis, oſtendit; partem ſcilicèt aliam ſolidiorem eſſe & firmitatem affectare, aliam contrà fluiditatem ſervare quam ipſi nulla ars auferre poſſit; illam adeòque terreſtribus, oleoſis, craſſis conſtare principiis, hanc contrà tenuioribus, levioribus, facilè exhalandis, adeòque aquoſis; quarum miſcela cum prioribus motui ſolo debetur. Hinc etiam ſequitur diverſam eſſe debere in variis hominibus utriuſque liquidi proportionem, cùm altera exhalationis, altera condenſationis & adunationis capax ſit, hinc prædominari poſſe nunc partes terreſtres, craſſiores, nunc aqueum liquidum.

Præterea verò hîc etiam motûs effectibus mechanicis atque per totum, quantum eſt, vitæ curſum perpetuis, attendendum eſt. Etenim Chymia per univerſum Naturæ ambitum demonſtrat, liquida quævis rapido motu circumacta, ſi heterogeneis conſtent partibus, adipiſci ex ipsâ motûs continuatâ ſerie acredinem quamdam, quæ ea ad ultimum corporum omnium finem approximet, alcaleſcentiam ſcilicèt volatilem. Diverſa quidem ſunt quæ ad hunc finem progredientibus addunt ſe phœnomena. Sed finis idem. Undè mille experimenta probant plus vergentiæ ad putredinem eſſe in eo ſanguine qui multùm exercitatus eſt, quàm in eo qui tardiori motu incedit; ut in cadaveribus animalium curſu confectorum quotidie venatores deprehendunt.

Verùm favet etiam exhalationi & expreſſioni liquidioris partis, motus nimius; undè fit ut

minùs à motu dilutus ſit cruor, magis ergo ſolidis fœtus ſit partibus, eæque ut compingente motu craſſiores fiunt atque denſiores, ſic elementis conſtant tenuioribus, plus ſeſe invicem approximantibus, adeòque ſub eodem volumine magis ponderoſis. Huc conferenda ſunt ingenioſiſſima Medici Angli Brown Langrish experimenta, quibus vir ſagaciſſimus deprehendit & ſtatuit, variam pro varietate motûs ſanguinis denſitatem, ſive motus ille à curſu & exercitio pendere viſus ſit, ſive à quocumque motu, febrili, inflammatorio, morbis accito, &c.

Imò ſi ultrà progredi ſit animus, cùm certum ſit à circulatorii motûs efficaciâ pendere converſionem chyli in ſanguinem, imò & quadamtenùs eâdem à causâ pendere ſanguinis in varios humores mutationem, non patebit minùs quòd eodem quo generatur motu ſanguis, eodem etiam deteratur & deſtruatur. Et licèt multa ſint humano intellectui ſuperiora, ut ea ſunt quæ rubedinem ſanguinis, biliſque flavedinem comprehendunt, tamen maxima pars eorum quæ ad œconomiam humorum ſpectant, indè deducuntur.

Solida porrò eorumque motus in tanto mechaniſmo maximas partes agunt, cùm ab illis actio omnis pendeat. Sed quæ ab hujus actionis diverſitate ſequuntur mala, aut ſaltem corporis diverſitates, ſæpè ſæpiùs variis humorum qualitatibus acceptæ referri debent. Humoribus ſcilicèt caracterem ac formam imprimit ipſa ſolidorum conſtitutio, quæ ſi firma ſit, pravas ut plurimùm à rebus non naturalibus mutuatas diſpoſitiones emendare valet; aliquandò tamen vin-

citur. Hinc enata mala in humoribus diſpoſitio, vitiumque, quod ſolidorum tonum infringit; ita ut ſtata maneat atque inconcuſſa Hippocratis, tam de facultatibus humanis, quàm de partibus, ſententia : *Corporis humani nuſquam principium, nuſquam finis.*

Ut autem axioma eſt in Phyſicis, ea quæ ab aliquibus principiis pendent, naturam eorum referre; ſic quæ in ipſo ſanguinis ſinu efformantur varia corporis excrementa, recrementaque, ſi à ſanguine acriori pendent, acriora eſſe neceſſe eſt; ſi partibus effiċta & conflata ſint tenuioribus, tenuitatem formatricem referunt. Quod de cæteris qualitatibus intelligendum eſt, niſi tamen morâ in propriis loculis atque receptaculis novas qualitates adepti ſint humores.

His verò ſimpliciſſimis axiomatibus ſemel poſitis, videndum eſt an ſit aliqua in latice ſanguinis, aut ejus circuitu conditio quæ Melancholiam poſſit inducere.

Melancholia autem quævis ab alacritate ceſſante principium ſumit. Alacritas quâ functiones omnes liberè & ſine ullo gravamine exercentur, perviam atque meabilem omnium vaſorum conditionem, tenacitatemque debitam, ſed fluiditate temperatam in liquidis ſupponit. Quodcumque ergo aut vaſis meabilitatem aufert, aut liquidis debitum tenorem impedit, alacritatem ſimul tollit. Undè pronum eſt concludere nullatenùs rationi repugnare, aut rerum naturæ adverſari, ſi illud detur in humoribus vitium quod nullum aliud incommodum afferat præter Melancholiam, deſtructâ alacritate, naſcentem.

Humorum autem eam conditionem Veteres ſpiſſam ſimul atque acrem voluêre, ut præcedenti Capite expoſuimus; in quâ quidem non omnimoda adeſſet ſtagnatio, ſed ingens ad motum difficultas, undè machinæ gravamen induceretur, quo dum omnia cum labore atque dolore exercerentur, quaſi ex rei neceſſitate vita fieret mœſta, odioſa, plena ærumnarum atque ſollicitudinis. Quem ſtatum Veteres aduſtionem & incinerationem, ut cum Galeno loquar, vocavêre. Boerhaavius verò piceam, reſinoſam, terreſtrem nuncupavit.

Quærendum igitur eſt Melancholiæ humoralis exordium, atque ſcaturigo inveſtiganda in ſanguinei laticis ejuſque partis craſſioris ſpiſſitudine; cujus ſtatim in ipſo limine genus duplex ſedulò diſtinguendum eſt. Primum ab iis cauſis pendet quæ dum motum intendunt, tenuitatem etiam principiis ſanguineis impertiunt; alterum earum eſt quæ liquidioribus ablatis agunt, nec tenuitatem principiis eâdem proportione inferunt, quâ ſpiſſitudinem partibus. Undè etiam diverſitas effectuum ſumma ineſſe debet. Priores enim cauſæ motu univerſali, tritu partium inter ſe aucto, ſimul & moleculas tenuant & ad ſe invicem approximant, undè denſitatem ſic dictam inflammatoriam in ſanguine accendunt. Poſteriores verò ſpiſſitudinem piceam, viſcidam, quam Melancholiam licebit nuncupare, conciliant.

Differunt verò ut causâ, ſic effectibus in ſanguinem. Prior actuoſis donat partibus illum, oleoſa ſubtiliora extricat, evehit, terrea principia ſubtiliora reddit: in poſteriore fixiora principia

terreſtri donata ingenio minùs attenuata ſunt. Hinc in priore omnia vehementiæ igneæ, in poſteriore nihil actuoſum, nihil non iners &, ut cum Veteribus loquar, frigidum.

Quotieſcumque igitur actuoſa remanent ſolida, ſi qua naſcitur denſitas, erit inflammatoria.

At collabentibus vaſis, erethiſmo ceſſante, quæcumque, cauſa præſens fecerat ſubtiliora, citò exhalant, aut in aliquam corporis partem coctione ablegantur, vel per communia corporis emunctoria auferuntur. Remanet, ut poſt motum chymicorum diſtillatorium, maſſa iners, nihil priſtinæ reſiduum habens qualitatis præter adunationem partium. Fit ex igne cinis; tuncque primùm ſpiſſitudo inflammatoria ad Melancholiam accedit; ſi præſertim per nimias tenuiorum quæ ſupererant partium vacuationes, præpoſtera medicina deviam naturam, in abrupta præcipitem egerit.

Jam ergo duplex ſanguinis ſpiſſitudo nobis ad unum idemque centrum revocari videtur. Eaque eſt ſpiſſitudinis melancholicæ eſſentia, ut tenacitas picea in ſanguine nata, dum partes ad ſe invicem accedentes, aliaſque heterogeneas ſubtiliores ab aditu excluſas ſupponit, non majorem tamen tenuitatem partium ſecum importet. Undè neceſſariò duo corollaria deducere eſt.

Primum quidem, quòd in illâ tenacitate aquea liquida admiſſa jungantur maſſæ ſanguineæ difficiliùs, adeòque faciliùs effluant.

Secundum verò, quòd ut ſpiſſitudo inflammatoria facilè in Melancholiam tranſit; ſic fieri poteſt hujus in illam tranſitus. Quod porrò cùm

accidit, pendere debet à motu novo ſolidis quâcumque de causâ impreſſo. Quantos porrò quàmque violentos expectare debemus à piceâ illâ materie motâ effectus ? cùm terreſtria illa omnia in oleoſa mutantur. Quantus ad ſolida attritus ! Fervor quantus ! Immeabilitas quanta !

Ne quid tamen, cùm omnia Melancholiæ tum quieſcentis, tum motæ phœnomena adeò facilè enodentur, hypotheticè aſſumere videamur, congerenda ſunt argumenta quæ rem ita ſe habere probent, eaque ex ipſo Naturæ penu depromenda.

Tenacitatem naſci in ſanguine inflammatoriam, à cauſis quibuſcumque inflammantibus ortam, jam certò aſſeruiſſe nos, poſt Boerhaavium confidimus. Quod verò ſedatâ inflammatione, aut ſaltem ſolidorum tono non ideò ceſſet, facile eſt exindè probare quòd in vaſis ubi detractus ſanguis ſibi relinquitur, eandem retineat. Rem comprobante tum autopſiâ à quâ quotidiè Medici indicationes ſumunt, tum experimentis nullo ratiocinio refellendis clariſſimi Brown Langrish, tum etiam demùm quòd ab inflammatione craſſiora ſint omnia, ſputa, urinæ, &c.

In vulgaribus quidem inflammationibus ut omnia præcipiti de causâ in furias & ignem converſa ſunt, ſic brevì etiam detumeſcunt atque deferveſcunt, atque quem citò amiſerant, citò etiam recuperant ſtatum naturalem. Verùm mutatio ſanguinis in denſitatem illam non ſemper adeò promptos effectus exerit, non ſemper adeò violentâ causâ producitur, ſensìm gliſcit, & de utriuſque denſitatis naturâ particeps, eò tenacior eſt quò altiùs radices egit, & quaſi in habitum vertitur.

Tum verò cùm effectus non adeò violenti ſint, non irritantur ſolida, nec in conſenſum veniunt: maſſa ſpiſſior, non auctâ ſolidorum actione conſtituit & frigidum & ſiccum humorem veterum; nec alter ſtatus eſſe poteſt humorum hominum qui ſicci, macri, quaſi liquido non alluantur, urinas aut paucas, aut acres habent, ſudoribus nunquam diffluunt, os ſiccum, linguam aridam, urentes volas manuum atque pedum plantas habent; inſomnes, ſiticuloſi, fervida habent animi pathemata, oculos facilè inflammabiles; nares illis præter digeſtionis horam ſiccæ ſunt, mucus paucus, grandinoſus, & ad Melancholiam proclives ſunt. Arida imò antè ætatem rugoſa cutis ſiccitatem ſummam, ſanguis effluendo denſus, ſpiſſus, ater, vulnera facilè coagulabilia, ſputorum ſumma tenacitas, denſitatem & ſpiſſitudinem arguunt, quæ aliundè ex Naturæ lege cum ſiccitate ſemper conjuncta eſt.

Hoc vitium familiare eſt iis qui regiones calidas incolunt, ut Syriam, Arabiam, &c. & quicumque ad Meridiem proximiores ſunt, illo plus minùs pro varietate ſoli cœlique tenentur. Hinc Hiſpanus macilentior eſt Italo, Italus Gallo, Gallus Germano, ſtaturâ etiam eâdem proportione breviore. Cœli & ſoli efficaciam æmulatur diæta, ſpirituoſis, inflammatoriis aut acribus aromaticis nimis referta, uno verbo, quidquid motum intendit.

Si perſeveret talis ſanguinis conditio, neceſſariò evenit ut coctiones vitientur. Hinc chylus tenuiorum partium liquor, per tenuiora vaſa, maximâ ſuî parte, ut immixibilis ſpiſſiori qui ſu-

pereſt liquori, effluit. Hinc videas macilentos illos atque ſiccos, ſputatores eſſe, quo tempore concoctio peragitur, imò ingentem ſalivæ tenacis viſcidæ copiam excreant, nauſeis torquentur aliquandò, vim urinæ ingentem exilire ſtupent; ita ut ſe ſiccos ſimul & pituitoſos querantur, quod non aliundè oriri poteſt, quàm ex impoſſibili partium tenuiorum cum craſſioribus miſcelâ, & hæc ſymptomata eſſe Melancholiæ maximè familiaria, nemo eſt vel mediocriter in praxi Medicâ verſatus qui non fateatur.

At indè vitali, animali, & ſi aliud quod ſubtilius fingi poteſt fluido, defraudantur fibræ, areſcunt, infirmantur. Jam ſpiſſitudo illa morbus eſt. Arefactæ fibræ, vivaciores concipiunt oſcillationes; debilitatæ, infirmiores. Hinc ſpiſſitudini melancholicæ jungitur Melancholia nervea, liquidis ſimul & ſolidis conſentientibus. Sub ſpaſmo contractis fibris hærent liquida ſpiſſiora; hincque calores, ardores, dolor, ſed præcipuè anxietas, eaque maxima è ſomno qualicumque evigilantibus, cùm ſanguis per ſomnum in altioris ordinis vaſa inſinuet ſeſe. Sed ex his omnibus ſymptomatibus alia fugacia ſunt, alia angunt pertinaciùs. Ut enim ſpaſmus per ſe fugax eſt, ſic varii dolores variant; ut verò immeabilitas ſanguinis perpetua, ſic anxietas etiam perpetua eſt, & quidem circà ſtomachum & præcordia, ubi vaſa ampliora & minori ſuſtentata fulcro, tum circà thoracem ubi circulus ſanguinis rapidior, & confuſio chyli miſcelam reſpuentis, pondus addit pulmonibus, undè ferè perpetui cruciatus.

Ventriculo pleno ſiccitas maſſæ alimentariæ

pondus facit, vacuo, ſanguinis hærentia nauſeas. Inter concoquendum ſanguis hærens, humorque admixtus cruditatem ſervans, ſuffocat, dolores artuum adducit, ut omnia vel maximè familiaria vertantur in tormentum. Tum verò organa ſenſuum, imaginatio, memoria læduntur, nunc præteriti mali recordatione, nunc præſentis anguſtiâ, nunc futurorum metu. Habemus ergo meram Melancholiam, magnum per ſe malum, maximorum etiam parentem.

Vidi ſic virum ut natalium ſplendore ſic acumine ingenii, & morum integritate perilluſtrem, Huic vivida olim juventus, opes ingentes & prætmatura ſuî fiducia, omnia ſuaſerant immodica, vino, venere, vigiliis antè ætatem confectus, ſenium ſibi ex morbo induxerat. Cumulabantur omnia quæ modò enarravi ſymptomata, ut nec menti, nec corpori requies concederetur. Noctu lectum ingreſſum incubus, ſpaſmi crambe dicti torquebant. Manè nauſea, ructus, flatus angebant. Tum miſerrima eum mali facies terriculamentis obſidebat, ut ſæpè totus contremiſceret, ejularet, clamitaret; deos hominesque ſuî impotens inclamaret. Cùm jejunus diem ageret, ſerò poſt exhantlatas diei miſerias fame confectus à cibo pondus primùm ingens, dein ſalivationem experiebatur. Sic uno tenore vitam egit miſerrimam, donec debilitatis undequaque Naturæ viribus, tanquam ſilicernium, nondum quinquagenarius morti cederet, nullo quod incuſari poſſet præſente vitio.

Vidi mulierem illuſtriſſimam eodem prorsùs modo confectam, niſi quòd vehementiores ſpaſmi

& ſuffocatio anxioſa aliquid aquei laticis exundare in thorace fecerant, cadavere cæteroquin intacto, cùm in liquidis malum hoſpitaret. Nec ullus eſt Medicorum qui in populoſiſſimâ urbe, in quâ deliciis, vigiliis, ſpirituoſis conficiuntur cives, aliquid ſimile non viderit, niſi faſtidia tædioſæ curæ, deliramentaque ægrorum horumce peroſi eos maturè fugerint. Agnoſcas autem vel primo intuitu, nigredine vultûs, oculorum torvo aſpectu, inceſſu aliquatenùs inſano, quaſi per loca inſidiarum atque periculi plena incedant, Cutis attrectanti dura, pulſus rarus, & magnum ad latera arteriæ pulſans, quaſi ingens vincenda ſit reſiſtentia ſecundùm vaſis axim. Urina nunc pauca, rubra, turbida, nunc concoctionis tempori præcipuè proxima, aquea; alvus conſtipata, hæmorrhoides à ſanguinis regreſſu impedito. Quæ ſigna Melancholiam hanc, ſiccitate fibrarum, harum debilitate ſpaſmodeâ, liquorumque ſpiſsâ tenacitate oriundam, tibi facilè dignoſcendam oſtendent.

Verùm non una eſt atræ bilis ſpecies. Altera fit à vitellinâ acri bile corruptâ, inque liquamen nigrum conversâ, quam pariter cum Veteribus admiſit Boerhaavius, & quam cum tanto viro admittendam cenſemus. Cæteris acriorem, acerbiorem & effectibus maximè metuendam pronuntiaverant Veteres: adeòque ut certò ea cognoſcatur, & ad legitimam originem reducatur; & an exiſtat, & quâ ratione formetur, altiùs nunc inquirendum incumbit.

Bilis quidem quæ atræ bilis, de quâ nunc agitur, fons eſt & ſcaturigo, humor certè naturalis eſt, in hepate ſecretus, aliquatenùs in folliculo

bilis atque veſiculæ felleæ aſſervatus, ubi morâ, partium ambientium calore, ſpontaneo indè orto motu, & aquei liquoris exhalatione amaritiem acquirit, & ſummam ad putreſcendum propenſionem: bilem autem ſaponaceam eſſe, ſed abundare ſimul oleoſis partibus docent, & uſus ejus ad maculas eluendas domeſticus, ubi vice ſaponis, oleoſa cum aqueis mixibilia reddens fungitur, & quòd exſiccatæ reſinæ in morem inflammetur, licèt nunquam mixibilitatem cum aquâ amittat.

Experimentis quæ has proprietates evincant inſiſtere inutile eſt; cùm paſſim apud Autores qui de Melancholiâ tractârunt, inveniantur. Sufficiet tantùm quædam addere de uſu & momento bilis in corpore animali, undè evidentiùs eluceſcant mala quæ inducere poteſt, ubi in atram bilem vertitur.

Tenuiſſimis conſtat partibus bilis, ita ut ubi liberæ non patent jecinoris viæ, vel ſubtiliſſima vaſa injectionis ritu penetret, tunicas oculi flavore inhoneſto inficiens, ſudores, urinas, imò aliquandò ipſam quo purius fluidum nullum è corpore emicat, ſalivam fœdans.

Tum verò quantas in corpore animali partes agat, vel illud ipſum demonſtrat quòd nullibi in ſecernendo alio humore Natura tantum intulerit apparatum. Jecur quidem mole maximum, & vena-portarum in hunc uſum ſolum fabricatur quæ reducem ex toto ferè abdomine ad hepar tanquam radix revehit ſanguinem. Lien ipſe nulli alii uſui præter bilis ſecretionem deſtinatur. Proſilit tandem ex illo mechaniſmo bilis, copioſus humor, pro recremento corpori utiliſſimo jure

habitus, nec minùs meritò inter excrementa recenſitus.

Bilis igitur tanto apparatu ſecreta & pro viſceris mole copioſiſſimè diſtillans, ipsâ tenuitate ſuâ facilè reſorbetur, & in ſanguinem rursùs admiſſa, vim ſaponaceam ſuam exerit, redditque ſanguini aliquas è partibus, quas à proprio ſinu copiosè effuderat; & ut in primis viis inſervierat extractioni chyli, miſcelæque partium ex alimentis heterogenearum, ſic in ſanguine continuatâ opera partium etiam unioni & conjunctioni inſervit. Quid etiam in tenuioribus ſecretoriis organis agat, quaſi à communi Emporio huc delata, non ſine probabilibus argumentis enarrare poſſemus, ſi aliquid hîc hypotheſi concedere licitum crederemus.

At quòd bilis in ſanguinem tenuiſſimâ ſuî portione refluat, extrà dubitationis aleam ponemus, ſi attendere parumper operæ pretium ſit, amaritiei oris frequentiſſimæ, oculorum ſerique emiſſi flavedini, urinæ tincturæ, quæ etiam ſine ictero, quoties vel minimùm tardatur bilis circuitus, undique apparet.

Quid quòd & ſæpè maculæ flaventes hanc illamve partem deturpant, ut in volis manuum videre mihi contigit in fœminâ, quæ hepate corrupto periit ſine ullo alio ictero. Quin etiam & corpora virorum qui jure birioſi dicuntur, flavedinem quandam à bile mutuantur, naturalem illam & quæ cum bilis qualitatibus mutetur, ut ſæpè vireſcant, fuſci evadant, atri etiam, id notante, & varias icterorum ſpecies deſignante Hippocrate.

Jam verò colorem bilis mutari, & à naturali flàvedine in porraceam vitellinamque abire, nemo qui hominem vomentem aſpexerit & ingenti niſu conatus exercentem, & tum demùm viridia vomere viderit, negare poteſt. Plures colores ab inteſtinis exire jamdudùm, imò fauſto omine vidit Hippocrates. Sed quænam cauſæ liquorem hunc, primò quidem dulcem, poſteà verò amarum ad acre acidum rodens convertunt? Jam nobis ad veritatem gradus unus ſuperatus erit, ſi enucleatæ fuerint cauſæ quæ vitellinam bilem procreant.

Cauſæ illæ ad quatuor capita reduci poſſunt. 1°. Sanguinis vitia. 2°. Hepatis atque organorum, bilis tum ſecretioni, tum aſſervationi inſervientium. 3°. Contentorum in ſtomacho & inteſtinis. 4°. Demùm cauſarum qualiumcunque in reliquis corporis partibus habitantium concurſus.

Primò quidem ſanguinis vitio vireſcit bilis. Nam, ut jam alibi diximus, quæ à principiis emergunt, eorum naturam redolent. Si ergo ſanguis iners, vappidus, ſolidis activitate ſuâ defraudatis, dimidiam tantummodò coctionem partibus admiſſis impertiat, naſcetur in ſanguine glutinoſum ſpontaneum. Et ipſa bilis glutinoſa, cachectica, nedum indolem ſibi propriam acquirat, contrà unitis oleoſis liquidis cum ſpontaneo acido, utì mox demonſtrabitur, vireſcet, & chloroſim verè ſic dictam accerſet; ex miſcelâ ſcilicèt bilis cum acido, cùm acidi ea ſit cujuſcumque proprietas, (excepto forſan aceto) ut bili immixtum ſive extrà, ſive intrà corpus ipſi viridеſcentem colorem conciliet. Hinc vitium illud

pueris

pueris puelliſque familiare eſt, in quibus & abundat glutinoſum ſpontaneum, & redundat aciditas, ita ut eorum ſudor aliquandò evoluto acido nares feriat. Hinc molleſcunt ipſis gingivæ, dentes obtunduntur atque nigreſcunt. Hinc ructus acidi, aphtæ, pallor viridis, & varii generis exanthemata, quibus dum medentur abſorbentia in ſeleniticum ſalem converſa, apud plures Medicos diaphoreticorum titulo commendata fuére. Chloroſim verò in Melancholiam imò & maniam ſæpè degenerem ire quotidiana docent experimenta; & apud Hippocratem de Virginum Morbis docetur diſtinctiſſimè. Intereà inſons plectitur uterus, & tanquam mali causa reus agitur.

Non aliam ob cauſam molleſcere aliquandò oſſa viſa ſunt, & rachitis novum morbi nomen articulos ubi glutina deponuntur tumeſcere facit, vitiatque molliorum oſſium incrementum. Cui quidem obſervationi ſubjicere poſſem argumentum illud Hippocraticum, *Oſtendit ſanatio*, tum aliorum, tum meâ propriâ obſervatione fretus.

Altera virideſcentiæ in bile cauſa, ab hepatis & organorum huic ingenti ſecretioni inſervientium vitio rectè deducitur. Etenim ſine ullâ acidi miſcelâ ſufficit ut bilis ſtagnet, & ſtagnatione ſuâ liquido defraudetur aqueo, ut viridem acquirat colorem. Virideſcentia enim extenſæ flavedini ſuccedit, flavedo autem bilis eò minùs intenſa eſt quò dilutior illa, ſic ut vel ad ignem vulgarem vaporatorium, bilis è flavâ in viridem mutetur, dum aqua in fumos & vapores abit. Hinc obſtructio in majoribus, dicatis bili ſecretæ

aſſervandæ vaſis, ſanguinis circuitus in hepate languens, ſeu reditu ſeu appulſu imminuto, calculus in veſiculâ felleâ hærens, diſtenſio in inteſtino duodeno inflammatoria, exitum bilis, per conſtrictum ſpaſmo canalem choledocum impediens, idem facere poſſunt. Nec minùs verò hoc etiam bili vitium impertit lienis obſtructio, inflammatio, skirrhus, ſi præſertim dolorem & anxietatem afferat.

Fatendum enim eſt nos plurima de liene ignorare. At etſi ipſa ejus ſtructura viſcus illud hepati miniſtrare non demonſtraret, certè fortius argumentum à morbosâ ejus conſtitutione ſuppeditaretur. Etenim morbo aut acuto, quod rarum eſt, aut chronico non conflictatur, quin ſummoperè vitietur hepati debita bilis ſecretio; liene affecto, bilis quaſi terream inertem adipiſcitur naturam. Hinc Hippocrates non unam à liene icteri ſpeciem numeravit: hinc lienoſis corneæ fulgor quaſi obrutus & obtuſus, & ſi perſtet atque obduret ſe malum, color faciei fit inſtar malicorii ſeu ex flavo virideſcentis; & fœces alvi ad virideſcentem obſcurum ſeu fuſcum vertuntur; ita ut nullus ſit lienoſus cui hæc in cute ſigna plus minùſve non reperiantur, in aliquibus verò ad peſſimum uſque icterum provehantur.

Tertia verò hujuſce mali origo à contentis in ventriculo & inteſtinis, indèque ſanguinem inficientibus materiis, repetitur. Qui quidem latiſſimè patet campus, eæ verò materiæ ſæpè univerſam bilem, ſæpè partem in inteſtinali officinâ ad ſua munia hoſpitantem ita inficiunt, ut fœces alvinæ omninò referant bilis virorem, & ſæpè

vario gradu, ita ut diverſi generis tincturas nunc dilutè, nunc ſaturè virides referant. Acidis hoc commune vitium eſt, eò fortius quò fortiora ſunt, ita ut acida mineralia bilem in fuſcum convertant colorem, aquâ diluente vireſcentem. Hinc adeò ſæpè, infantibus quibus acidum in primis viis abundat ex cognitâ eorum naturâ, fœces alvi virides exeunt. Hinc à fructibus horæis immaturis, & nondum ſaponaceam vim adeptis, quæ emicant diarrheæ, virideſcunt, quaſi aliquandò tinctæ forent ærugine. Sed hæc intrà primarum viarum ſpatium peraguntur. At ſi altior fuerit, verſo in habitum acidorum abuſu, mali radix, ipſe ſanguis inficitur & principiorum ſuorum vi, bilis virideſcit.

Nec ſum neſcius plures eſſe Medicos maximæ autoritatis, qui tranſitum hujuſmodi miaſmatum à primis viis in ſanguinem negent; eò quòd exiliſſima & ſummè ſenſibilia vaſorum abſorbentium lacteorumque oſcula vix aliquid extranei poſſint admittere. Verùm breve erit reſponſum; ſcilicèt non ſemper acris eſt, in vaſa, ab iis quæ lingua judicat acria, ſenſatio; ita multa per hæc oſcula feruntur, quæ lacrymas oculo exprimunt, ut de ſale marino quotidiana teſtatur experientia. Prætereà verò non idem eſt effectus eorum quæ multâ aquâ diluta, vim amiſerunt, principia tamen non mutarunt, undè niſi per habitum nocere non poſſunt, in ſanguinem delata. Prætereà verò quid adversùs firmiſſima experimenta valet ea quæ nobis talis videtur ratio, cùm in acidorum abuſu quotidiè ſaliva & ſudores aceſcere videantur, ſed ſaliva præcipuè

quam magno impetu acidam exilire iis frequens eſt, qui fructibus horæis immaturis delectantur; ut non ſine magno pthiſeos diſcrimine viro valenti accidiſſe vidi, cùm inſueto pomacei immaturi potu nimioperè delectaretur.

Quartam demùm claſſem conſtituimus earum cauſarum quæ, dum in aliâ corporis parte latent, bili tamen aliquatenùs viridem colorem largiuntur: hæ ſpaſmum concitando, & ſubitum bili vinculum injiciendo, agere videntur. Quanquam in ſubito ſæpè hoc mechaniſmo plura ignorari fatendum ſit. Sic qui grave aliquod vulnus ad caput patiuntur, corripiuntur vertigine, & illicò bilem viridem evomunt, anteà ſaniſſimi. Sic ſi violentus dentium dolor infantem anteà ſanum corripiat, vomet ille bilem; aut ſaltem ſcientibus id nutricibus omnibus, fœces alvinæ illicò flavedinem deponunt, viridemque induunt colorem. Plura de his inquirere ſupervacaneum eſt, cùm & longum, & citrà operis metas foret, in venena quæ ſimile ſymptoma inducunt, ingredi.

Videſcentis quidem, porraceæ, cæruleæ bilis exiſtentiam nemo negat; ecquis enim eam non vidit? Sed quâ ratione vertitur illa in liquamen atrum, in hoc tota continetur noſtra Tractatio.

1°. Quidem ſola ſtagnantis liquidi in eodem loco mora, ut acrimoniam, motu ſpontaneo intenſiore facto, adauget, ſic etiam denſat illud, ſpiſſatque ut quaſi piceum imò & lapideum evadat. Facilis porrò eſt viridis in fuſcum colorem tranſitus, cùm in ipsâ colorum Newtonianâ theoriâ ſeſe quaſi proximiori contactu attingant.

2°. Verò quæ virorem produxerunt cauſæ, agere ſi perrexerint, intenduntur; jamque ſpeciem referunt ſucci melancholici, nondum verò atræ bilis. Color idem, feritas non eadem eſt; & ea ſunt nigra quæ aliquandò ad ſalutem ægri exire vidit Hippocrates, quanquam in genere nigrum colorem exitialem pronuntiat. Nigra hæc per anum, imò licèt rariùs per os exeuntia conſiſtentiam inæqualem habent, ſed ſemper aliquid amurcoſum quale ab aſſato oleo ſupereſt, & fuliginoſum. Imò nigra in lienoſis, verno præſertim tempore, ſi ſaponacea diluentia ex plantis adhibeantur, ſub formâ tenuiſſimi pollinis fauſtis ægri rebus exire vidi, ut in viro forti quidem & Philoſopho, ſed circà hypochondria aliquid duri ſentiente magnam vim quot annis exire video; qui quidem pollen nigerrimus cum reliquis excrementis non miſcetur, ſed delabitur ad fundum.

3°. Verò notabunt Practici omnes, quòd in atro formando humore lien plurimùm conducat. Tantummodò hepati, ut jam diximus, inſervit viſcus illud; ſed ſua mala patitur, & quæcunque patitur, ſecretio bilis luit. Hinc liene vel leviter affecto, ſcybala dura exeunt plerumque nigra; ſi verò corrumpatur, nam inflammationem ſaltem per doloris ſenſum deprehendendam vix unquam patitur; tunc diarrhæa nigra, vomitus niger adſunt præ foribus. Adde quòd habitus corporis à nemine unquam adeò exactè atque ab Hippocrate notatus, exactè correſpondet colori materiarum. Etenim oculi atro colore maculantur, colore inſtar malicorii tinguntur genæ, & dum

materiâ nigrâ liberatur corpus per diarrhœam; vultus ipſe floridior evadit.

Quid, quòd ſæpè notantibus qui de urinis ſcripſerunt Autoribus, præcipuè inter recentiores, mulieribus præcipuè cum fauſto exitu urinæ nigræ exeunt, quod ſæpiùs in hyſtericâ muliere obſervavi, quæ quoties paroxyſmus ſolveretur, urinam atram & inſtar atramenti redderet: quo primùm aſpectu territa, eo poſteà lætabatur. Idem etiam de utero obſervavit Hippocrates, de quo cum inſigni levamine vidit exire atram bilem; & ego in muliere hyſtericâ quidem, ſed hyſtericæ affectionis genere quòd ad Melancholiam potiùs humoralem, quàm ad aliud genus referatur, obſervavi.

Mulier ſcilicèt ingenii ſummo donata acumine, ſed ſimul & intemperantiâ ſummâ, & animi ægritudinibus confecta, per annum integrum variis quidem convulſivis pathematibus fuerat variè afflicta, ſed præcipuè pertinaci erga cibum potumque odio, ut quaſi quâdam hydrophobiâ chronicâ laborare dici poſſet. Mobiliſſima nervorum compages; vultus aliquantiſper tamen lividus. Quid plura. Exit aliquandò ex utero materia picea, nigra, nullius odoris; ſublevatur illicò, & ſensìm ad ſanam mentem redit, dum ſensìm etiam materies illa effluit. Infanti pulcherrimæ ſeptem annos natæ aderat febris, cum ſopore & tendinum ſubſultibus atque diarrhœâ, quarto morbi die ter alvum materiebus nigris & inſtar picis, deponit. Semel vomit atrum eundem humorem, qui vaſe lato, ſeu patellâ argenteâ exceptus, non ſolùm eam atramenti inſtar tingit,

ſed etiam ita maculis inficit, ut arenâ elui patellam oportuerit. Accerſitus horrui. At tota ſimul quaſi per criſim materies ejecta erat, & ipſa infans perſanata.

Sed gravem hîc objectionem adversùs nigredinem bilis, ipſiuſque atræ bilis exiſtentiam proponit Simſonus, dum à ſolidorum turbato tono, labefactatâque œconomiâ, omnes pendere morbos demonſtrare annititur. Scilicèt à ruptâ per phlogoſim, vel aliâ quâcumque de causâ vaſorum compage exſtillare ſanguinem contendit, qui morâ ater factus, peſſimis ægri rebus exit cum & vaſa eroſa, & humoris naturalis fœdiſſimam corruptionem arguat. Nec ratione ſolùm probare rem conatur, ſed exemplis nititur adſtruere, cùm in morbo eleganter, & tam ad veram Naturæ normam, quàm ad Artis leges deſcripto, rem oculis uſurpaverit; ſcilicèt in cadavere viri poſt atras dejectiones atque vomitiones extincti, & vaſorum orificia aperta, & diſtinctè varios putreſcentis ſanguinis colores viderat.

Verùm longè à nobis abeſt, ut cauſæ quam tuemur, potiùs quàm veritati addicti, in ſuſpicionem velimus adducere Viri in artem noſtram meritis clariſſimi, autoritatem. Contrà ipſi ſimiles obſervationes ſuppeditare non verebimur. Vidi ipſe hominem qui vitam militarem ut deliciarum ſic exercitii plenam egerat, poſt acerrimum ſpirituoſorum uſum, nigra vomere, & quidem ut ipſa partium per quæ tranſierat, arguebat exulceratio, maximè acria. Hos vomitus à rubri ſanguinis vi multa incœperat, hos etiam eodem ſanguine finierat, ut mihi dubium foret an vomitus

ille ab exulcerante & ſanguinem eliciente atrâ bile penderet, an rejectâ totâ maſsâ merus ſanguis foret. In extincti cadavere problema ſolutum fuit. Nam non ſolùm inflammata ventriculi vaſa reperta fuêre, ſed adhærebat ventriculo hepar, lien, & membranis eroſis ferè evanuerant viſcera illa, & cum amurcâ quæ corrupto hepati familiaris eſt, viſcus illud, atrum ſimul ſanguinem, famulante præſertim liene, in ventriculi fundum evomebat.

Aliundè quotidianâ noſcitur experientiâ quòd qui in hæmorrhagiâ aut narium, aut ſtomachi, multum ſanguinem deglutivere, plures per dies integros ſcybala verè nigra ejiciunt ſine ullo alio incommodo.

Videmus pariter non infrequenter ſanguinem atrum per urinas exire, & per alias quaſcumque partes in quibus ſtagnando aut corruptus, aut coagulatus fuit. Nonne etiam inter eas morbi nigri ſpecies quas Hippocrates deſcripſit, & quæ à diverſis Autoribus poſteà fuerunt examini ſubjectæ, aliquæ ſunt quæ à ſanguine nigro pendent. Certè res evidenter legentibus patet; ſed utut rem ipſi fateamur, imò & adſtruere, & ab atrâ bile diſtinguere ſit animus, non minùs tamen atræ bilis exiſtentiam propugnabimus.

Et certè in ipsâ Georgii Low Hiſtoriâ, cui præcipuè nititur Simſonus; quanquam multa ſint cum Melancholiâ communia ſymptomata; plurima tamen ſunt quæ huic nullatenùs competere poſſunt. Dolores, cruciatus enormes, dolor ad attactum, liquidi admiſſi peſſimus effectus, ſyncope cum pulſu depreſſo, non æquivoca ſunt

morbi ſtomachum & inteſtina mechanicè affligentis ſymptomata, quæ nullatenùs ad Melancholiam referuntur. In eo, de quo modò loquebar, homine quem & vivum vidi, & mortuum luſtravi, anxietas ingens per aliquot dies præceſſerat. Sanguinem vomituro,aſpectus erat lividus, torvus, os morienti ſimilis, pulſus depreſſus & ferè ſyncopalis, ſudor frigidus; quæ omnia ſanguine rejecto ceſſabant omninò. Remanebat ad ſcrobiculum cordis dolor & anxietas; non melancholica tamen; nam plenus ſpei, poſt exanthlatas per multiplices ejuſmodi vomitûs vires, ſyncope ſubitò periit. Undè eum atrâ bile laborare nunquam putaveram, ſed vero inteſtinali morbo.

Quærenda ergo eſt vera Melancholia ejecta melancholicè, & obſervatio obſervationibus refellenda.

Vir quidam cupedinarius, natus annos circiter quinquaginta, macie horridus, & igni ferè perpetuo aſſidens, dum liba & dulciora coquit, corripitur horrore & rigore totius corporis, quem non febris excipit; ſed perſiſtente extremorum frigore & ſudore tantùm frigido, ſuî aliundè compos, nec graviter ingemiſcens, nigram materiam, atramentum diceres, copiosè evomit. Vocatus à territis aſſiſtentibus & Chirurgo heri ejus domeſtico, qui nihil ſe ſimile unquam vidiſſe teſtabatur, quæ ex Arte erant præſcripſi. Sed nihil aut liquidi, aut ſolidi ſubire corpus poterat, quin illicò in vomitus erumperet. Vultus erat & macie & nigredine horridus, urinæ copioſæ, vireſcentes, quibus notis, atram bilem ut dicam alibi

agnoſcens conclamatum mecum ſtatuebam. Cùm verò nihil examini ſedulo quod inſtituere decreveram, obſtaret, ſequentes in eâ notas deprehendi.

Aterrimus quidem erat liquor, ſed ex duabus diſtinctis partibus conſtabat. Cùm quieviſſet ſurſùm extabat liquidum tenuius atrum; inferius, fœx quædam amurcoſa ramentis variis conſtans: nullatenùs mutabatur illa à liquoribus variis admixtis, niſi quòd obſcurè cum debilioribus acidis iniret efferveſcentiam, clariùs cum fortioribus. Linteo ejus tincturâ imbuto maculam imprimebat atram, non niſi frequenti ſaponis uſu delebilem. Sed ſanguis utut ater, ſi copioſè diluatur, ſi linteo imprimatur, obſcurè ſemper rubeſcit: nullatenùs verò Melancholia quæ diluta flaveſcit & in varias partes ſecedit, flavamque diluta linteo maculam imprimit. Vir noſter poſt enormem, ſpatio quatuor dierum vix ceſſantem vomitum, per alvum tres integros dies eaſdem depoſuit materies, quibus ſenſim flaveſcentibus, evaſit præter ſpem. Quem poſteà ſanum vigentemque inviſens, interroganti reſpondit ſe dura, nigraque ſcybala per anum ſemper reddere. Vultus lætior erat, ſubniger tantùm. Ecce autem nuper poſt tres annos exactos eodem morbo correptus, ardente Syrio, præter ſpem adhuc eâdem ratione evaſit. Quanquam metuendum ſit ne vir paupertate indocilis, aliquandò ab eodem liquore acerrimo facto occumbat. Certè nullum hîc ſanguinem experimentis deprehendere licuit. Dolor nec antè, nec poſteà adfuit. Nec ulla inductæ cicatricis in inteſtinis indicia. Nec unquàm ullâ compertâ putrefactione, ſanguinis talem

amurcam ullus reddit. Adde quòd mollia forent hypochondria, nec vel leviſſimum remaneret latentis obſtructionis veſtigium. Verùm pulvis ille niger quem vegetantium ſaponaceorum adminiculo, Vere quot annis à viro præſtantiſſimo ſed melancholico elicimus, an ad ſanguinem referri poteſt? Nihil certè commune habet; ſed magis ad bilem, cùm exſiccatus inflammetur; bilis enim ſuam fluiditatem aquæ vaporabili tantùm debet, & indurari præ naturâ ſuâ atque iis quæ occupat locis quotidiè videtur; eam amurcoſam & prorsùs nigram in folliculo felleo reperire non adeò rarum eſt; eam hujus & qualitatis & coloris ipſe reperit Simſonus; demùm facilè à ſanguine, viſu, tactu, odoratu diſtinguitur. Odor enim tum vomitu, tum per alvum nigræ bilis emiſſæ, ad nares fortiter aceſcebat, qui odor ſanguini putrefacto competere non poteſt, & in fœtidiſſimum vertitur, ſi quandò ut in nobiliſſimâ fœminâ & in puero contigit vidiſſe, atra bilis ulcerando, ſanguinem elicit. Undè Hippocrates ait; Dyſenteriæ quæ ab atrâ bile incipiunt, lethales. Nec multùm ad præſentem theſim convellendam facit, quam in ſuæ opinionis argumentum attulit vir clariſſimus, obſervatio, lienem ſcilicèt putrefactum, vaſis penitùs deſtructis liquore aterrimo exundaſſe; quem indè, quaſi in pus lienis, huic viſceri proprium, piceum, converti aſſerit. Ipſi enim primò concedemus, poſſe ſanguinem materiam atræ bilis ſuggerere, & in ipſam converti; ſecundò, pars quæ colorem bili conciliat, forte eadem eſt atque ea quæ cruori rubedinem impertit, ut mihi *expe-*

*perimentis ſe deprehendiſſe clariſſimus inter Collegas Chemicus aſſeruit.* Nec minùs etiam magnum conſentimus eſſe ad hujuſce atræ bilis formationem lienis momentum, qui in ipsâ ſanitate integer atque valens nigreſcit ſemper interiùs, licèt fateri non erubeſcamus & nigredinis hujus cauſam, & ipſum lienis officium nobis planè ignorari, rem certè altiori dignam indagine.

Hæc verò atræ bilis ſpecies bilioſis præſertim competit, quibus bilis per ſe ſummè acris & per principia à ſanguine ſuppeditata copioſior, ſensìm ſine ſenſu in ſuo effluxu cohibetur. Hinc ut coaleſcit, ſic terreſtris & coaceſcens evadit. Undè facilè ſentitur quantùm cum priori Melancholiæ humoralis ſpecie coincidat tum cauſis, tum effectibus; ut ferè in principio tantùm differant, tum etiam in fine; nam hæc ultima, morâ, corruptelâ, calore aliundè accerſito, ferociſſima evadit, eaque acerrimos effectus atræ bilis motæ inducit; notantibus id nobiſcum Galeno, Fernelio, Sennerto.

Id verò habet etiam ſibi proprium atque ſingulare, quòd licèt deliria, mentis alienationes, &c. ſymptomata communia concitet, aliquid ſemper ferat anxioſi circà præcordia, ut inteſtinalis morbi faciem præ ſe ferat, & nunquam nativi oblita loci, non aliqua ſuî in hepate aut liene impreſſa & fixa, relinquat veſtigia.

Pituitam verò ſi quandò aceſcat, Melancholiæ ſeu potiùs atræ bilis cauſam eſſe poſſe, ſecundùm Fernelii à Galeno aliquatenùs mutuatam opinionem, jam ex dictis abundè demonſtratur. Si verò ſub pituitæ nomine aquea tantùm pars

ſanguinis ſalinis referta ſpiculis intelligatur; certè hæc incorrupta non poteſt in ſpiſſam piceam ſplendentem atram bilem verti. Sed ſi ſub pituitæ nomine glutinoſa pars ſanguinis comprehendatur, ea certè maxima eſt, primæ atræ bilis recenſitæ, materies, adeòque cum eâ aliquatenùs confunditur.

Verùm ex receptâ hodiè circà animalium eâdem quâ homines lege viventium, ſanguinem theoriâ; dubitare non poſſumus quin multi aſſertionem hanc de acido intrà vaſa actionem ſuam exercente, quaſi vanam prorsùs & irritam habeant; niſi firmiſſima circà ejus exiſtentiam congerantur argumenta. Evolvi tamen illud aliquandò ut Veteres & à Veteribus Boerhaavius dixêre, argumentis nullatenùs refellendis evincitur.

Ac primò quidem exiſtere reverâ illud, etiam in ſanorum ſanguine demonſtravit operoſis laboribus Hombergius. Sed etiam non advocatâ Chymiâ, cur juſcula animalium in mediâ ſanitate mactatorum aceſcunt? Ita ut immiſſum juſculo bovino recenti ad aceſcentiam ſepoſito, ebur, ut in lacte molleſcat. Probat certè aceſcentia juſculorum poſſe liquores animales levi etiam momento in acidum verti atque mutari, aut ſaltem acidum aliquatenùs caracterem induere. Servat aceſcentiam per tres aut quatuor dies juſculum, mediocri tempeſtatis calore ſepoſitum; nec niſi poſteà corrumpitur. At in ſanguine novis ſemper ſuppetiis irriguo aceſcentiam inducit chyli acor, & licèt motûs efficaciâ, partes aliquæ ultrà progrediantur; aliæ novum evolvunt acidum;

undè nullo forſan tempore non reperitur acidum intrà ſanguinem.

Ecquis verò obſervationi quotidianæ ſi fidem non deroget; negabit virus illud quod in cancris productum & evolutum, maſſam ſkirroſam emollit, & in ulcus peſſimum convertit, aliquandò effervefcere cum terreis abſorbentibus. Rem vidiſſe me ſi dixerim, nihil addam tantorum virorum ſuffragiis, qui toties de re compertâ locuti ſunt. Aliundè undè, quæſo, in cancroſi reſorptione virûs, oſſa tam facilè rumpuntur, niſi ab erodentis acidi impreſſione; ſolis enim acidis oſſa emolliendi vis competit. Vide de hac obſervatione Dranium. Putredo vel cadaveroſa parcit oſſibus, roborantur illa ab alcalicis. Mulier acidis nimiùm delectata, oſſibus mirum in modum emollitis periit. Teſtes hîc adſint experimenta cl. V. Pringle, Navier. Advocetur huc etiam vetuſtius Harveii experimentum. Rachitis infantum tota acida eſt. Imò & non ſine rationis ſpecie, ob frequentem ejus in oſſa impreſſionem, luis venereæ virus acidum eſſe voluit clariſſimus & ingentibus in Medicinam meritis venerandus Aſtruccius. Virum novi fortem cæteroquin, aut ſaltem ad munia civilia obeunda ſatis aptum, cui quoties placeret potum hunc ex aquâ ſucco limonum & ſaccharo confectum, limonatam vocant, haurire, paulò pòſt vehemens in crurum & femorum articulos dolor irrumperet oſſeus, per plures horas perdurans. Forſan à nervis ſtomachi vellicatis, inquies, pendebat. Sed ſi res ita ſe haberet, cur non illicò? Cur tantum-

modò paulò pòſt? At obſervationibus hîc exhibitis, quarum ſimiles, multæ attendentibus occurrent, liceat rem extrà dubium ponere.

Dicebatur mulieri 55 annos natæ, tumor cancroſus, ad mammam ſiniſtram natus ab inſultu catelli quem amabat miſerè. Mobilis erat tumor, alius nullibi, nullus. Vultum tamen habet moroſum, liveſcentem forſan ex operationis futuræ metu, quo eam vidi momento. Dolor aliquandò lancinans, perpetuò obſcurus; noctes inſomnes erant, appetitus non dejectus, vires integræ, nec deerat ad ſubeunda operationis pericula fortitudo. Aufertur ab experitiſſimo Chirurgo tumor. Latè omnia ſana videntur. Lintea carpta vulneri appoſita pure bono, niſi quòd obſcurè vireſceret, obducebantur. Quandiù vulnus ingens latè patet, rectè agitur cum corpore. Jam partes ad ſe invicem accedunt; de comparatâ gratulantur omnes victoriâ: at quibus gradibus minuitur exteriùs, grandeſcit in interiora malum. Tuſſis importuna naſcitur, thoracis ſumma anguſtia, dolor in oſſeâ coſtarum parte ad ipſa oſſa naſcitur importunus, & interdùm adeò vehemens, ut gemitibus cogatur ilia rumpere. Obducitur tamen cicatrix, & cauteria, unum & alterum inuruntur. Nulla datur miſeræ quies. Sed tertio pòſt ab operatione, menſe, clauſo vulnere, circà dentes dolor ingens & aſſiduus cæteris additur malis, cum importuno acidi omphacini ſalivam infeſtantis ſenſu, cujus aliquot uncias de die per ſex integras ſeptimanas, ſub ſalivæ tenuis aqueæ acidum ſubtiliſſimum redolentis, formâ emittit; ita doloribus oſſeis confecta, ut niſi opio abutere-

tur, vitam morte miſeriorem ducere poſſe ſe ultrà negaret. Perit tandem ſuffocata, obtuſis & pereſis dentibus. In aperto cadavere omnia ſana, niſi quòd ſub cicatrice pars oſſea coſtarum in verum cartilaginem abiiſſet; pulmones atro ſanguine referti eſſent, bilis cyſtica in bezoardicum lapidem concreviſſet. Idem ferè niſi quòd infectâ operatione perierit, oſſaque non coſtarum, ſed cranii eroſa fuerint in Dominâ * * *. Lugdunenſi, obſervavi.

Sed ne ſpecialem cancro humorem illum acidum, aut in cancro natum crederem alia fecêre obſervata.

Laborat aſthmate hæreditario junior fœmina & eo quidem ſæviſſimo, erratico, ſed bis, vel ter per menſis ſpatium recrudeſcente, quatuor dierum ſpatium perdurante. Variis conſtabat inſultibus major paroxyſmus, qui ingenti ſalivæ copiâ, necnon pituitæ copioſæ indivulſæ abundanti ſcreatu finiebatur, mox recrudeſcentis. Illa quandiù durat paroxyſmus, noctes inſomnes agit, & ita conſtrictum queritur thoracem quaſi aſſeribus ſtringeretur. Peccata tamen ventriculi ſe luere perſentit, ex eo quòd quoties minas intentaret malum, nauſeâ & cibi faſtidio corriperetur; tum quòd libera à paroxyſmo nullum vel leviſſimum ferre poſſet in victu errorem. Quid egerim, aut quid non egerim duram curationem molitus, ſcire vix attinet. Erumpit medicationis ope immenſa glutinum vis longâ ſerie, quam non ex abraſis inteſtinis credas eradicari, ſed quaſi ex vernice tunicæ inteſtinali obductâ abradi; indivulſa trahebatur mucago illa, & quo auferebatur

batur copioſiùs, eò præclarè magis cum thorace agi clamitabat. Aderat igitur undè titubanti conſilium foret, levamen; cum ceſſantibus materiis glutinoſis exit humor virideſcens, nullo tormine, nullo Naturæ conatu violento. Vertitur in nigredinem poſt elapſos aliquot dies, & copiosè pariter per alvum exit niger humor erodens, acris & podicem exulcerans, per dimidii menſis ſpatium. Pluribus jam menſibus rectè ſe habebat ſomni compos, ignotaque tamdiù ſanitatis tangebat limina; ſed quaſi camarinam moverimus, en tumor ad mammam. Horrui aſpectu fatalis monſtri. Suppuravit illa tamen, pure, primò quidem vireſcente, poſteà meliore; cicatrix inducitur. Jam partam de atrâ bile incipiente arbitrabar, nec cum lætitiâ mediocri, victoriam. De aſthmate mentio nulla; cùm ſubitò nimium forſan gulæ credens, acidum intolerabile circà dentes perſentit, ructus, acidos & ſodam ferè perpetuam. Tota pervertitur digeſtio, dentes hebeſcunt, molleſcunt, & nigreſcerent, niſi aſſiduo labore fœmina junior & formæ cupida iis mederetur. Virorem acquirunt fœces alvi & urinæ; alcalicis abſorbentibus nihil proficitur. Acidum fauces, dentes, nares occupat. Res eodem ſtatu redit quo anteà.

Interrogata à me an ſimiles aliquandò acidi morſus ſenſerit; reſpondet ſe primùm ab acido mali exordium ſenſiſſe. Obtuſum verò durante malo ſemper fuiſſe, nec extinctum tamen. Rem ſagacioribus explanandam relinquemus. An verò glutina vernicis formâ per totum inteſtinorum tractum obducta, acidum obtundere potuerint,

quæ à ſuâ ſede deturbata novam acido erumpendi occaſionem dederint, videant.

Poſſe verò acidum intrà aliqua corporis latibula concentrari & latere, ſequens docebit hiſtoria, quam eò confidentiùs hîc refero, quòd & æger ipſe, & collega teſtis, vegeti ſanique & vivunt, & vivent adhuc plures annos, ſi Deus votis annuerit.

Comes ***. peditum Centurio, viginti & quatuor annos natus, dum per varia loca, ut militum mos eſt, rapitur, de amarore oris & bilis exundantis copiâ queritur, ſuadet turmæ Chirurgus potum ex aquâ, ſucco limonum & ſaccharo, limonatam vocant. Hic verò juveniliter eò potiorem quò fortiorem ratus, ſuccum citri ad libras quotidiè ſorbet. Bellè quidem ſe habet primò; ſed poſt uſum hunc per plures dies continuum, ſine ullâ aliâ ſanitati inflictâ noxâ, frigore corripitur interno, quod à lumbis ad extremum uſque pedem pervadebat, & ad oſſium medullas pertingebat, ut loqui amabat. Venatui incumbit. Quoties movebatur, inter agendum de frigore non queritur. Reducem invadit frigus, ita ut ferventi propior flammæ crura combureret ſine levamine. Hinc Melancholia & metus, tum cardialgia, non tamen ſine appetitu, miſerum invadebat. Medicum & doctrinâ & moribus antiquis illuſtrem convenit. Hic uſum quotidianum ſalis alcalini fixi Tacheniani, ingenti aquæ copiâ diluti, ſuadet. Aberat jam longo temporis intervallo à limonum potu. Vix alcali fixum intrà ventriculum admittitur, ſubitò ſucci limonum ſapor cognitus, acido ructu ſeſe manifeſtat. Volat

ad Medicum. Quæque olim peracta fuerant narrat. Hinc me etiam convenit. Laudo clariſſimi Viri inſtitutum, pergere ſuaſi. Quid multa? Biennio pòſt è bello redux, ſanus & integer me inviſit, aſſeruitque nullo ſe alio remedio uſum, ad priſtinum robur integrè reſtitutum. Memini me fœminæ ſexagenariæ ulceribus undequaque diffluenti, & quam ſcorbuticam conſulti Collegæ judicaverant, apozemata anti-ſcorbutica præſcripſiſſe. Res rectè procedebat eò uſque quò acetoſam & limonum ſuccum, ſuccis cochleariæ & becabungæ, meliora pollicitus adjunxi. Manè eos ſuccos & ſerò unâ tantùm die ſumpſerat. Noctu dormientem evigilari jubet, ut adeſſem miſeræ quam in oſſibus crurum dolor enormis ad ejulatus cogebat. Rem ab acido admixto ortam ſuſpicor. Undè potionem, doſi enormi ſalis alcali volatilis refertam, præſcribo. Ulcerat illa fauces, ſed ſimul omnem à cruribus dolorem aufert, ut poſteà ipſo errore monitus ſeverè omnia interdixerim acida. Convaluit.

Plura hîc congerere ſimilia exempla poſſem, quibus evincatur non ſolùm in ventriculo contineri poſſe acidum, indèque nerveam omnem compagem titillatione conturbare; ſed etiam ſensìm intrà vaſa admiſſum, ibi tantummodò hærere ubi in tortuoſis infractibus lympha moratur, ibique extrema præſertim nervorum arrodere; indè verò vi Naturæ ſatìs compertâ, licèt non intellectâ, poſſe aliquandò in unum viſcus glomerari, actione illâ quâ hoſtilibus moleculis infenſa Natura, eas à ſe depellit. Ibi varios tumo-

res poteſt producere, diverſoſque pro ipsâ ſuâ malignitate.

Patet enim ab expoſitâ nigri humoris naturâ diverſos ejus recenſeri debere gradus, proindèque effectus varios, nec vanos fuiſſe Veteres, cùm hinc nigrum humorem, illinc Melancholiam, ex utriſque verò natam atram bilem diſtinguerent.

Scilicèt nigrum quodcumque in rerum humanarum naturâ apparet, per ſe pravum, aliquid enim corrupti indicat, ſive ex utero, ſive per urinas, ſive per alvi excrementa, aut vomitum appareat. Vidi tamen, nec opus eſt multis obſervationibus rem confirmare, cùm viderint eadem omnes, exire ab utero nigra non ſanguinea bonis ægrotæ rebus. Mulierem novi quæ ante & poſt paroxyſmos hyſtericos, tempore menſtruorum ob ætatem defuncta, urinas nigras, imò nigerrimas proſilire videt: non ſine terrore primùm, poſteà nec iis quidem attendens. Junior fœmina, menſtruis necdum erumpentibus, atra vomit inodora, ſine ullo dolore; eadem per alvum rejicit. Benè ſe habet, & exceptâ coloris malignitate, nihil aliud exprobrandum habet. Erumpunt menſtrua, nigra ſunt illa & atro contaminata ſanguine. Nigra dejicit. Luſtranda propiùs res mihi viſa eſt. Materies vomitu reddita inodora prorsùs erat, nec ab alcali, nec ab acido raturbabatur; diluta flaveſcebat, ad fundum ramenta nigerrima pulpæ inſtar piceæ deſidentia. Linteo confricta calorem flavum linteo inurebant, ſed fuſcum. Tribus poſteà menſibus fœmina in-

culpatæ ſanitatis, rectè prodeuntibus menſtruis, pariter effundit atros humores, à menſtruis facilè diſtinguendos. Cæterùm vegeta eſt & ſana. Quouſque tamen nigricantes illæ materiæ prodire debeant, planè ignotum eſt.

Melancholici verò humoris, ſed non atræ bilis ſic propriè dictæ, exemplum jam protulimus. Adducemus jam alia duo nobis recenter viſa. Unum in muliere eſt jam à primævis annis impetigine afflictâ, poſteà verò tumore mammarum pro skirrho habito, non à me ſolùm, ſed à multis aliis Medicis. Tumebat æqualiter utriuſque mammæ quantum erat volumen. En ſubitò per diarrhœam nigram, medicamentis leniter catharticis provocatam, detumeſcunt mammæ, ita ut vel minimum tumoris veſtigium non appareat. Remanet ingens inteſtinorum ſenſibilitas & hebetudo dentium ſingularis. Alio quovis malo magis importuna, horret alimenta quævis aſſumere, cùm ipſi concoctio, aliundè non vitiata, dolores procreet. Quid de ipsâ futurum ſit præſagire non eſt animus. Aliud eſt junioris pariter fœminæ quæ jamdiù anxietate circà præcordia, & malignâ ad mentum impetigine conflictata, cùm pilulas mercuriales, vulgò *de Belloſte* dictas, ſumeret, liene ſimul tumido; horrore correpta & rigore, vomitum ſimul & diarrhœam nigram experta eſt, non ſine artuum convulſionibus & mentis perterritæ furioſo deliramento, indè febrem paſſa eſt vehementem, vultu lurido, extremis frigidis. Eâ ſæviente vomitus conſtiterat, ſed poſt viginti quatuor horas, poſtquàm illa deferbuit, rursùs per

ſeptem integros dies ita nigra vomuit & per diarrhœam ejecit, ut nulla vel minima alimenti pars penetrare poſſet ad intima corporis. Hæc verò hordeaceo levi potu, ſolo, ſine vomitu tranſeunte, ſensìm convaluit, nec ullam experta eſt in menſtruis moram. Lien expleto morbi tempore detumuerat, nec ullas tanti mali paſſa eſt reliquias.

Quod verò atram bilem ſic verè & propriè dictam ſpectat, quæ peſſima & ultima eſt mali periodus, eò effectibus evidentior eſt quò ſæviores ſunt illi. Certè quòd ait Hippocrates, qui atram bilem vomuerint, triduò pòſt emori, vidiſſe me memini in viro fortiſſimo quidem, ſed quem adverſa contuderat fortuna. Is virtutis amans, viderat propinquum capite plecti, labemque toti generi inflictam. Indè hominum reformidans conſortium ab iis fugerat, & aliquod, tempus edax tam boni quàm mali, levamentum dolori attuliſſe videbatur; cùm ſubitò in ſtagnum proſpectans, quaſi nigræ ſuccum loliginis evomit, ſine ullo niſu; tum delirio correptus tertiâ die periit. Retulère aſtantes peroſos aufugiſſe piſces, qui blandimentis allecti quotieſcumque aliquid in ſtagnum injiceretur, annatabant. Vidi longius malum in domûs duce, ſive Architriclino, quo tamen miſerè periit, linguâ, gingivis, imò & toto corpore fuſco, atro. Sed chronicæ atræ bilis nullum triſtius aut formidandum magis exemplum vidi, quàm in Dominâ Comitiſsâ de * * *. quæ quaſi derepentè nullâque causâ externâ aut internâ minitante, niſi quòd gravibus ærumnis dudùm affligeretur, cancro ad mammam dextram

corripitur, qui parvo quidem paucorum dierum intervallo aperitur, & ſaniem fundit acidiſſimam. Dum de exciſione dubitatur, altera concreſcit pariter mamma, ut poſt paucos dies fœdiſſimè utraque hiaret. Febre indè ac diarrhœâ nigrâ correpta, brevì periit, hæc ſalutaris fuiſſet, ſi non viciſſet Naturam acerrima veneni vis. Plura hìc poſſem ſimilia congerere exempla, ſimilia quælibet Medici ſuppeditare poſſint; ſed alia alibi. Satìs ſit ſi hìc & exiſtentiam & varietates atræ bilis, ab Autoribus antiquis admiſſas, à recentioribus, eò quòd receptæ non quadrarent Theoriæ, prætermiſſas, aut leviùs tractatas, extrà dubium, ut confidimus, poſuerimus; perſpectumque ſit, reverâ eam à ſanguine atro qui ſæpè vel ruptis, vel eroſis vaſculis intrà inteſtinorum tractum exundat, cum anxietate quidem ſummâ ac ſymptomatibus ſæpè melancholicis, verè differre. Quanquam ſæpè etiam melancholicum ſit, ſanguinem atrum, aut per vomitum, aut per urinas fundi, lieniſque obſtructionibus familiare, ut alibi fuſiùs dicemus, cùm agendum erit de variis Melancholiæ cauſis, quod jam ſequenti Capite exequemur.

# CAPUT III.

## *De Cauſis Melancholiam producentibus.*

Satis huc uſque probatum eſt Melancholiam humoralem vitium eſſe bilis, aut ſaltem humorum qui per ſe bilioſam qualitatem adipiſci poſſunt; illudque vitium in eo præſertim eſſe poſitum, ut inerti ſecretione, ſtagnationeque quaſi quâdam, bilis aut humor ille quicumque alius fluidioribus deſtitutus partibus hinc craſſeſcat, illinc acredinem eam adipiſcatur quæ potiſſimùm ad acidum vergit; ita ut degener eat in tabum craſſum, erodens, acidum.

Ut autem hujus corruptelæ cauſas inveſtigando detegamus, accuratè hæc ejus perluſtranda eſt natura, quæ à tripartitâ præſertim origine deducta in eo conſentit, ut hinc enormes habeamus actionis vitalis prægreſſæ effectus, illinc ceſſantis & torpentis poſt ingentia molimina ejuſdem actionis ſemper reperiamus veſtigia. Undè ſatìs intelligitur quantùm cum Veteribus concordes ſimus, qui aliquandò Melancholiam cineri poſt incendia relicto comparavêre; ſæpiùs verò eam intemperiem, frigidam & ſiccam pronuntiavêre, & illam autumno adſcripſerant, qui poſt prægreſſos æſtatis calores omnia exuſta relinquens ſiccus eſt, ex naturâ verò ſuâ frigidus; ita ut geminatâ hacce causâ proximum Melancholiæ periculum naſcatur.

Toni igitur ſeu actionis illius conſtrictoriæ, quâ per arctata vaſa vividior fit circulatio, non minùs augmentum præceſſiſſe denuntiat melancholica humorum diatheſis, quàm etiam ſupponit eandem ceſſaſſe & inerti contrà omnia torpere otio. Quod tamen non ita velim intelligi, ut præſente Melancholiâ elanguere omnia contendam, ſed ad ejus productionem, proportione datâ ad priſtinum fervorem, elanguiſſe. Quod quidem ex argumentis ejus naturam evincentibus, in Capite præcedenti directè demonſtratur, & fuſiùs adhuc ex cauſarum & effectuum examine patebit attendenti,ita ut ad hanc comprobandam veritatem tota noſtra Tractatio conſentiat.

Verùm in cauſarum Melancholiæ inveſtigatione, cùm eam triplicem ſtatuerimus, triplicem etiam cauſarum indagationem expectare fas eſt. Altera eſt ſcilicèt Melancholiæ quæ à porraceæ bilis corruptione pendet; altera quæ à pituitæ acris vitio repetenda eſt; tertia demùm ab universâ ſanguinis craſi, melancholicum vitium contrahente pendet. Idem tamen vitium eſt, loco tantùm diverſum. Si enim naturâ vitium alluderet, jam morbus idem dici non poſſet. Undè certè à bilis atræ ideâ excludimus, putrida illa ſanguinis atri effluvia, quæ ex rupto intrà inteſtinalem tractum vaſculo pendent; quanquàm aliter alii ſenſerint. Ubi enim cognoſcendus eſt & determinandus morbus, ſimplicem ejus ideam ſufficere par eſt. Cùm ergo morbus idem ſit, ab iiſdem principiis repeti debet & ab eodem fonte ſcaturire; diverſitatem loci determinantibus quidem variis cauſis, quæ quatenùs hanc aut illam

Melancholiæ ſpeciem producunt, ſuum quæque titulum invenient, nihilominùs tamen univerſali tractatione comprehenſæ. Has verò cauſas in duplicem primò claſſem partiemur. Aliæ enim ab internis diſpoſitionibus oriuntur, morboſumque ſtatum conſtituunt. Alias mutuamur ab externis quæ nos undique circumdant inſidiis.

Plurimi ſunt morbi quibus aut extinctis, aut ex ſuo cinere redivivis, aut intrà humorum vađum retropulsâ eorum causâ immutatis, ſuccedit Melancholia. Sufficit ſcilicèt ut ſuâ deliteſcentiâ ſimilem modò deſcriptæ diſpoſitionem tum in liquidis, tum in ſolidis inducant; quod quidem efficient, quoties exhauſta ſanguinis compages, & quaſi in molem maſſamque coacta, ſuum aſſimilationi ſymbolum conferre recuſabit, ſimulque ſolida, aut nimioperè laxata, aut indurata nimiùm, febrem negabunt accendere.

Hinc aliquandò morbis inflammatoriis Melancholia ſuccedit; quod quidem robuſtis præſertim ac durioribus ſenum fibris accidit. Cùm enim inflammatorius deferbuit furor, remanet in fibris per ſe jam induratis inflexibilitas, quâ ad priſtinum tonum reduci nequeant. Adeſt in liquidis denſum illud inflammatorium, quod contraxere liquida, & quod partìm tantùm nec ſtatim omninò reſolvitur.

Altera morbis acutis Melancholiæ ſuccedaneæ cauſa, eſt ipſa morborum ipſorum acriſia. Cùm illi ſcilicèt imperfectè judicati aliquid intrà ſanguinem vitioſi, aut crudi relinquunt, καταλιμπανόμενα appellat Hippocrates, quæ aut recidivas facere ſolent, aut ſi non recidivas, Melancholiam.

Si enim hepatis, lieniſque ac viſcerum circà hypochondria latitantium ſtructuram atque uſus accuratiùs perpendas; ſi demùm experientiam conſulas, maximam criſium partem, per biliares ductus, conſentiente viſcerum omnium ad hanc ſecretionem concurrentium tono, corpus liberare videbis. Undè ſi aut deficientibus Naturæ viribus, aut eas ſuperante materiæ veneno, criſis incompleta, morbum dimidio judicio abſolvere videatur; infarciri, nec onere liberari canales illos neceſſe eſt, & mole humorum egreſſum molientium obrui, cùm in mediâ quaſi viâ reſtet imperfecta ſanatio. Undè neceſſe eſt ut tenuiora tantùm exeant, remaneant verò craſſiora, quæ ipsâ ſuâ mole impervia, corruptionem ſpontaneam induunt, non ſine ingenti viſcerum illorum, quæ per ſe maximum ſunt Melancholiæ emporium, incommodo.

Tertia demùm ratio quâ Melancholia morbos acutos excipiat, in eo conſiſtit quòd ab iis vires exhauriantur ſummoperè. Viribus autem exhauſtis Melancholiæ nerveæ ſuccedit humoralis, ut poſteà probabitur.

Ad morbos inflammatorios & quidem criſi terminandos, referuntur illi qui à venenato pendent miaſmate, quoſque ſanat ad cutim metaſtaſis, non minimum certè praxeos Medicæ continentes ambitum. Sæpiùs enim evenit poſt ſanatas, nec perfectâ depuratione omninò è ſanguine ablegatas variolas, corpore necdum ſatis purgato, ut Melancholia ſuccedat ſi graviores abſint morbi. Hæc quidem miaſmata non per ſe Melancholiam efficiunt; ſed quatenùs minoribus

hepatis, aut hypocondriacæ officinæ impactæ vaſis diſpoſitionem illam inferunt, quæ Melancholiam ſecum trahat. Quod quidem non ſolùm variolis malè curatis ſuccedit, ſed etiam quibuſcumque cujuſcumque generis extraneis miaſmatibus.

Patet ex hac cauſarum enarratione & agendi ratione, quantùm cum cachexiæ cauſis eæ concurrant quæ Melancholiam poſſunt inducere. Nec difficile tamen eſt in quo inter ſe differat uterque morbus indicare. Uterque ſcilicèt poſt morbos acutos ſæpè ſupervenit, exhauſtis ab hæmorrhagiâ ſuccedit, à retentis miaſmatibus pendet, à difficili criſi, imperfectâque morborum ſolutione infertur; imò ut cachexiam Melancholia, ita Melancholiam ſæpè cachexia comitatur. Differunt tamen inter ſe, & ab invicem multùm abludunt tum effectibus, ut per ſe ex totâ noſtrâ Tractatione patebit; tum corporis diſpoſitione quæ huic illive favet. Cachexiam ſcilicèt afferunt ea tum humorum, tum ſolidorum diſpoſitio, in quâ omnia, hinc inertia, illinc laxa reperiuntur. Deeſt ſcilicèt vis actuoſa vitæ, quæ in Melancholiâ perennat quidem, non ita ut novos ab hoſtili acri materiâ ſensìm cumulatâ concipiat ſtimulos. Non expellitur vi naturæ, morbi fomes. Hinc quaſi ſub onere fatiſcens Natura, partim irritatur, partim elangueſcere videbitur, ſi univerſum ſanguinis ſyſtema adoriatur malum: minùſque afficitur univerſum corpus ſi in hanc illamve partem venenata lues deponatur. Cachexia verò omnia exhauſta, pulſum mollem, debilem, languidum, urinas crudas, pallorem,

tumorem omnium denuntiet, & quanquam ab hac illâve parte potiſſimùm pendeat, univerſales tamen effectus edit. Raro tamen Melancholia non habet aliquid cachectici, aut cachexia aliquid melancholici in puellis, infantibus, iiſque qui à Melancholiâ nerveâ priùs exhauſti ſunt.

Vidimus jam acuti morbi quomodò poſſint melancholicum humorem procreare. Sed feraciſſimus eſt humoris melancholici proventus à chronicorum morborum indeſinenti vexatione. Scilicèt quæcumque lento peredunt tabo hominem chronica incommoda ſensìm enata, ſensìm aluntur, & quaſi jus civitatis adipiſcuntur, donec totam molem infecerint, tardioraque tunc demùm & inefficacia ad hoſtem expellendum conamina moliemur. Triplex autem genus eſt morborum chronicorum, qui ad humorem melancholicum producendum conferunt. Primum eorum eſt qui obſtructione atque functionis impedimento viſcera aliqua occupant, ita ut morbus ſingularis univerſalem inducat. Altero genere comprehenduntur illi qui ſecretionem aliquam Naturæ familiarem & quaſi indigenam intùs retinent, prohibentque in Naturæ levamentum extrà foras amandari. Tertium denique illud eſt quo fermentum aliquod in ſanguine enatum & citò citiùs expellendum, intrà molem cohibetur, aut in partem aliquam internam contrà Naturæ inſtitutum depellitur.

Generatim verò tria hæc genera ferè omnes morbos chronicos comprehendunt. Ecquis enim morbus, ſi vim nominis ſpectes, obſtructionem non affert, aut ſaltem ſanguinis circuitui impe-

dimentum ? At obſtructio practicè ſumpta aliud affert. Eſt enim in viſceribus præcipuis verè morbus, in praxi ſæpè ſæpiùs occurrens, qui nunc phlogoſi conjunctus inflammationem minatur, nunc verò cachecticum quid ſecum habet.

Hîc autem de morbis ab infarctu agentibus obſtructio hepatis, lieniſque morbi breviter expendendi ſunt. Et primò quidem nullus ferè eſt inter hepatis morbos, ſi vehementiſſima excipias hepatitidos genera, qui non ſecum aliquid melancholici afferat, ut vel ſi deliteſcant, ſaltem innoteſcere poſſint quatenùs Melancholiam invehunt. Hepatis obſtructio in intimiori viſceris cryptâ nullo ſeſe prodens ſigno exteriori, nec dolore, nec gravitate ad ſenſum notabili, in viro probitatis & virtutis amantiſſimo, indice Melancholiâ ita ſeſe prodebat, ut illa infeliciſſimis Galliæ temporibus nata, ad amorem patriæ & præſagam futuri mentem referretur. At cùm nimia eſſet, nec tantæ molis foret, privato & opulento homini publicas calamitates tantâ mœſtitiâ excipere, in lacrymas enim ſolvebatur & amaras quidem, ſi de rebus infeliciter geſtis loquerentur, & in iram furiaſve, ſi quis læto vultu & prorsùs indifferenti aut profligatas Gallorum copias, aut naves ſubmerſas narraret: morboſum quid ineſſe rerum gnari profitebantur. Quid multa ? Et coctiones peſſumdabantur, & color vultûs in luridum abibat. Cùm ſubitò dolore obtuſo, & tanquam pali infixi correptus, per aliquot menſes tabe peredebatur, quæ in hepaticum fluxum ſoluta, hominem è medio ſuſtulit. Reperitur in cadavere ingens hepatis abſceſſus, eroſis ſimul & firmiter

adhærentibus, quâ hepatis cava pertingit, inteſtini coli tunicis. In hoc caſu ſi inflammationi reſtitiſſet hepatis ſubſtantia, habebatur Melancholia. Cedente verò illâ, abſceſſus repertus eſt lethalis.

Melancholia igitur cùm per ſe ſæpèſæpiùs ſit hepatis morbus, & bilis atra bilis flavæ locum occupet, nil mirum ſi omnibus hepatis morbis adſit individua comes. Imò ut longiùs adhuc procedam, omnia bilis vitia inertis præcipuè, nec acerrimum putridum caracterem nactæ, ad Melancholiam plus minùſve deflectunt. Hinc etiam apparet quare omnia ferè ventriculi concoquentis vitia aliquid melancholici habeant adjunctum, cùm raro funditùs pervertatur digeſtio ſine bilis vitio, vixque aliquas intentent minas qui in eâ parte ingraveſcunt morbi, ſi non altiùs radices egerint, & ex vicinorum viſcerum biliferorum abolitâ, aut perversâ actione non pendeant.

Maximi verò momenti eſt ad humoralis Melancholiæ productionem lien. Viſcus illud à Naturâ certè providentiùs inſtitutum eſt. Sed nobis magis, iis quæ ſecum importat incommodis innoteſcit quàm commodis. Hinc ergo licere nobis debet ut præter Operis noſtri metas ei diutiùs inſiſtamus.

Si lienem in ſtatu naturali ſpectaveris, nigro colori proximus eſt, fuſco-ruber & ut arteriam à cæliacâ proximam accipit, reddit venæ-portarum venam congenerem; cujus in truncum ſeſe effundentes rami, plicaturis & nexibus prorsùs ſingulares, nec adhuc ſatìs evoluti occultum ali-

quod in eo latere myſterium denuntiant. Arteria verò priùs à trunco firmo & valido orta, in ramos prorsùs innumeros quaſi ſubitò degener acinos format, hinc indè ſparſos, & celluloſa omnibus viſceribus atque vaſis communis tela hiſce intermiſcetur omnibus, filis ſeu nexibus firmiſſimis fulta & quaſi nexa; undè conficitur viſcus partìm molle, partìm firmiſſimum. Naſcitur hinc conſiſtentiæ inæqualitas ſumma, interiorem lienem luſtrantibus, & ii qui egeſtate coacti, lienes bovinos, vitulinos, agninos, &c. comedunt, eos, ut jam annotaverat Galenus, guſtu aſperos & quaſi ſtypticos reperiunt, nec minùs firmos & dentibus divelli difficiles, licèt non deſint acini glanduloſi tomentoſi, vaſa lymphatica numeroſa, per ejus etiam tunicas apparatu evidenti perreptantia. Lien verò arte Ruyſchianâ innumeros vaſorum ordines jucundiſſimo ſpectaculo oculis oſtendit; demùm ut cum verſatiſſimis in Anatomiâ Autoribus loquar, omnem apparatum ſecretionis prodit ſine ſecretione.

Hîc certè locus non eſt ea omnia referendi quæ circà ejus uſum Autores diſſensêre, nec propoſitum noſtrum juvaret. Satìs ſit ex eorum autoritate, obſervata depromere quæ liene morbido facto, Melancholiam ſequi demonſtrant, ſeu potiùs liene vitiato melancholicum humorem generari.

Jam verò alibi probatum eſt ab Hippocratis tempore, colorem cutis ad inſtar malicorii mutatum, fœdo ictero, à ſplenis vitiis pendere; nec ullum apud Autorem noſtrum lienis vitium recenſetur, quod non in ipſo externo ore ſeſe pingat.

In

In quo quidem uniformis eſt omnium ejus ſequacium obſervatio. Ita ut ſæpè ſine ullo alio ſymptomate, quoties livida apparet vultûs facies, flavoque ſed obſcuro colore deformis, præſertim ſi color ille oculorum nitorem non inficiat, meritò lien obſtructionis ſuſpectus habeatur, conſentiente omni Medicorum choro. Nec tantùm color ille plus minùſve extenſus, in omni morboſo liene apparet, ſed etiam ſæpè papulis cutis vultûs deformatur, rubeſcit naſus & à lævâ nare ſanguis ſæpiùs exſtillat. Dolor in lævo latere nullus ut plurimùm; aut ſi adeſt ille, acutus quidem, ſed quaſi per brevia ſentitur temporis intervalla. Vireſcunt, imò & nigreſcunt aliquandò urinæ, fœces alvi duriores fiunt. Cordis ſubſultus & palpitationes non abſunt. Æger animo facilè deſpondet, & omnia tuta timens, ſeſe metu atque mœſtitiâ melancholicum arguit.

Nec verò progrediente ſplenis vitio, eo loci res ſuperſunt. Sed ſæpè vultus lurido-ater fit, ut in pluribus vidi, & ipſe ſub cute latitans textus mucoſus reticularis, quâ vultum, oculos, frontem ſubveſtit, colore fœdo inficitur; ut nigrum illum colorem non pro ſcorbuticis maculis, non pro echymoſi habere poſſis, ſed veræ ſint maculæ nigræ ſui generis, ſolam cutis ſuperficiem attingentes. Intereà mirum eſt quantùm æger mœrore, animi demiſſione atque angore afficiatur. Undè licèt lienis obſtructio morbus ſit reverâ à Melancholiâ diverſus atque diſtinctus, ſæpiſſimè ſub ejus larvâ plures annos latitat.

Verùm ut vitia lienis ſæpè Melancholiam inducunt, fit etiam ut Melancholia in lienem de-

cumbat; quæ veterum Medicorum opinio quotidianâ experientiâ demonſtratur. Quotieſcumque enim juſto mœrore mens afficitur, versùs hypochondria ea eſt nerveæ partis ſentientis atque vaſorum diſpoſitio, ut ad ea viſcera ſentiatur. Imò ſubito impetu iram, in lienem deferveſcere vidi in juvene ſuî impotente, ita ut color vultûs & luridus & ater remanſerit, & ſublatum hypochondrium ſiniſtrum; nec immeritò cum Poëtâ exclamaverim: *Hic verò Alcidæ furiis exarſerat, atro felle dolor.*

Progrediente lienis malo jam brevì ſymptomata atrocia ſequuntur, & quæ dolores humanis viribus ſuperiores inferant, quibus hîc inſudare non eſt locus; ſed quaſi à liene evomeretur in reliquas partes, præſertim ſenſu præditas exquiſito venenata tabes, licèt cauſa mali in ſiniſtro hypocondrio evidenter latitet, dolores ab hac parte, in diſſitas maximè aliquandò pertingunt; ſed eâ ferociâ, ut æger ejulatu & clamoribus ilia ſibi rumpat; deos homineſque incuſet; nunc brachio, nunc omoplatis, nunc pede aut cruribus, quaſi vehementer diſtraherentur & rumpi eſſent proximæ, dolentibus. Præthereà verò omnia roſionis ſigna adſunt, vomitus nigri enormes, & ſæpè ab eroſis vaſis ſanguinei. Hi quidem pro tempore levamen aliquod videntur afferre, ſed brevì evanidum. Urinæ nigræ, cruentæ magnâ vi prorumpunt. Quæ quidem ſymptomata ſtatis intervallis recrudeſcunt, non ſine aliquâ ſpe ægrotantis, cùm tantâ ejectâ materiæ ſanguineæ & atræ vi, ſecum præclarè agi exiſtimet; ingenti Medici terrore, qui nunquam talia bonis ægri

rebus apparere ſentit. Accidit tandem tantis malis febris lenta, tardiùs tamen quàm in aliis hujus naturæ morbis, quæ hominem nullo dolorum levamine peredit, ſed nigrum, cruciatibus vexatum, his miſeriis & vitæ tollit. Aperiatur cadaver. Tincta omnia & nigredine infecta reperiuntur. Versùs lienem cauſa mali apparet. Is tanquam veſica aëre plena, tumidus mihi aliiſque Autoribus repertus eſt; ita ut dum diſcinderetur, quaſi aëre exploſo, concideret. Totus verò lien in materiam aterrimam plus minùſve ſpiſſam abiiſſe reperitur. Quæ materies omnibus lienis defectibus communis jure à clariſſimo Simſon *Pus lienis* appellatur. Hæc verò ſi nulla mutandis nominibus merces ineſt, materia melancholica ad peſſimum gradum evecta atque penitùs corrupta vocari poteſt.

Luctuoſiſſima quidem hæc ſcena mali, plures poſt annos, lieni indurato ſupervenit, nec unum hujuſce morbi exemplum, & in amico quidem meo, hunc qualem deſcripſi, peſſimo exitu nuper vidi. Sed nec ſemel tamen leviùs adorientem obſervavi & exitu feliciori, præſertim in fœminis. Generatim verò notaſſe ſufficiet, 1°. à liene faciem fœdari; 2°. mentem Melancholiâ affici; 3°. dolores à liene ortos ſæpiùs maximè diſſitas partes invadere; liene ipſo vix ſenſum aliquem exercente.

Longius hìc foret cæterorum viſcerum obſtructiones, quæ aliquatenùs Melancholiam pro ſymptomate habent, enarrare. Sufficiat hìc indicaſſe quod longâ experientiæ teſſerâ comprobatum eſt; infarctus quoſvis qui in viſceribus abdo-

minis hoſpitantur, ibique latent, Melancholiam, metum atque timorem inducere, ſecuritatem contrà eorum eſſe malorum propriam qui in thorace habitant. Quanquam & hîc diſtinctione opus eſt; non ſemel enim vidimus orthopnœam cum Melancholiâ complexam, ſed aſthmatis hujus cum Melancholiâ conjuncti cauſa juxtà thoracem non hærebat; luebat contrà affecti ſtomachi injurias, pectus inſons. Imò in obſervatione memoratâ nobilis mulieris, cui aſthma hæreditarium aderat, cauſa mali in humore melancholico latebat; quod ipſa mali ſanatio, argumento Hippocratico demonſtravit.

Nec minùs verò vidi aliquandò à compreſſione per immenſi lienis auctum volumen ortâ, anguſtias in reſpiratione ſummas, imò & enormes ſanguinei laticis ſcreatus, undè in pus verteretur pulmo, aut potiùs inficeretur tabo, totam morbi ſcenam comitante Melancholiâ, cùm ſecundariò tantùm thorax pateretur. Id etiam multi alii mecum videre ab hæmorroidibus in thoracem refluis accidere. Quod jam nunc in alterâ morborum chronicorum melancholicum humorem producentium claſſe, quomodò fieri poſſit proſequemur.

Conſtat illa, ut diximus, à retentis intùs ſecretionibus quæ Naturæ familiares ſunt; ſi tamen alterius altera vicem non ſuppleat. Fatendum eſt enim ſæpiùs ab ipsâ corporis fabricâ reperiri auxilium deficienti ſecretioni. Verùm ſi tranſpiratio ſuppreſſa ſit, nec vires corporis auctæ; teſte Sanctorio, tunc pondus in corpore ſentitur inuſitatum, novum, deficit alacritas, naſcitur Me-

lancholia, donec humoris retenti noxa, nova patiat incommoda. Verùm fugax illa Melancholia omnibus ferè morbis incipientibus communis eſt, nec verè ſui generis morbus dici poteſt, niſi in hypocondria delata, ibi acre reſorptum depoſuerit. Porrò quod de perſpiratione dici poteſt, ad alias quaſcumque ſecretiones pertinet pariter. Sed nulla alia Melancholiæ humorali tantùm confert quantùm ſecretio illa, quæ præternaturalis per ſe, longo habitu fit naturalis, hæmorrhoidum ſcilicèt.

Famoſa eſt omni à tempore ad hunc morbum concitandum hæmorrhoidum ſecretio aut interrupta, aut ſuppreſſa; & apud Aretæum, Galenum, Aëtium pro causâ Melancholiæ feraciſſimâ habetur, Arabibus etiam calidiſſimas regiones incolentibus, & Mauris, Hiſpaniſque maximè habetur pretii. Poſteà verò Stahlio Stahlianiſque pro principe aut ſanitatis, aut morborum chronicorum causâ, in viris hæmorrhoidalis, ut in fœminis menſtrua evacuatio pronuntiatur: quanquam fatendum ſit quòd hæc illâ multò præſtet, & multò magis etiam ſecundùm ordinem Naturæ inſtituta ſit. Nec minùs tamen diffitebimur in viris non ſolùm ætatem maturam adeptis, ſed etiam aliquatenùs ad ſenium declivibus, fieri ſæpè in perſpirationis decreſcentis ſupplementum, periodicum ſanguinis effluvium quo ſanitas ſarta tectaque habetur; ut in regionibus quibuſdam ſibi plaudant, aliiſque talem gratulentur exitum. Sed retropreſsâ tali vacuatione, ſed morante periodo, illicò metus & inſidiæ, brevìque vertigines oriuntur, ut & Melancholiæ, apoplexiæ,

mania. Ut autem à ſuppreſſis hœmorroidibus hæc & ſimilia mala pullulant, ſic ſæpè mala hæc, apparentibus quæ anteà non exiſterent hœmorroidibus ceſſant; teſte indubitatæ in obſervatione fidei Hippocrate, quam quidem prognoſim innumera firmavêre exempla, de quibus ante alios videatur nuperrimus Meadius.

Quanquam verò nihil aliud mechanicum in hœmorroidibus appareat, præter venarum apices tumentes aut hiantes, propter aut univerſalem plethoram, aut peculiarem ex abdomine regreſſu ſanguinis per portarum venam, (quam portam malorum Stahlius appellat) difficili; tamen aliud ſæpè myſterii ineſſe probat, & ipſa aterrimi aliquandò ſanguinis natura & peſſima, quæ ſuppreſſum hujuſmodi fluxum ſequuntur ſymptomata; ut non difficile ſit attendenti videre aliquandò rectè haberi hœmorrhoidas pro ſentinâ corporis, undè ſæpè malorum cauſa ingens oriatur. Sed de his alii, inter quos Alberti fuſiùs egêre. Nobis ſatìs ſit intellexiſſe quâ ratione ſuppreſſus hœmorrhoidum fluxus Melancholiam invehat, ſi tardet fugacem, ſi omninò ceſſet diuturnam & peſſimam.

1°. Quidem hœmorrhoidalis fluxus ceſſans plethoram, adeòque gravamen corpori debet inferre; undè mora, ſtagnatio, tardatio ſecretionum omnium, ſolidorum diſtenſio atque atonia, cæteraque Melancholiæ elementa.

2°. Verò præcipua hujus plethoræ incommoda, tum propter venarum ſitum atque nexum, tum propter hepatis, lienis atque ventriculi fabricam, in hæc viſcera deferuntur, eorumque

vitiant functiones. In his porrò maxima latet Melancholiæ officina, & hæc quidem cauſa, omnium hîc concurrente veterum Medicorum autoritate, Melancholiæ inducendæ maximè conducit, ita ut hepate aut liene obſtructo infarctoque, hœmorrhoides ſæpè, ſi ſatìs & convenienter fluant, à Melancholiâ præſervare poſſint.

3°. Sæpè à miaſmate impuro in hœmorrhoidales venas depoſito totum corpus liberius fit; quod ſi præpoſtero artis auxilio, aut Naturæ deficientis debilitate reprimatur, totum corpus inficit. Id accidiſſe vidi. Herpetibus ſcilicèt fluentibus non ſine ſummâ prurigine, hœmorrhoides ſupervenêre, quæ corpus ab iis liberum relinquerent; recrudeſcerent verò, ſi hœmorrhoidum fluxus comprimeretur. Id & opthalmiis familiare eſt, & cuicumque miaſmatum fluxui contrà Naturæ ordinem inſtituto. Miaſma verò illud aut humores inficiens, aut in emporia Melancholiæ decumbens, quantam produxit ſæpè Melancholiam!

Idem prorsùs quod de fluxu hœmorrhoidum in viris atque fœminis adultioribus & jam menſtruo fato defunctis, de junioribus fœminis, ſi menſtrua tardaverint, defecerint, inconſueto & præternaturali decurrant ordine, dicendum eſt. Nec ulla eſt frequentior cauſa Melancholiæ illius fugacis, quæ púlcherrimum ſimul & debiliſſimum ſexum affligit, quàm menſtruorum vitia quæ vires infirmi per ſe corporis præter modum gravant, ſtomachumque, ventriculum, hepar, & reliqua abdominis viſcera ita funditùs pervertunt, ut ferè nulla ſit quæ non experiatur aut incertam ſæpè famem, aut vitiatos faciei colores, aut

affectus animi timidos, mœſtoſque, ac præſertim incertos, vitamque perpetuò tranſigant in incerto opinionum nullo fundamento innixarum, fluxu atque refluxu.

In hiſce verò ſemper notandum eſt quòd ea vehementior eſt noxa quæ ſubitò invadit, deterior quæ è longinquo delata ſensìm indureſcit atque invaleſcit, minùs ſentienda in firmis quàm in debilibus, magis in diſpoſitis ad Melancholiam, quàm in ſubjectis per ſe alacritati deditis. Omnibus enim malis obnoxia præcipuè infirmitas eſt, teſte Celſo.

Tertia nunc cauſarum morbidarum Melancholiam inducentium claſſis viſenda eſt. Hanc porrò à miaſmate venenato intùs cohibito pendere diximus. Non unius certè generis exempla Melancholiam inducentium miaſmatum Obſervatores reliquerunt. Volvenda ſunt eorum immenſa volumina, ſi ſtupendam cauſarum illarum varietatem reperire eſt animus. *Non mihi ſi centum voces ſint oraque centum*, ſingula perſequi foret animus. Sed potiùs quæque ad aliquas claſſes revocanda ſunt, & ex ordine numeranda, ut firmiùs memoriæ inhæreant.

Prima claſſis eorum eſt quæ dum in ſolida agunt, ea vellicant, pungunt, ſtimulant, importuno quidem vellicatu, ſed nec dolores, nec febres accerſunt. Solvitur verò Melancholia ſi aut dolores erumpant, aut febris accendatur. Scilicèt ſenſus in corpore importunus, nec ſatìs verbis reddendus anxietatem, ἀλυσμον, metum futurorum, odium præſentium importat. Hinc ſæpiùs podagrâ erumpente ſolvitur Melancholia;

hinc febris quartana cordis palpitationes ſpaſmoſque facilè reſolvit ; vidique nuperrimè febrem acutam, melancholicum humorem per alvum omninò , prorsùſque abſtuliſſe, qui jam à longo tempore miſerum vexabat. Hæc porrò ſtimulorum intùs retentorum claſſis æquè ad Melancholiam prioris generis pertinet quàm ad humoralem , ut jam alibi diximus.

Verùm in eâ præſertim claſſe & hîc loci inter humoralis Melancholiæ cauſas recenſeri debet, tum effectibus , tum causâ proximâ, Melancholia nervea. Scilicèt in ſpaſmodicâ illâ corporis diſpoſitione in quâ ſusdèque convelluntur & rapiuntur omnia, metu atque mœſtitiâ jam exiſtentibus ; quî credis aliquid poſſe debito ordine atque ſtatu in corpore peragi ? Porrò ut reactio eſt inter cauſas atque effectus neceſſaria ; an non affectus animi inducunt corpoream diſpoſitionem quæ hiſce correſpondet ? Nec ii certè ſumus qui cum Antiquioribus credamus rem ſubitò confici , nec μένεος μεγά φρενες ἀμφιμελαίναι πιμπλανται ; aut qui , cum Soſiâ apud Plautum Alcmenam delirare credente ab atrâ bile, dicamus hanc eſſe maximè ſubitum malum. Verumtamen eſſe etiam in iis aliquandò aliquid ſubiti poſſe, ſequens hiſtoria docet, quam Vir in Phyſicis exercitatiſſimus oculis uſurpatam mihi narravit.

Spatiabantur ſimul Vir mihi amicus & Amſteledamenſis Mercator , in hac urbe, uterque lætus & ſanus. Poſt ante meridianam exercitationem, antequàm ad prandium ſe accingerent , accipit Mercator epiſtolas , quas dum legeret vultus omninò immutari videbatur, colorque anteà nitidus

malicorii colorem induit, proſtratus appetitus, vomitus nigri, ſub ſerum deliria, quinto die moriebatur. Rupta fractaque commercia ſcilicèt unius fraude acceperat nec opinans; undè tantâ corpus concuſſum eſt vehementiâ, ut mutationibus indè natis ferendis omninò impar fuerit. Morbum nigrum ſed feliciori eventu vidi nuper in viro jam ad mœſtitiam compoſito, cùm ſubitò irâ atque furiis in filium inveheretur.

Quod porrò in his hominibus ſubitò peractum eſt, in reliquis ſensìm pariter exequitur natura depravata, undè facilis eſt unius Melancholiæ in aliam tranſitus; ineſt ea tantùm differentia quòd altiùs radicatum malum magis atoniæ præ ſe ferat, quàm Melancholia nervea, magiſque in partem hanc aut illam decumbat, ſymptomataque ſua habeat mox in diagnoſi memoranda.

Secunda claſſis eorum eſt quæ ſtimulant æquè ſolida, ac in fluida agunt, ea corrumpendo. Lues venerea, lepra, papulæ illæ melancholicæ quæ totum corpus ſæpè deformant, & malignitate enormi pruritus horrendos excitant, ſi cohibeantur, reprimantur, aut Melancholiam excitant, aut graviores etiam morbos. Quid dicam de cancroſo viru quod magis fluida quàm ſolida afficit, dum nondum in hanc illamve partem decubuit? Tum verò coactum atque cumulatum quaſi ſubito impetu ſolidiora organa, ſi ita loqui fas eſt, deſtruit, & ea in molem rudem indigeſtamque nunc ad inſtar corii, nunc in gypſeam formam cogit atque coagulat.

Tertia claſſis comprehendit ea quæ in fluida potiùs quàm in ſolida agunt. Quibus præcipuè fit

ut ſensìm Melancholia ſerpat, intùſque graſſetur, priùs immedicabilis quàm cognita. Cùm autem in ſolida Melancholiæ hanc cauſam, actionem nullam exercere pronuntiemus; non ita res accipienda eſt, quaſi non poſſit ea aut titillare, aut vellicare, ſed quòd præcipuè inficiendo fluida agat, vellicatu ſolidorum minori, quod iis familiare eſt humoribus qui per ſe ad aceſcentiam vergunt; quale eſt lac in gravidis, aut recentiùs partu defunctis, ſi quandò molem ſanguinis copioſiùs inficiens, acorem conceperit. Quod etiam chylo deformi & abundantiori aliquandò accidit. Id etiam putredini in ventriculo nidulanti proprium eſt, ut quaſi ad ipſum vitæ principium pertingens atque penetrans, atoniam potiùs quàm irritationem inducat, ſimulque quaſi leviſſimo attactu, fluidis putredinem horrendam. Huc etiam referri poſſet ſcorbutica lues quæ multa habet cum Melancholiâ Veterum communia, multa diſtincta.

Feraciſſima eſt in genere humoris melancholici triplex hæc cauſarum claſſis, cui etiam aliquatenùs referri poteſt quidquid de acri in genere ſagaciſſimus pronuntiavit Boerhaavius. Etenim licèt certè multa ſint acredinum genera quæ nullatenùs cum Melancholiâ congruant, imò ipſi oppoſita ſint, poteſt tamen quodcumque acre in ſanguine nidulatur nerveam Melancholiam occaſionari. Facilis porrò eſt ab hac in illam tranſitus, ut jam dictum eſt.

Uno verbo, quidquid liquida ita cogit, quidquid ſolida ita reddit inertia ut febrem non concipiant, ſentiant tamen tum morſum liquidi velli-

cantis, tum immeabilitatem hærentis, Melancholiam facit.

Qui quidem effectus mechanici eſſentiam Melancholiæ conſtituentes, ſemper antè oculos verſari debent, dum in cauſas inquirimus remotas quæ, ex rebus non naturalibus dictis deſumptæ, continuas nobis ſtruunt inſidias, præcipuè verò iis qui jam vitio corporis & Naturæ incommodo ad ſuſcipiendum malum proni ſunt.

Nemo enim naſcitur melancholicus; nec quæri debet morbus ille in aliâ ætate præter illam, quam prægreſſæ actiones exſiccavêre & exhauſêre. Ita ut adſit hinc in fluidis craſſum, denſum, piceum caracter; in ſolidis verò vellicatio quæ actuoſitati cauſæ lædentis non reſpondeat.

Prædiſpoſitio ergo ad humoralem Melancholiam quærenda eſt in remotis cauſis quæ illam poſſunt inducere; id eſt, in impreſſione à ſex rebus non naturalibus inuſtâ.

Atmoſphæram enim ad Melancholiam inducendam etiam humoralem, multùm conferre poſſe, probatur indè quòd populi alii aliis ſint ad Melancholiam procliviores. Sic Angli ad Melancholiam nerveam per ſe delabuntur, mutato aëre ita prorsùs ſanandam ut miraculi ad inſtar evaneſcat. Hiſpani contrà Italique multò plus Gallis ad humoralem Melancholiam ſpontè vertuntur, ſed præcipuè Syriæ, Ægypti, Arabiæque Incolæ; ſi Aretæo, Aëtio, aliiſque Medicis qui in hiſce regionibus artem exercuêre credendum eſt, Arabibuſque qui hæc loca incoluerunt; in hanc proni, vehementiſſimos ejus experiuntur

effectus. Hinc macilentæ illis facies, & ad fauces pituita nonniſi uſu perpetuo fumi tabaci extinguenda ; defluxiones catharrales, arthriticæ, nonniſi moxæ aut ſimilium cauteriorum uſu ſanandæ. Hinc vultus nigricans & tinctus ferrugine ; hinc morum gravitas & ad actiones deſidia, quæ ſi ſemel commota & excitata fuerit in pertinaciam & obſtinationem degener, flammam concipit durabilem. Hinc patet quæ ſit aëris conditio ad humoralem Melancholiam inducendam promptior. Ut enim frigida & humidior Angliæ conſtitutio nerveæ Melancholiæ videtur favere, ſic contrà aridior regionum recenſitarum temperatura Melancholiam humoralem inducit. Et certè denſantur ab æſtu in molem immeabilem liquida, inertia redduntur ſolida, aut ſaltem ad actionem magis reſiſtentia. Quidquid ſpiſſum eſt, adunatur & quaſi reſinoſum evadit, undè tenuiora diſſipantur, tum caloris effectu, tum principiis pituitoſis miſcelam renuentibus cum cruore nimis denſo. Hinc ſæpè fit ut quæ acerrima per ſe eſſe debet, ſpiſſeſſit tamen, induratur & hæret bilis ; præcipuè verò circà arctatos lienis canales hæſitante ſanguine. Hinc tempeſtas & calida & ſicca, hinc tempeſtate fortior regio, huic inducendæ Melancholiæ favent, in quo quidem conſentientem habemus Hippocratem, qui autumnis ſiccioribus Melancholias tribuit. *Aphor. ſect. iij. aph.* 2. Poteſt verò etiam contrariâ ratione acrrimum frigus melancholico humori producendo concurrere, cùm hærentiam etiam & bilis inertiam atque acorem in lymphâ conciliet ; ſed utut mali cauſæ faveat, nunquam effectus ejus evolvet, his

contrà omninò obſtabit, eoſque deſtruet prorsùs.

Sed nulla inter Melancholiæ cauſas feracior eſt, quàm perverſa victûs ratio, ſi durior illa, tenacior ſimul & copioſior. Præſertim ſi aceſcentibus & immaturis fructibus conſletur, aut ſuccis eorum fermentatis, ſed cruditatem nativam atque acerbitatem referentibus. Generatim certè præcipua eſt malorum quæ in homines incumbunt cauſa, ingluvies. Sed quo pacto faveat Melancholiæ facilè ex poſitis principiis intelligi poteſt; cùm alimentorum concoctio quaſi centrum ſit in universâ machinâ.

Languere totius corporis œconomiam quoties quacumque de causâ concoctio vitiatur, nemo eſt tam ferreæ conſtitutionis qui non aliquandò ſenſerit. Hinc rara malè coquentibus lætitia. Hinc torpor atque deſidia, familiaris iis quaſi impotentibus ad agendum muſculis. Secretionum ordo pervertitur, craſſeſcit urina, perſpiratio imminuitur. Aucta movendorum crudorum moles, in naturâ augeri momentum actuoſum poſtulat. Quod ſi non adaugeatur, flacceſcit machina, malaque concoctio impatientiam ad concoquendum accerſit. Hinc ſtagnatio crudorùm, hinc craſſities ſpontanea & quaſi liquidorum ſegnities in ipsâ bile primùm ſentienda. Cùm enim ea ex acerrimis conſtet, & evectioribus principiis, ſi labor internus deſit, ſi glutinoſa principia in ſanguine prædominentur, ipſa ſuis in conceptaculis ſimili vitio laborabit, nec jam ſuam exeret actionem tum proprio vitio, tum vitio eorum in quæ agere debet, quæque ipſi majorem opponunt renixum.

Vitia verò in concoctione alimentorum non unius generis occurrunt. Imò ſæpè prorsùs inter ſe adverſis frontibus pugnantia, tum pro ingenitâ viſceris diſpoſitione, tum pro enormi rerum ingeſtarum varietate, nam *ſua cuique deus ſit dira libido.* Sed nulla alia magis Melancholiam accerſcunt, quàm quæ craſſa, terrea, indigeſta, glutinoſa, aceſcentia ſunt. Si enim aliquid facilè in corpore calido & humido aceſcentiam concipit, certè gluten illud eſt quod alimenti materiem ſemi-crudam continet, & aliquid priſtinæ indolis cum aliquâ animali notâ retinet, ſpontèque aceſcit, ſicque Melancholiam facit & virorem bili conciliat.

Hinc farinacea non fermentata, nec ſatìs coctione ſubacta, hinc legumina, fructus horæi ſi maturitatem nondùm adepti ſint, præbent anſam morbo, ſi præſertim cadant in homines otioſos; huic alimentorum generi inaſſuetos; aliundè mœrore atque mœſtitiâ affectos, ut in egeſtate improvisâ accidit.

Sed quoniam de victu agitur, id notandum eſt quòd ſi à victu leviore ad duriorem, à labore & exercitio ad otium fiat tranſitus, multò certiùs inducetur Melancholia; cùm quæ inaſſueta ſint, multò magis afficiant quàm quæ conſueta; è principiis alibi poſitis, ſic, v. gr., ſi quis ingurgitari & ſpirituoſis indulgere ſolitus, ſubitâ mutatione aquæ potor fiat, raro fatiſcentibus ſolidis, enervibuſque liquidis melancholicus non evadet; uſque adeò tardiùs ſapere periculoſum.

Quæ ſint animi pathemata quæ Melancholiam inducant, facillime eſt ex ipsâ receptâ loquendi

formulâ hariolari. Quodcumque enim triſte, durum atque mœſtum eſt, melancholicum vocatur. Hic eſt Bellerophonteus morbus qui offenſo heroï ob ſollicitudines & ærumnas incidit, ita ut ſordeſcerent illi homines, perjuramque odio & fugâ progeniem proſequeretur. Utut autem prædicta animi pathemata rectè inter Melancholiæ effectus atque ſequelam recenſeri poſſint & debeant, cauſæ tamen vice agunt, & quo quidem mechaniſmo facilè intelligitur ex poſitis principiis.

Animi enim pathemata alia inertiam quamdam ſaltem apparentem in corpore inducunt; alia hiſque prorsùs oppoſita, omnia activa, læta ſpectantibus efferunt. In duobus Militibus capite per ſortem plectendis, alter uno ictu oculi miſerrimus, alter contrà vitam, quâ nihil felicius eſt, recuperabat. Vultus expectantis utriuſque æqualiter mutatus. Spes enim arcta timorem incutiebat. Felicioris uno ictu temporis facies vivida, color rutilus, plenus, oculi alacres. In miſero verò deformabatur eodem tempore facies, ut jam morti videretur proximus quam certam expectabat; uſque adeò nervea ſentienſque compages totam regit machinam. Hinc omnia ferè in humanâ œconomiâ pathematibus aguntur, nec ulla ratio tam frequenter mentem apud homines ſubvertit. Hìc præcipuè verum eſt illud *omne nimium Naturæ inimicum eſt.* Sive enim immodicâ trahamur lætitiâ, ſive lentis conficiamur affectibus, utrimque periculum eſt. Verùm ne alibi- dicta renarrare videamur, humorali Melancholiæ inducendæ lenti potiùs concurrunt affectus

affectus quàm alii, cùm & coctionibus noceant, eaſque & alias ſecretiones quaſvis languere faciant, motum ſanguinis tardent, metum atque mœſtitiam animo concilient, cordi verò ſpaſmum atque palpitationem; quæ omnia neceſſaria ſunt humoralis noſtræ Melancholiæ elementa. Quòd autem cl. medicus Ric. Mead ſe plures ab immodicâ lætitiâ ad inſaniam adactos, quàm à mœſtitiâ aut à deſperatione vidiſſe narrat; id de inſaniâ nerveâ intelligendum eſt, aut de eâ ſaltem quæ dum ſanguinis ad caput curſum dirigit, varices in cerebro, aut aliis partibus ad recti ſenſûs exercitium concurrentibus producere poteſt, non de noſtrâ humorali quæ per rei eſſentiam, omnia lætitiæ affectibus oppoſita ſupponit.

De retentis atque excretis nihil eſt ferè quod ad jam expoſita in morboſo fluidorum ſtatu addamus, cùm retenta aut nativam indolem ſervent, aut morboſam induant; ſi nativa ſervetur indoles in ſano corpore, ſupplet altera alteri, & rarò ultrà procedit malum; de morboſis jam egimus. Sunt tamen vulgò recenſita inter nimiorum excretorum & retentorum pericula, varia illa quæ Veneris uſum præpoſterum excipiunt incommoda. Scilicèt nihil aut plus exhaurit vires, eaſque concoquentes, quàm nimis indulgere veneri, undè fluidioribus orbatur particulis ſanguis. Sed & nervi ipſi fatiſcunt, ſiccatur corpus, & actionum omnium languor & torpor ſequitur. Quin & læditur ipſa malorum ferax imaginatio. En jam habentur elementa Melancholiæ. Præterea verò actus ille in habitum vertitur, & qui ſæpè veneri indulgent cupidineque ſatiantur, nec co-

hibere animum ſatìs animoſi ſunt, ad viſæ mulierculæ aſpectum en rapiuntur in furias, & quò plus cæteræ functiones languent, eò illa magìs invaleſcit. Undè ſensìm laxatis deferentibus canalibus, vaſis ſpermaticis eorumque orificiis ampliatis, tabe dorſali contabeſcunt, cujus morbi deſcriptioni nemo aliquid ab Hippocrate addidit. Inter tabem porrò atque morbi principium, Melancholia accedit eò frequentior, quò raró aliquid in tanto veneris uſu non intercedit probroſi, quo remorſa perpetuo vellicatu mens conſcia, in ipſis floribus angitur, datque Melancholiæ principium.

Verùm in hoc vitio id etiam durum eſt atque periculoſum, quòd non ſine aliquo diſcrimine ſapientius vitæ genus inſtituatur. Supereſt ſcilicèt innata, ſeu potiùs habitualis cupido, cùm quâ perpetuò luctari debet animus meliora doctus, vellicatio organorum ingens, cui reſiſtendum. Imò innaſcitur quædam quaſi plethora partium ſummè tenuium ſeminalium, undè capitis dolores, anxietates ventriculi, cæteraque quæ ad nervos continuo morſu irritatos pertinent. Undè Melancholia nervea, niſi ingens animi diſtractio, niſi ſummum corporis exercitium, attulerint opem.

Quòd verò inter ſex res non naturales nihil magis ad Melancholiam inducendam conducat otio, torpori, vitâ ſedentariâ; nihil contrà ei magis reluctet exercitio, motu, ſatìs ab expoſitâ Melancholiæ eſſentiâ patet. Quamvis fatendum ſit otium, ſi ſolum ſit, & anxiæ mentis inquietudine deſtitutum, aut vitio conçoctionum altiùs

repetito, vix per ſe ſufficere ad hujus morbi natalia. Morbus enim eſt compoſitus Melancholia humoralis, otiumque vitium, ſimplex illud inferre non valebit, ſi non illud laboribus nimiùm exſiccantibus ſucceſſerit.

Quòd ſi aſſiduò propinentur ſubſtantiæ quæ aut ſolida exſiccent, aut quaſi comburant humores, dum aut partes ſanguinis concreſcunt, bilis adunantur, aut liquidiſſima avolare coguntur, certam Melancholiæ anſam præbebunt illæ; huc porrò revocantur.

1°. Purgantia quæcumque, quorum uſus, ſi non arte regatur, irritat, ſiccat, liquidiſſima per alvum tollit, ventriculi & inteſtinorum hepatiſque vires infringit, falſo quidem primùm ſolamine, poſteà verò lugendo errore.

2°. Acria ſpirituoſa, præſertim vinoſa, quibus proprium eſt indurare, conſtringere & quaſi oſſeam duritiem ſolidis conciliare, & ex *morbo ſenium*; liquida verò compingere, præſertim lymphatica, imò ipſam bilem cicurare; tum verò ventriculi actionem exſtimulare quidem, at maſſæ alimentorum hærentiam quandam & ſtagnationem, poſteà verò incorruptibilitatem quæ coctioni repugnat, dare. Spirituoſorum actio omnibus actionibus animalibus nocet, exanthlatoque ſpirituoſo ſtimulo remanet craſſities, induratio ſolidi, debilitas à diſtractis anteà, poſteà debilitatis fibris. Hinc triſtis neceſſitas iiſdem ſe ſemper tradere exceſſibus, cùm à deſinente ſpiritûs præſentis fervore, remaneat debilitas, inertia, imbecillitas ad opera, quæ omnia dum ſpirituoſum fervebat intrà vaſa, non aderant. Hinc effectuum

oppoſitio, tum à præſenti, tum à præterito ſpirituoſo. Quin multos vidi melancholicos qui aliquod ſibi in ebrietate remedium quærerent. Quod quidem inveniebatur fugax, & inſtantis inſtar; ſed peſſimo poſteà fato, venenatum. Sed nuſquam Melancholia prodit vehementiùs quàm ſi ſuadente rationis vi ebrietatem ejurent. Remanent enim vitia mechanicè ſanguini liquoribuſque inuſta, remanet ſolidorum ſimul atonia & induratio nullo ſuffulta nerveo ſtimulo, tum & impreſſus altè, intrà ſolidorum glanduloſorum & chylo dicatorum, ſtamina, caracter acidus, quem in ebrioſorum ſudoribus ſæpè deprehendimus.

Quod verò de vino vinoſiſque liquoribus pronuntiare non dubitavimus, eos eſſe peſſimam Melancholiæ cauſam, id etiam de opii atque narcoticorum abuſu intelligendum eſt. Idem ſcilicèt eſt effectus eâdem de causâ, ut conſtanti probatur experientiâ ſupplere vinum opio, opium vino. Præterea verò id habet opium quòd caput præcipuè oppleat & gravet, quòd nervos vellicet, imò & ad convulſiones diſponat. At nihil acidi ſecum fert, quod vino atque vinoſis liquoribus exprobrari poteſt.

Præter haſce cauſas, Veteres putabant eſſe corpora per ſe Melancholiæ inducendæ apta; quod quidem mirè quadrabat cum receptâ illâ theoriâ quâ Melancholiam eſſe inquilinum corporis humorem arbitrabantur. Hinc eſum animalium inter Melancholiæ cauſas recenſuerunt. Et certè non negandum quòd ſi quis iis ſe amet ingurgitare, concoctiones vitientur; & vitium quidem illud non ſine mœrore atque mœſtitiâ naſcitur.

Ventriculi enim laborantis peccata ſimili mœſtitiâ deprehendi ſe ſinunt. Sed fugax illa Melancholia, vix cum noſtrâ verè morboſâ, comparari poteſt ; cùm nihil de priori, vacuato ventriculo ſuperſit omninò, nec principia indè effiɛta aliquid melancholici in ſanguinem deferant.

Cæterùm quidquid huc uſque de cauſis Melancholiam invehentibus diximus, ita intelligendum eſt, ut non ex rei neceſſitate Melancholiam inferant illæ, cùm per ſe natæ ſint & alia & peſſima mala producere. Verùm requiritur prædiſpoſitio quædam à Naturâ accepta, aut Arte conquiſita, & à repetitis earumdem cauſarum ictibus altiùs intruſa, quod melancholicum temperamentum Veteres vocaverant ; nos verò rectiùs intemperiem melancholicam, frigidam porrò & ſiccam.

Areſcunt ſcilicèt ſolida, aut à fervore prægreſſo exſiccante, aut à coagulantis lympham vel tenuiſſimam lubricantem, ſpirituoſi liquoris crebrò admiſſi efficaciâ, aut demùm à vitæ duræ, laborioſæ longo exercitio fatigatæ, viribus ; à victu malè ordinato, craſſo, copioſo, ex cibis duris, craſſis, terreſtribus ; ſi præſertim malè cocti terreſtrem ſervaverint indolem. Huc pervigilia referuntur etiam quæ ſiccant, maximè ſi intento labore & altâ meditatione aruerint ſolida.

Figuntur ab iiſdem cauſis liquores, & earum repetito uſu in piceam maſſam craſſiora adunantur, ita ut concurrant omnia ad formandam morbi noſtri imaginem. Tum liquidiora miſceri renuunt, aut imperfectè admodùm miſcentur ; undè titulo pituitæ, bilis, catharrorumque, coquuntur imperfectè, & ſemper, aut ſaltem ſimul ac frigus

vel leviſſimum ſtrinxerit glandularum hiatus, exeunt. Ipſa mictio frequens, perſpiratio tamen ob arctationem canalium exhalantium minor.

Habemus certè expreſſam in his ideam ſenectutis quæ per ſe melancholica eſt, dum quærit & inventis timet uti, dum res omnes miniſtrat gelidè & timidè, dilatrix, ſpe longa, iners, avida futuri, difficilis, querula, laudatrix temporis acti ſe puero. Sed additur aliquid Melancholiæ, ſcilicèt irritabile nerveum principium, aut ita perpetuo morſu vellicatum ut ſummè irritabile appareat. Quod quidem acris & acidi humoris exiſtentiam arguit loco, ſede atque effectibus diverſi.

# CAPUT IV.

## *De Melancholiæ humoralis ſedibus.*

Triplicem melancholici humoris ſedem Veteres recenſuêre, dum eum à triplici fonte ſcaturientem deduxerunt. Melancholia ſcilicèt altera ab univerſali pendet corporis & humorum vitio, ſeu, quod idem eſt, ab atrâ bile per univerſum corpus diffusâ. Hæc eſt cauſa humoris atrabilarii primigenia, princeps, aliarum genitrix fautrixque; altera ab eodem humore in hypocondria decumbente deducitur, ſtomachumque ac viſcera concoctioni inſervientia præſertim afficiente. Tertia demùm, cerebri vitia ſupponit, ſeu potiùs delatam materiem atrabilariam ad receſſus intimos cerebri; undè labefactantur præcipuè functiones mentis, ſatìs aliundè vigente valenteque corpore. Cùm verò adderent Veteres, eſſe Melancholiam quæ ab humore fieret, aliam verò intemperiem eſſe ſine materiâ; non dubium eſt, quin in effectibus, forſan utramque à nobis admiſſam, confunderent.

Ex allatâ verò humoralis Melancholiæ theoriâ patet admitti poſſe quam Veteres inſtituêre diviſionem. Imò, ſi ita loqui fas eſt, multiplicari potuiſſe pro ratione diverſorum, in quibus poteſt dominari Melancholia, viſcerum. Si enim & naturam mali propiùs perpendamus, ſimulque cauſarum Melancholiam humoralem

inducentium agmen cogamus, ſequentia nobis meditando extundentur. Humor noſter errat per totum corpus, & ſanguis, ut cum Boerhaavio loquar, eſt craſſus, ater, pinguis, terreſtris, partibus mobilioribus diſſipatis, immobilioribus unitis. Adeſt tunc potiùs diſpoſitio melancholica quàm ipſamet Melancholia. Si enim ſtagnet & hæreat indivulſus quâcumque de causâ humor ille, brevì ex enarratis in fœcem melancholicam, ſeu atrabilariam abibit. Hæc quidem primaria morbi forma à cauſis agnoſcitur præcedentibus, à ſymptomatibus præſentibus, & demùm à faciliori, per diluentia ſaponacea prudenter exhibita curatione. Huc enim potiſſimùm cauſæ redeunt, quæ in univerſum corpus agunt, ut ſunt, v. gr., æſtus ingens, & in ipſo calore, motus corporis immodici, undè ariditas præternaturalis naſcitur, tum in ſolidis, tum in fluidis. Venus immoderata. Vitæ generis mutatio enormis & imprudens. Melancholia, demùm nervoſa, continuata dudùm, nec arte abacta. Symptomata verò ea ſunt quæ ad univerſam corporis molem ſpectant, ut æqualiter & cerebrum & hypochondria laborent, nec plus aliud viſcus alio; ſed nunc huc, nunc illuc ſe vertat mali facies; & ineunte quidem malo omnia leviter, graviore graviùs omnia ſuam labem ſortiantur. Verùm fatendum eſt quòd ubi labente tempore ferociùs malum exarſit, rarum ſit ſtagnationem huc aut illuc non concipi, ſic vitiato ſanguine, tuncque evolvitur demùm atrabilarius humor, ad cujus evolutionem atque præſentiam neceſſariò requiritur ſtagnatio. In hujus enim naturâ acerrimâ aliquid

latet quod mutationem ſpontaneam ſupponat, acidumque latens evolvere ſe ſinat, quod naturæ humorum repugnat, rapido circuitûs torrenti abreptorum. Undè fit ut in Melancholiâ univerſali diſpoſitionem tantùm, non verò exiſtentiam, ut amant loqui, actualem admittamus.

At verò proxima eſt & præ foribus hujuſmodi ſtagnatio, & quò quæque pars debilior, eò ſtagnanti craſſiori ſanguini cedet faciliùs. Hinc fit ut miſerrimè diſpoſitioni melancholicæ facillimè cedat cerebrum. Reſinoſa ſcilicèt & picea ſanguinis craſſi diatheſis, in illud primò viſcus agere debet, in quo & vaſa mobiliſſimis fulta culcitris, & reditus difficilior ex ipsâ vaſorum diſpoſitione. Hinc toties venoſi ſinus varicoſi reperiuntur & ſanguine atro turgidi, quòd hæreat ibi potiſſimùm ſanguis, nec ullo adjutus muſculorum laticem exprimentium auxilio, nec ipſo partium elatere, quo deſtituuntur illæ, quibus accumbunt. Primùm ergo pondus atque gravatio, poſteà etiam functionum, quæ in cerebro aut partibus interiora cranii occupantibus peraguntur, perverſio. Læſa memoria, læſa imaginatio, falſaque adeò quæ ab iis pendent judicia. Quòd autem à capite ad alias partes præſertim malum defluat, in eoque quaſi tota contineri poſſit Melancholia humoralis cæteris partibus illæſis, modò tamen aliqua inſit in cæteris partibus diſpoſitio concurrens, patet indè quòd ſæpè vigente appetitu, concoctione perfectâ, ſolo tamen aliquo gravamine in artubus, & mobilitate atque alacritate impeditâ, mens graviter ægrotet. Nec tamen quantùmvis ſaniſſima ſint cætera, indubitata mali ſe produnt ſigna in

ipsâ facie, quæ in hiſce ægrotantibus aliquo modo in interiori cranio circulum ſanguinis impediri & intricari demonſtrat, aliquâ luriditate, aut majori, aut minori, pro morbi gradu. In nullo enim alio morbo, ac in noſtro melancholico tantùm facies cum interioribus conſentit. Hæc indubitata ſigna latentis in cerebro mali prodit. Hæc in omni Melancholiæ ambitu feraciſſima eſt ſignorum æquivocorum quidem, ſed non contemnendorum.

Quid quòd à cerebro ſæpè ſymptomata pendeant, cauſa tamen alibi latitet, ubi loci reſidet, innoxia. Sæpè ſæpiùs id fit ab abdominali vitio. Nonne videmus quoties vaſa abdominis turgent ſanguine, liberiori circuitu mille de cauſis intercepto, gravari cerebrum? Nonne ipſa pendet à peccatis ventriculi Hemicrania, ſæpiùs in Melancholiam degener? Hœmorrhoides verò feraciſſima morbi noſtri cauſa, ut alibi expoſitum eſt, ſi ſupprimantur; ſtagnationem, aut ſaltem lentiorem in cerebro circuitum, nonne ita quotidie faciunt, ut non Melancholiam ſolùm, ſed & Apoplexiam minitentur. Hinc à vitio abdominalium viſcerum, circuitu impedito, & à ſpaſmis quibus præcipuè obnoxia jacent, naſcitur in toto corpore atonia, in cerebro varix, quod certè vitium in cadaveribus frequentiſſimum eſt. Hinc Practici quotieſcumque fœdari atque deturpari faciem vident, abdominalia accuſant viſcera, ipſaque rea faciunt nec ſine ratione. Hinc ſæpè quæ gravidæ ſunt mulieres, melancholicæ evadunt, & ſæpiùs iis fœdatur facies, &, ut cum ipſis loquar, larvatur.

Nobiliſſima matrona triginta circiter annos nata, duci Gallorum fortiſſimo nupta, plures puellas jam enixa fuerat. Ipſa verò vitam non anxiam ſolùm ob bellorum frequentiam, in quibus ſtrenuè ſeſe gerebat maritus, ſed & triſtem ob filiarum immaturarum frequentes obitus, vitam duxerat. Supererant duæ quarum una improvisò è vivis ſublata, mœſtitiam ad ſummum uſque perductam, perpetuam illam, animo per ſe forti incuſſerat. Tum verò oculi non ſolùm præ lacrymis luridi fuerant, ſed etiam nigrore quodam ad medias uſque genas intincti. Vix à tantâ clade recreabatur, cùm furente bello, maritoque non minimam hujus partem, ſummo aut famæ aut vitæ diſcrimine, perferente, gravida fit. Infauſtis crederes auſpiciis. Verùm quæ huc uſque puellas enixa fuerat, quæque à quarto ad nonum uſque menſem vomitibus vexata fuerat enormibus & convulſionibus artuum periodicis, ut adventante quotidianâ periodo & in terram projici, & manibus fortiſſimorum hominum conſtringi neceſſe foret, ne ſibimetipſi noxam convulſa inferret, nec vomit, nec convellitur; valet vigetque ad ſeptimum uſque menſem. Anxia tamen de marito, mœrens ob ereptam ſibi ante biennium puellam, ſæpè lacrymatur ultrà modum, ſi ſola ſit, abſtergitque ubi aderant amici, lacrymas melancholicas illas quidem, me ſaltem judice, fortiſſima mulier. Ad menſem ſeptimum omnibus rectè ſe habentibus, ægrotat quæ ſola ipſi ex tot puellis ſupererat. Neſcio an periculum præſens ſuperſtitis, antiqua vividiùs refricuerit vulnera. At ipſi ad ſeptimum menſem frons primùm

Madame la duchesse d'Aiguillon (Villeneuve) Dict. des sc. méd. XXIII. 439.

obſcurâ tingi ferrugine videbatur. Poſteà increſcente in dies malo, per totam ſucceſſivè faciem non jam ferrugo, non fuſcus obſcuruſve color, ſed nigerrimus obtendebatur, intactis oculis, intacto labiorum rubello limbo, iſque per dies color intendebatur, remittebat, ſed nunquam evanuit. Erat ergo facies tota pedetentim in nigram converſa, ad collum uſque quod intactum erat, & marmoris albi ad inſtar, cui caput è nigro marmore fuiſſet ſuperadditum; ea autem hujus incipientis nigredinis erat forma. Tenuiſſimus videbatur pulvis ſub epidermide latens, & oculo aut vitris armato, aut nitidiſſimo, intervalla videbantur alba: increſcens nigredo nullum ſequebatur ordinem, ſed huc augebatur & illuc per totam faciem; fœdè admodùm diſponebatur, quouſque omnia æqualiter nigra evaſerint: nec credi potuit vel ab imperitiſſimis, humorem illum pro ſanguine habendum: nec ullum in albugineâ oculi tunicâ vas apparebat dilatatum, nec ullus inerat capiti dolor. Valebat appetitus. Lintea fortiter affricta cuti aliquandò obſcuro livore tingebantur; aliquandò nullam referebant tincturam, & ſub epidermide poſita tinctura, cum rubore aliquo in genis primùm miſcebatur, colore ſcilicèt illis naturali. Viget, valetque. Sanitas adeſt ad omnia, niſi quòd pro infantis pondere gravetur abdomen, ipſaque vix ſomnum ſentiat; vigiliis etiam extrà graviditatem ſæpiùs vexata. Sermones hominum varios deſpiciens animoſa mulier ab omnibus abſtinuit remediis. Ecquid enim malum intulerat graviditas, auferre partus debuerat. Quod quidem evenit. Quo

enim tempore parturiebat, ſudor obortus eſt qualis cruciatus parturientis ſæpiùs comitatur, niger, lintea inſtar atramenti tingens, qui ſudor maximam nigredinis partem abſtulit; duobus poſteà diebus ſequentibus prorsùs evanidam, lochiis ritè fluentibus, cæteriſque ex ordine ſe habentibus. In alterâ quæ proximè hanc ſecuta eſt graviditate, jam eadem eodem ordine emicabant phœnomena, ſuſtulit ea penitùs, exorta tertiana febris quæ ad uſque partum miſeram comitata eſt, evanidâ, poſt primos febris inſultus, nigredine.

Compreſſioni certè & ponderi abdominis debebatur malum, obſervatum vix unquam anteà quale deſcripſimus, & quale vix auderemus deſcribere, niſi tot adfuiſſent teſtes. Sed multò plures ſunt fœminæ quibus graviditas aliquid in faciem & vultum imprimit, & ferè omnes homines qui graviter ex abdomine laborant, non indubitata in facie ferunt mali ſigna. Patent adeò & ſtagnationi & irreſiſtentiæ, tum cerebri, tum vultûs vaſa; tum & peculiaris textûs mucoſi cutanei fabrica, huic humoris cujuſcumque in faciem depoſitioni favet. Hinc adeò frequens in quocumque ſanguinis intenſo motu ſive à febre, ſive ab ebrietate delirium. Hinc eruptiones quæcumque vultum præcipuè offendunt, eique ſuî maximas notas imprimunt.

Patet ex his quâ ratione poſſit Melancholia cerebrum invadere; ſeu potiùs quâ ratione melancholica diſpoſitio liquidis intrà cerebrum ſtagnantibus imprimi poſſit, eique præcipuè viſceri ſtruere inſidias. Difficilis venoſo ſanguini reditus, ſolida mollia, ambiguum faciunt circuitum. Et

quamvis nulla ſit ſecundùm vim nominis omnimoda ſtagnatio, hærentia quædam eſſe poteſt. Si verò aliquandò perfecta ſit ſtagnatio, graviſſimum certè orietur malum vix ullâ revulſione ſanandum.

Tertia demùm & potentiſſima atque frequentiſſima Melancholiæ ſedes, ubi potiſſimùm evolvitur illa, & in quâ ſic propriè dictus humor atrabilarius conſiſtit & deliteſcit, ea ſunt viſcera quæ ad bilis ſecretionem aut per ſe, aut inito cum hepate commercio concurrunt. Unde ipſi nomen bilis atræ inditum, & meritò ſanè cùm ab ipsâ degeneratione bilis pendeat ſæpiùs. Sed ut in hac potiſſimùm ſede ſuos exerit effectus bilis atra, ita ab hoc loco deturbatur faciliùs, cùm pateant undique loca quibus vacuetur. Sunt qui crediderint, & ea videtur fuiſſe in remotiſſimis temporibus accepta opinio, poſſe bilem atram ſubitâ quaſi invaſione ex animi affectibus naſci, ut ira vehemens eam ſubitò accenderet; quod quidem minùs mirum iis videri debet qui ſciverint bilem atram non fervidam illam quidem & motam, ſed ſimplicem, pro humore naturali ab Antiquis habitam fuiſſe. Nos autem quanquam nullatenùs inter œconomiæ animalis elementa bilem atram recenſeamus; non negabimus tamen ita mobilem eſſe bilis fabricam, ut poſſit ſubitò naſci bilis atra in ſummo animi furore, quæ vel vomitu, vel alvo, remiſſo mentis impetu vacuetur. Quod quidem non vidiſſe fatebimur: at vireſcentem atque porraceam poſt iræ furias vomi vidimus: imò & in ſubito animi mœrore flaveſcere atque vultum vireſcere non unâ vice ab

omnibus viſum eſt. Atram verò cùm in cœlo æſtuoſo naſci ſubitò viderent Veteres, non mirum eſt ſi eam pro inquilino corporis humore habuerint. Nos verò meliùs perſpectâ animali œconomiâ, qui ſcimus quòd in homine ſaniſſimo bilis vireſcens multis de cauſis naſci poſſit ſubitò, ut à capitis ictu, ab irâ immoderatâ, à vomitorio imprudenter ſumpto, venenis, &c. Obſervabimus poſſe itidem naſci in corpore per morbi decurſum, quæ non priùs exſtiterat bilem atram; ſed tunc ea brevì per vacuationes evaneſcit, & quæ ſint ejus ſigna, facilè deprehenditur. Non aderant ſcilicèt illa quæ Melancholiæ propria ſunt. Adſunt verò cauſæ vehementes quæ ingentem in corpore & abdominalibus viſceribus concuſſum producere potuerunt. Hæc eſt illa atræ bilis ſpecies habitans in hepate, in bile ipsâ ſubversâ atque commotâ. Hæc etſi vehementiſſimos in cerebrum effectus aliquandò producat, imò à mente fuerit concitata, aliâ tamen à ſede repetenda non eſt, quàm quæ ſedet in hepate. Imò & niſi vehementiſſima fuerit cauſa concitans, raró cum aliquo vitæ periculo bilis hæc atra ſe prodit, cùm ira aut animi quicumque vehemens affectus, brevis furor ſit ſubitò deferveſcens; niſi tamen cauſa talis, Melancholiæ jam exiſtenti ſuperveniat; tunc enim omnes timendi ſunt effectus qui ab humore acerrimo in motum acto pendere poſſunt, ſeu Melancholiæ motæ, quâ nulla peſtis in œconomiâ animali vehementior aut magis exitialis.

Quâ verò ratione melancholicus humor piceus, ater, peſſimamque recondens in ſinu diſpo-

ſitionem, hepar, lienem & reliquas partes ſecretioni bilis conducentes occupet, jam alibi ab expoſitis, ſatìs oſtenſum confidimus. Quâ quidem in pleniſſimâ Melancholiæ officinâ recenſendâ conſentiunt autoritas, cadaverum apertura, & eorum etiam qui vel humoris noſtri exiſtentiam negent aliquis conſenſus. Hic eſt ſpiculator ille qui in præcordiis habitat Helmontii; centrum agens & efficax recentiorum quorumdam.

Idem præcisè dicendum eſt de explicatione cauſarum aliarum quæ etiam Melancholiam cauſantur, quaſi metaſtaſi factâ, ſive ab humorum vitio in unam partem collecto, ſive à ſuperficie corporis ad interiora repulſo, ſive à ſuppreſſo hœmorrhoidum fluxu, aut alius vacuationis cujuſcumque. Ut enim ab interiori Melancholiâ ſæpè liberat fœda ſcabies, ut eam ſæpè ſolvunt hœmorrhoides, ita accerſunt illam eruptiones aut abſceſſus illi repercuſſi. Naſcitur indè primò commune humorum vitium, enatum verò ſemel facilè poteſt aut in hanc, aut in illam partem decumbere. Sic videntur talia melancholici humoris receptacula in cancroſis humoribus aliquibus intactâ machinâ aſſervari, qui humor in motum actus ſæviſſima comitat ſymptomata. Sic ſtatus hœmorrhoidum fluxus in hepar, & omnia quorum ſanguis ad venam-portarum revehitur viſcera, malum conjicit. Hinc ſcilicèt hæreſcit ſanguis, non ita quidem ut omnimoda obſtructio fiat, ſed mole movendorum auctâ, tardior per arctatos meatus fluit, undè liquidiſſimarum partium expreſſio, ſpiſſiorum lentor & inviſcatio, chyli recens appulſi acor & degener indoles.

His

His ſi abdomen manu anatomicâ palpes, nulla in hac illâve parte obſtructionis ſigna deprehendes, deerit tantummodò flexilitas & mollities in univerſo abdomine; undè ſtatim de lymphæ ſpiſſitudine plerique ſomniantur. Sed hujuſce duritiei cauſa in plethorâ abdominis peculiari conſiſtit, maturè ſi fieri poſſit per hirudinum ad hæmorrhoides applicationem ſolvendâ.

Nec minùs etiam ab eâdem causâ videtur humor melancholicus intra lienem naſci, qui ab Antiquis ejus ſentina vocabatur. Scilicèt nullum aliud viſcus tanto volumine intumeſcit, ut eo tanquam zonâ cingantur homines. Tantâ celeritate detumeſcit, ut ſæpè receptaculi ad inſtar videretur conſtitutus, niſi obſtaret anatome; ſuâ verò tumefactione ita inteſtina comprimit, ut flatus & borborygmi ab eo exire dicti ſint, ſub nomine rugituum lienis. At certè ubi ſemel inflammationem ab adacto ſanguine ſuſcepit, ſeu major ſit introitus, ſeu difficilior exitus det anſam ſtagnationi, liquidiorum expreſſio, piceaque tenacitas indè oriuntur; undè etiam ſecretio bilis vitiata in atrum humorem vergit non ſemper æquè pravum, non ſemper reſolvi difficilem, ſed aliquandò bonis ægri rebus apparentem.

Quod ſi verò durum apparuerit & repugnans humorem melancholicum, eò devectum acrimoniæ qualem deſcripſimus, per vaſa circumagi, varioſque vaſorum mæandros innoxè præterlabi, manus dabimus objectioni, id enim cum aliis impoſſibile & Naturæ repugnans putamus. Nunquam niſi ſtagnanti humori, acredo illa ſupervenit. Sed ſi ab

affectâ ſede ad circuitum revocatur, pauca quidem & guttatim inſtillata materies atra, non adeò violentos effectus exerit; ſed tamen aut collectis Naturæ viribus inſenſiſſima particula ad alias partes amandatur, corpuſque à malo graviore per levius liberat; aut breviſſimo tempore tota ab eo concutitur œconomia animalis, quod Veteres ut ferale & exitioſum ſub nomine Melancholiæ motæ deſcripsêre.

Præterea verò ea in corpore animali vivente & ſentiente lex eſt, ut non omnia æquè organa à venenis omnibus afficiantur, ſed partes aliæ aliis, huic illive generi humoris, plus cedant. Venenum melancholicum ubi aliquid acredinis nativæ concepit, glandulas lymphaticas præſertim inficit, lymphæ ſpiſſiori inhæret, & ſi ab occupatâ ſede deturbetur miſerrimè, invadet alias partes, ſed aut ſtructurâ, aut uſibus analogas.

Viro nobili & fortiſſimo, ſed vitæ anxiæ & moroſæ, naſcitur ad lumbos tumor, indolens, mobilis, vix pugni magnitudinem excedens. Cùm incommodum ibi pondus perſentiret, de excidendo cogitat. Latere per omne dorſum tumores granis milii vix majores, non advertens Chirurgus cutem ſibi plaudens ſecat, excisâ cute, tumorem tollit, cicatricem inducit. Grandeſcunt & in molem majorem extenduntur quæ per univerſum dorſum latitabant innoxiæ glandulæ, & quaſi tot gibbera producunt; ſed quò vicinior exciſæ quæque, eò ſeſe magis extendit: nec jam cancroſam indolem diſſimulat, ſed apertis ſignis, peſſimiſque ſymptomatibus grandeſcit, doloris

ſimul atque mali partem in ſe ſuſcipientibus cæteris glandulis cutis dorſi, quarum aſpectus atque facies, rerum gnaris totidem cancros offerebant, undè brevì infelicem vitam morte commutavit æger.

# CAPUT V.

## *De Melancholiæ humoralis ſignis & effectibus.*

In recenſendis atque ponderandis Melancholiæ humoralis ſymptomatibus, ut ex ordine res procedat atque deducatur, non una adhibenda eſt rerum conſideratio. Etenim ex his ſymptomatibus alia Melancholiæ humorali ita neceſſaria ſunt & ei eſſentialia, ut ipſi ſoli competant, nec abſint unquam; alia verò non ad illam ſolam pertinent, ſed alios etiam morbos, præſertim Melancholiam nerveam, comitantur. Præterea pro vario morbi gradu alia adſunt, alia verò nondùm emersêre. Quibus in rebus penſitandis ſi ſubtiliores paulò videamur, materiæ condonandum in quâ, ut poſteà de curatione tractantibus videbitur, vel minimus error maximis poteſt ſuppliciis ægri expendi. Multò enim aliter utraque Melancholiæ ſpecies tractari expoſtulat. Ut ergo ſymptomatum enarratio diagnoſim morbi conſtituit, à primâ morbi origine repetenda ſunt illa; & notandum quidem eſt quòd à causâ pendens ſymptomatum diverſitas, in origine dilucidiùs eniteſcat. In adulto enim morbo ſumma ſymptomatum multiplicatio confuſionem parit; undè ut ex ordine procedatur, tria ſymptomatum ſtadia proſequemur. Primum erit incipientis morbi; alterum adulti; tertiò inveterati jam atque in

alios morbos abeuntis ſymptomata proſequemur. At ſymptomata ad ſuam cauſam in aliis ſummatìm tantùm referentes, maximam in primis ſtadii ſymptomatibus exponendis cauſæ rationem habebimus.

Ad Melancholiam porrò humoralem in genere prædiſpoſitos agnoſces eos quibus aut ætas in ſenium vergit, dictante ſic Hippocrate; aut quos labor immodicus, & ut ita dicam, vitæ intenſitas, ante diem ſenili habitu induit. Hinc corpora ſicca, rigida, macie exhauſta, colore capillorum atro, oculis concavis, colore cutis non nitido, ſed in luridum vergente, venis ingentibus tardum ſanguinis per extrema regreſſum arguentibus, Melancholiam annuntiant. Præterea adſunt ea, quæ cauſam Melancholiæ producendæ aptam inhærere viſceribus probent. Si à capite malum ordiri debeat, adſunt vertigines, ſcotomiæ; undè vacillatio, metus, aurium tinnitus, & ſæpè quaſi maris loginqui ſonitus, aut aquæ bullientis murmur. Sæpè lingua balbutit, & ſonos difficiles reddere recuſat; nares implentur, & aliquandò varios ſentiunt odores; hos amore proſequitur animus, illos contrà odio. Quid & quòd ſæpè hebetentur dentes, frequenſque ſalivatio ferè omnes impetit, ſeu potiùs ſputatio quæ vitium ſalivæ denotet aceſcentis. Pleraque horum phœnomena à ſpiſſiori & quaſi ſtagnante per varicoſas menyngum venas ſanguine enodantur, cùm nunc huc, nunc illuc compreſſio fiat, variorumque nervorum ad ſenſuum organa aut extimas capitis partes euntium origo comprimatur, vellicetur, & æquilibri privetur aut tenſione, aut ſpirituum

influxu. Nec verò credendum eſt, rebus ita ſe habentibus, homine necdum tamen melancholico, ſenſus internos, imaginationem videlicet atque memoriam ſartos integroſque ſervari. Jam utraque debilior futuræ labis, corpore adhuc integro, ſigna dat. Vitium quod corpori competit dum ſcilicèt debilius eſt ſimul atque magis irritabile, imaginationem præſertìm offendit. Mala ſcilicèt quæcumque magis metuunt, fortiùſque ſibi ac vehementiora depingunt. Iis immoratur imaginatrix phantaſia, magiſque reformidat. Præterea verò, cùm ferè omnibus dolores capitis communes ſunt, tum quibuſdam peculiare illud eſt quòd importunum frigoris ſenſum ad verticem capitis ſentiant, indè ad uſque frontem, occiput atque cervicis originem refluum, tumque ſæpiùs frigidiuſculi ad inſtar rivuli per colli muſculos defluentem, quo cum ſenſu importuno vel maxima tormenta commutent. Pendet porrò ſymptoma illud à vellicatione partis quâ circulatio per aliquam ſuî portionem, ſanguine jam atro & ſpiſſo, interrumpitur. Aliquandò vidi qui crederent ſibi tum interiora, tum exteriora calvariæ quaſi ſubito tumore attolli, ſeque ipſis tractantibus & nil tale reperientibus vix crederent; ſtagnans ſcilicèt ſanguis vaſa dum diſtendit, nervoſque comprimit, quàndam quaſi plethoram fingit, peculiarem illam, & ut ſubitò natam, ſic protinùs reſolvendam. Ab hiſce porrò primariis ſymptomatibus millena alia pendent, æquivoca quidem, ſed ſi cùm recenſitis juncta ſint, aliquid lucis in diagnoſi ferentia: hæc ſunt oculorum nictitationes involuntariæ, palpebra-

rum convulſiones, buccarum diſtorſiones, lacrymarum fluxus, muſculorum cutaneorum fremitus. Nec ſolæ mali imminentis præſagia vigiliæ dabunt, ad uſque ſoporem & quietis tempora turbæ penetrant; inquietus ſomnus crebrâ corporis volutatione atque verſatione aſtantes fatigat, dum ipſa mens terretur inſomniis, quæ nunquam læta non recreant, ſed terrorem terrori addunt.

Ea quidem ſigna cùm ad omne Melancholiæ genus pertineant, ſingulariùs tamen eos afficiunt, quibus longis vigiliis meditationibuſque, interiora cerebri præcipuè defatigata ſunt. Tum etiam eos invadunt quos angunt animi affectus aut vehementiſſimi, aut protractiores. Etenim iis, licèt univerſum corpus elangueſcat, vitientur ſecretiones, moleſque univerſa humorum, difflato tenuiori ſpiſſeſcat, & ad melancholicam immeabilitatem deflectat; fatendum tamen eſt præcipuas partes à capite agi, ut deprehendet facilè quivis qui vel in picturâ inani deprehendet hominis aut meditabundi, aut variis affectibus animi miſerè divexati, lineamenta ad Naturæ effigiem expreſſa. Nec diffitendum eſt plurima ex recenſitis ſymptomatibus non ſolius Melancholiæ haberi prænuntia, ſed pertinere etiam ad omnium ferè capitis morborum ingreſſum. Pluribus enim ſic apoplexiæ, ſic lethargici affectus incipiunt; undè etiam id habet mali Melancholia, quòd non ſolùm ſibi nativam faciem prætendat, ſed & alienâ ſæpè larvâ induta incedat; nec id minùs inter ſua ſcelera habet numerandum, quòd omnia tuta metu inficiat. Verùm id ſibi habet proprii

humoralis Melancholia, quòd frigoris undequaque diffuſi ſpeciem præbeat, nec ullam afferat febrilis incendii ideam; tum etiam quòd multò plus terroris quodcumque melancholicum eſt, quàm periculi intentet.

Ut verò quæcumque Melancholiæ prævia ſunt, hærentiam & quaſi infarctum in partibus, in quibus humor melancholicus præcipuè ludit tragœdiam, ſignificant; ſic ea quæ in ſtomachum & hypocondria deponi minatur, ſenſum ibi plenitudinis & anxietatis aliquem primò levem, poſteà intolerandum inducit; undè ægri ad vomitoria & cathartica peſſimo conſilio ſuadentur confugere, à quibus ſi leve lenimen experiantur, brevì iterato molimine ſibi perniciem accerſunt. Adeſt verò metus atque terror, faciei flavedo liveſcens, & quaſi foliorum autumno morientium, aut malicorii. Ciborum verò appetitus aut enormis, aut deletus, aut ſaltem ita vitiatus ut abſurda expetantur, odio verò proſequantur ægri ac ſpernant quæ ſumptu facilia atque communia ſunt. Tum poſteà antè cibum rugitus inteſtinorum, anxietatis & quaſi animi deliqueſcentis ſenſus, ructuum atque flatuum eruptio, immanis verò vel leviſſimo ſumpto cibo plenitudo, regurgitatioque alimentorum nunc cruda & inſipida, nunc velutì fermentantis maſſæ odore affecta, nunc verò, quod pejus eſt & Melancholiæ proximum, longiſſimo à paſtû intervallo, ova incubata atque fœtida refert. Prætereà crurum atque ſurarum dolor importunus aliquot poſt paſtum horis invadit. Aliis etiam mordacis acidi ſenſus famem inſolitam atque importunam concitat; aliis contrà plumbeus

dolor omnia cogit averſari ciborum genera, eaque metuere. Et certè pluribus vix admiſſa fuit intrà ſtomachum aliqua cibi portiuncula, cùm convulſivus ſtomachi irregulariter ſentientis motus anxietatem & dolores ita concitat, ut magno vellent pretio aſſumptam intùs materiam redimere. Sed alios vidi quos ventriculo vacuo convulſivos motus longè à paſtu expertos, leviſſimus cibus ſublevaret. Alii ſunt contrà quibus nec plus, nec minùs corpus pleno aut vacuo ventriculo angitur. Quorum quidem ſymptomatum rationem reddere in tantâ ſenſûs ventriculo proprii varietate, impoſſibile eſt. Sed quotieſcumque apud ægrum quemlibet res enodanda ſuſcipietur, adhibendum erit examen tum nativæ ventriculi conſtitutionis, tum loci præcipuè affecti, tum frequentiæ ructuum. Jampridem enim ab Hippocrate dictum eſt, melancholicos omnes flatuoſos eſſe. Commune eſt ferè omnibus melancholicis, quibus malum regionem epigaſtricam & utrumque hypocondrium obſidet, enormis imò ad ipſam tangentis manum ſæpè ſtupenda pulſatio, quâ univerſum abdomen videtur concuti. Quæ quidem pulſatio mulieribus etiam ſine Melancholiâ familiaris, multorum Anatomicorum torſit animos, undè ſcirent quænam eſſet quæ pulſum illum redderet arteria. Mihi verò nunc illum, nunc alium locum occupare advertenti non unicus cœliacæ ramus pulſare viſus eſt, ſed ſæpè ita profundè ſita eſt illa pulſatio, ita fortis eſt & totum concutiens abdomen, ut nulla alia præter ipſam aortam tam valido ictu totum corpus commovere valeat. Conſtringuntur ſcilicèt

ſpaſmo rami in quos ipſa dividitur, arctatur canalium abdominalium moles, fitque quaſi retropulſus ſanguinis in truncos, undè renixus atque pulſatio. Hinc fit ut malum illud ſæpè ſubitò naſcatur, audito gravi nuntio, aut perculſis ſenſibus aliquo vel terrore, vel animi qualicumque impotentiâ. Aliis, quos ſua fert in Melancholiam proclivitas, nulla aut febris accidit aut curſus rapidior, quin illud ſe prodat ſymptoma, cùm vel ad minimos motus in quibuſdam ſpaſmus oriatur. Nec illa pulſatio ſemper à ſpaſmo unicè pendet, ſed eoſdem etiam effectus concitare valet infarctus ſanguinis reditum præpediens, ut attendenti facilè patebit. Cùm verò mulieribus præ viris ſpaſmo laborantibus ſymptoma illud accidat frequentiſſimè, præſertim menſtruum ſtipendium emenſis, aut retento illo, à pleriſque Autoribus, morbos uteri comitari creditum eſt, & ab illius calidâ intemperie, ut Antiqui loquebantur, pendere viſum. Quod non negaverim quidem, modò fateantur hujuſce ſententiæ fautores ab aliis etiam cauſis pendere poſſe, ut multoties in viris deprehendi.

Aliundè verò ſi Melancholia ſit in uteris, ut verbo Hippocratico utar, indèque malum reliquo corpori intentet, non unum undè illud agnoſcas ſignum eſt, non unum quibus illud malum ſtipetur ſymptoma.

Præjudicare ſinunt quæ prægreſſa morbum ſunt, infelix & irregularis plures per annos menſtruatio, fluor immoderatus albus, fatigans geſtatio infantis, partus difficilis, undè & laſſata uteri ſtructura, & ſtagnationi in eo viſcere faciles

aditus. Ubi verò malum imminet, tum fit uterus ſarcina, regioque lumborum ac femora convulſioni ſedem dare videntur. Triſtes incedunt fœminæ & quaſi præ metu amentes; hinc lacrymæ, hinc imaginationis vitiatæ errores, ſed propter viciniam, præſertim inteſtina volvulos, tormina, diarrhœam experiuntur., vexantur hæmorrhoidibus. Proximus ab utero ventriculus patitur, & enumerata modò ſymptomata, juncta ſæpiùs picæ atque malaciæ experitur. Symptomata ut in infirmo debilique corpore, nec firmâ ſatìs animâ, mentis arcem impetunt, ibique mœſtitia intolerabilis, metuſque pluſquàm infantilis. Adeſt etiam ferè omnibus uteri morbis, viſcere hoc ſemel irritato, tuſſis importuna, ſicca, convulſiva, ferè nunquam deſinens, quâ miſellæ eò plus concutiuntur, quò reſponſat magis concuſſibus uterus jam per ſe irritatus. Verbo dicam ne jam alibi expoſita repetere videamur, ſymptomata quæ Melancholiæ in uteris competunt, eadem ſunt quæ Melancholiam nerveam ſtipant, differentiaque ab exeunte humore atro, aut ad atrum vergente, cauſiſque prægreſſis videtur repetenda, in diagnoſi.

Difficile eſt quidem piceum illum humorum ſtatum intrà cruorem admittere, qui non in aliquam præcipuè partem decumbat, cùm adſint partes in quibus & arctiora vaſa, & opportunus ſtagnationi locus ſit. Hinc hærent humores & versùs caput, & versùs hypocondria; poſteà circà ipſum thoracem ſymptomata emergunt. Melancholici quos cauſa univerſum corpus occupans divexat, à toto corporis habitu dignoſcuntur.

Macilentia ſumma eſt. Primus inceſſus difficilis eſt gravibus & ponderoſis artubus, qui tamen ſi ſemel motum conceperint, agiliores facti ſummam in laboribus conſtantiam ſervant. Nec mirum ſi humor ſpiſſior difficilè motum concipiat, reſiſtatque actioni muſculorum. Ubi verò ſemel in motum actum eſt, effectus omnes motui conſervando pares eliciet; cùm prætereà quò ſpiſſior eſt, eò ſit minùs difflabilis. Tum verò robuſto fibrarum tenori morbus hic accidit, ràroque ex neceſſitate materiæ in debiliores cadit.

Quod autem hîc de corporis exercitiis pronuntiamus, de animi etiam atque ingenii laboribus intelligendum. Scilicèt lentiùs atque tardiùs irâ, amore, &c. excandeſcunt; gravis eſſe debet cauſa quæ illos moveat. Verùm ſi impreſſum ignem venis ſuſceperint, in furias flammaſque ruunt. Nec iis fas eſt aut rationem aut leges obſiſtere. Videre eſt illos inſtar ſtatuæ obrigeſcere meditabundos, altum ſapere, & quidquid aut ingenio, aut animo ſuſceperint, tenaces undequaque perſcrutari. Infelices nimiùm ſi præjudicatis opinionibus ſeſe tradiderint. Acceptas enim ſemel evellere arduum eſt, quaſi in tenaci firmatas materiâ. Poſteà verò ſi ex illâ fictitiâ animi pace ad iram, ad prælia ſeſe convertant implacabiles, objectæ mortis pericula vix ſentiunt. Vulneribus vix terrentur, ſed & fluente atro piceoque ſanguine, ferociores evadunt. In horum macilentis vultibus animi quæcumque pathemata fortiùs atque ad Naturæ expreſſum pinguntur. Scintillant & ardent oculi, eòque veriùs terribiles dici poſſunt, quò longiùs durat ſemel impreſ-

ſum animi pathema. Parùm eos ſudare, parùm etiam perſpirare ex dictis ſatìs neceſſariò deducitur. Quin & urinam paucam forè niſi alieni liquoris vis ingens acceſſerit, ut præ nimio potu fieri poteſt, conjectari facile eſt. Verùm cùm picea & tenax humorum craſis immeabilitatem & conjunctionem humorum tenuiorum cum ſpiſſioribus difficiliorem efficiat, illos à paſtu ſcreatores perpetuos, imò & frequentiùs mingentes eſſe, conſuetum eſt; nec niſi in longis jejuniis nativa ſiccitas apparet. Cùm enim ſitis ſit ipſis familiaris, potu ardentem extinguere promptum eſt: hinc ſe queruntur humidos atque pituitæ ingenti diluvio fatigatos, hominum ſicciſſimi.

Ventriculus pariter in hoc Melancholiæ genere ſiccior atque aridior tardam concoctionem facit; inteſtina tardum deſcenſum, undè melancholici ferè omnes alvi conſtipatione fatigantur; hinc hæmorrhoides à retentis alvi fœcibus. Tum etiam tormina, ructus, rugitus & flatus omni Melancholiæ generi communia ſunt. At iis quibus univerſa humorum moles ſucco melancholico infecta eſt, poſt paſtum ſæpè, aſthma convulſivum, anhelitus & anxietates crudelem ſcenam agunt, aut concoctionis tempus, ſomnolentiâ diſtinguitur gravi, delaſſante, aut quaſi fugaci ebrietate.

At noſtræ Melancholiæ univerſali id proprium, ut nullo alio morbo tam fœdè cutis deturpetur. Si enim humor ille ad cutem deferatur, quanquam nulla ſuî prodat viſui indicia, tamen intolerabilis pruritus exoritur, eo totum corpus & mentem ipſam concutiente, brevì fictitium accer-

ſetur ereſypelas, imò ſcalpturâ rhagades ſeu fiſſuræ, ulceraque producentur. Ab ipſo pruritu metus mali gravioris, mœſtitiaque naſcuntur. At brevì puſtulæ, eæque fundo mali per atrum liveſcente ſanguinem, turgidiores, vix ſanationem admittunt, dum continuò depluit ab illis humor acer, tenuis, limpidus, urens atque rodens, qui in quas ſerpendo delabitur partes rodit, ejus itinere per ereſypelas atque rhagades in cute notato: indè multiplicatur malum. Felix tamen foret & optandus mali exitus, ſi univerſus humor hac viâ affectatâ, exhauriretur, quod eveniſſe vidi, ſed non ſine ſummâ cutis deperditione; cùm ſanatus ille humor ſimul maximam partem cutis abſumpſerit, quæ cicatricibus deturpata ibi maligni moris ulcera adfuiſſe ſatìs declarabat.

Si tamen paucus quantitate, qualitate mitior humor ater hanc illamve, aut cutis, aut alius viſceris partem occupaverit, aliis intactis, latet ſæpè ibi innoxius, reliquumque corpus ſanum relinquit; undè tamen tanquam à Pandoræ pyxide ſive remediis tractatus, ſive ipsâ ſuî ferociâ innatâ, peſſima mala aliquandò in corpus redundare facit, ubi ſcilicèt relictâ patriâ ſede, hinc indè diſpergitur.

Hæc ſunt prævia & quaſi prænuntia Melancholiæ ſymptomata, malorum atrocium præludium triſte, in quo tamen jam ea tenacitas ſymptomatum & anxietas ſumma viſcidatem humoris arguit indomitam. Verùm in altero ſymptomatum ſtadio jam non ferocia ſolùm, ſed varietas ſymptomatum morbum verè Herculeum arguit, dignumque omnibus curis quantumvis & faſtidii

plenum ſit ſanare tentantibus & ſæpè luctuoſum, cùm inter cætera morbi ſymptomata illud emineat præcipuè quòd Medico ægri minùs ſint obſequentes.

In recenſendis alterius ſtadii ſymptomatibus confuſio ingens, diverſitas maxima quæ etiam nerveæ Melancholiæ competit, diagnoſim difficilem parit; undè in hac farragine quæ omnia mala, quot ſunt, quotque fuerunt, comprehendit, rationi conſentiens eſt iis præcipuè inſiſtere quæ aliquid conſtans habent, aut in omnibus reperiuntur, aut ad naturam morbi ita pertinent, eique conjunguntur, ut indè fiat illa evidentior.

Sensìm porrò ſi morem ſolitum ſervet, graſſatur malum, nec niſi progreſſus tardos habet. Vix, ut modò recenſuimus, ægrotant miſeri; ſed ipſis ægris infeliciores mœſtitiam, ructus, flatus, palpitationes cordis & arteriarum, hypocondriorum murmura ſecum trahunt. Uni præcipuè ideæ, eique mœſtiſſimè affiguntur, quam quidem omni curâ tentant ratione defendere, nec ſe aut melancholicos, aut amentes agnoſcere volunt: & cùm ſe reverâ ægrotare confitentur, vix Medicinæ locus relinquitur.

Aliquandò tamen ſubitò erumpit & ad faſtigium evehitur Melancholia, ſi prædiſpoſito incidat aliquis in rebus non naturalibus error, fitque vulgari Scholarum loquendi formulâ *Paracmaſtica.* Imò videtur ſecum aliquid quod ad acutos morbos pertinet præ ſe ferre, cùm maximâ aliquandò erumpat vehementiâ; quæ quidem ſive ſenſu obtuſiori facto, ſive ipſo malo deſæviente, miteſcit poſteà.

Scilicèt in illis latuiſſe videtur quaſi recondita & extrà activitatis centrum poſita materies atrabilaria; ſive in veſiculâ felleâ latuerit, ſive in ipſo liene; undè vel peccato in diœtâ accita, vel ipſo temporis ſpatio liquefacta ſubitum exercet imperium; & eò quidem vehementiùs, quò magis omnia ſubitò violentiâ ingenti, ſeſe manifeſtant. Vir ſummâ celebris doctrinâ imprimis verò Theologicâ; auſterioris quidem diſciplinæ vindex acerrimus, dum per totum vitæ decurſum ſtudiis immoratur, mœroribus etiam conficitur, cum illibatâ tamen ſanitate, cui & jejuniis & meditationibus frequentioribus non parcebat. En ſubitò in ipsâ publicâ viâ, dum domum rediret, morſu acerrimo ventriculi corripitur, quem non aliter exprimere potuit, quàm ſi ventriculus ipſe ſtringeretur, orificium verò dentibus contorqueretur. Redux domum in clamores horrendos erumpit, judicium ægrotat, mens vacillat, oculi errantes timorem omnibus & metum incutiunt: mens ab omnibus ideis fixis aliena, ſoli deſperationi ſe tradit, quam à Numine deprecatur omni ope & operâ. Sed fatebatur Vir clariſſimus tantillùm abfuiſſe quin violentas ſibi manus inferret. Febris interim nulla. Per plures quidem dies eadem fuit mali vehementia. Poſteà ſedabatur malum, poſt horæ unius ſpatium redivivum, & per quadrantem horæ ita perdurans, ut poſteà planè ceſſaret per horam integram; remanente tamen anxietate ſummâ, gemitibus, quos avertere tentabat fortiſſimus Vir. En verò horâ alterâ elapsâ clamores rursùs, & illi quidem verè ferini, niſi quòd articulatas quaſdam ſyllabas altè ejularet; indèque

indèque enodandæ ſcripturæ ſi quis alter, peritus ſe Nabuchodonoſori ſimilem factum fuiſſe, Divinâ miſericordiâ, corpus in animæ ſalutem contundente, palàm dicebat. Intereà verò vultu luridus, oculis terribilis, ſqualorem & maciem præ ſe ferebat, geſtuque inſanus videbatur, quanquam de multis ſanus loqueretur, imò quædam innata ingenii amœnitas non illum deſeruerit. Intereà verò ſat bellè dormiebat, nec aliquid mali evidentis ab alimentis experiebatur; urinæ ſanorum ſimiles, ſcybala duriſſima. Per quindecim integros menſes primus mali paroxyſmus perduravit, & leni atrâque dyſenteriâ κατω prodeuntibus materiis nigris ſanatus eſt; opem ipſi efficacem ferente Naturâ. Nam vana prorsùs fuerant quæcumque ars Medicorum, & plurium, & amiciſſimorum, incaſſum tentaverat. Duos integros annos à primo hoc paroxyſmo ad alterum ſanus vixit, niſi quòd ipſi aliquid & in oculis & in vultu remanſit attoniti; ſed alter paroxyſmus, exacto biennio, recruduit, aliâ quidem invaſione, ſymptomatibus iiſdem; ſcilicèt ſensìm ſine ſenſu recruduit malum, lentiſque progreſſibus ad ſuî faſtigium pervènit, quod primâ facie quaſi ſubitò invaſerat; nec minùs tamen ferociæ habuit, donec ſensìm etiam ceſſans, inculpatæ, ſi non illibatæ ſanitati locum dedit. Tertiâ iterùm vice jam ſeptuageſimum quintum annum natus, ſubitò correptus eſt eodem malo, quo nunc etiam laborat; non ſine ſpe melioris ſanitatis redeunte, quòd jam artis beneficio molleſcant ſcybala, nec eadem tormenti ſpecies ſit in ventriculo: loco ſcilicèt vulturini morſûs atque contorſionis in

ſtomacho, compreſſiones tantùm experiri ſe dicit, nec adeò violentè loquitur, nec geſtu adeò inſanus, nec oculis adeò ferox. Dum operi huic invigilamus, peripneumoniâ abſumptus periit. Sed ut varietas illa ſymptomatum meliùs intelligatur, en alterum plenum terroris atque formidinis exemplum ad mortem uſque perductum, quod ſubitâ etiam invaſione memorandum eſt.

Vir litteris deditus, Rhetor atque Poëta non ſine laude, ſeptuageſimum circiter annum natus, multaſque ac ſucceſſivas in mediocri fortunâ jacturas paſſus, mœrore quidem lento conficitur, ſed ſine morbo; ſtomacho mediocriter angitur, importunoque per unum aut alterum diem ſenſu vexatur. Undè ad vicinum Pharmacopolam confugit, qui præparatione nullâ, nullo alio conſilio dato, catharticum ipſi aloëticum, nullâ aliâ quàm lucri faciendi causâ, obtrudit; aliam doſim ſimul ſeorſim ſervandam dans, quâ uteretur, ſi ſufficiens prioris non fuerit actio. Primæ quidem actio per alvum fuit nulla, undè forſan imprudentiùs pranſum. Poſt prandium dolor exortus in inteſtinis, colicus, acerrimus, pluries ſedatus, pluries redivivus; cujus pertæſus relictam doſim quaſi trudendi primam causâ, ſorbet imprudens. Vix verò venenum illud ad ventriculum pertingit, en horrendum omninò ſpectaculum oritur. Cruciatus enim atque ejulatus ab inteſtinis pendentes locum ceſſerant violentiſſimo capitis dolori, undè quod hac tantùm vice vidi; *arrectæ cômæ & hirti in vertice capilli.* Mortem ululatu invocabat enormi; donec oleo amygdalarum dulcium, juſculis ex pullo gallinaceo, emulſis,

dura nigraque ſcybala prodierint. Tum mitigatus dolor, & nihil remanſit niſi delirium triſte, pertinaci alvi conſtipatione comitatum; & ſi quandò alvum deponeret, dura nigraque emittebat. Si catharſis inſtitueretur, bilem puram flavam ejiciebat, nec niſi rarò nigra reddebat ſcybala. In duo tempora dividebatur morbus. Furoris primum, in quo ejulatus, vociferationes, ululatus verè rudentis ſub ergaſtulo belluæ, hominis furias comitabantur; imbecillitatis alterum, in quo pauca, obſcura ſubmurmurabat, torvus aſpectu, impexus, furens; donec triennio exacto febris accenſa vomitibus nigris triduo ſceletum illud vivens, abſumpſerit. In duobus illis viris exquiſita omninò Melancholia habebatur. In illo feliciùs terminata, in hoc verò mors ſola malo finem fecit. Verùm ut omnium ſymptomatum theoria poſſit expendi, & ut in omnimodâ malorum farragine aliquis ſaltem ordo inſtituatur; Melancholiam nunc præſentem & jam confirmatam duplici in ſtadio intuebimur. Primum ſcilicèt erit ejus decurſus. Alterum verò jam degeneraſcentis, & ad aliquem terminum tendentis.

Supponamus igitur virum conſtitutione aliundè forti præditum, ſed ſive acquiſitâ, ſive nativâ intemperie ad Melancholiam proclivem. En ex ipſo rei fundo adeſt Melancholia. Ea verò ſive univerſam ſanguinis molem peſſumdet, ſive in unam aut alteram partem decubuerit, vel ibit creſcendo, vel vi Naturæ è corpore deturbabitur. Hic poſtremus caſus, ut levior, ut felicior, cùm

X ij

Naturam malo ſuperiorem oſtendat, primâ inquiſitione dignus eſt.

Adſunt hîc omnia primo aſpectu graviora. Non enim ſimplex ſe oſtendit Melancholia; ſed etiamſi nulla febris adſit, aliquo motu concitata dici poteſt natura; actuoſa eſt; adeòque quod ipſius activitati proprium eſt, fibras mordet & vellicat humor melancholicus.

Hinc adſunt anxietas ſumma, imò & gravitas dolorifica partium in quas decubuit Melancholia; imò levia deliria, acerrimi capitis dolores, exitus urinarum flaveſcentium & viridium, triſtis & abjectus animo, mala ſibi peſſima quæque æger minatur. Adſunt crurum & ſurarum gravitas, oculorum acies mutata, hypocondria ſublata, ſpiritus lentus, ſuſpirioſus, & qualis eſſe ſolet mente occupatâ & delirio in morbis acutis imminente; febrem miaſmodem, malignam dicunt, inſtare crederes, niſi quòd pulſus lentus, tardus, magnus, aliquandò tamen durus omnem febris ſuſpicionem evertit. Hæc autem omnia, ſi ſingula cauſæ conferre libuerit, à duplici capite pendent. Hinc vellicat fibras, nervoſque convellit humor acer, mordax, erodens. Illinc ſanguinis circuitum præpediunt capillarium, in viſceribus atque cute, vaſorum ſtrictura; tum etiam tenax, lenta, picea humorum in Melancholicis conſtitutio.

Rebus quidem ita ſe habentibus, nulla hucuſque videtur intercedere inter Melancholiam vulgarem atque eam quæ brevì terminari debet differentia; ſed citò ad eam diſtinguendam atque

dignoſcendam accedunt, frigora huc & illuc decurrentia; ſæpè cum enormi glaciei ſenſu in hac vel illâ parte, ad oſſa uſque interiora penetrans. Frigori huic ſuccedunt calores incerti: tum ſeſe manifeſta produnt ſymptomata propria parti per quam debet humor melancholicus exire.

Aut enim ad cutem defertur, aut ad glandulas; aut vias quibus inteſtina patent, affectat. Sudoribus enim ſimplicibus atque urinis, humor, ſi quis alter craſſior, atque Naturæ viribus indomabilis, judicari non poteſt.

Si ad cutem defertur, ulcera, tumores, plyctænas, indurationem producit. Si ad glandulas, in ſcirrhos atque cancros, peſſimâ criſi abit.

Si verò potentior Natura omne venenum ad alvi emunctoria depoſuerit, tum pro naturâ loci producit icteros, vomitus nigros, diarrhœas, dyſenterias, hæmorrhoides, aliaque mala quibus liberatur corpus, non ſine enormibus aliundè ſymptomatibus, ſed quæ ſi cum Melancholiâ conferantur, levia apparent.

Unicuique verò horumce exituum ſua ſunt ſymptomata: ac primò quidem ſi ad cutem feratur feralis humor, plura illum ſigna antecedunt, plura ſequuntur ſymptomata.

Exemplum ſuppeditavit mali ad cutem leniter abeuntis unus, imò alter homo.

Prior erat vir illuſtriſſimus ſexaginta & tres circiter annos natus, qui præſtanti alioquin ſanitate donatus, continuò triſtis atque melancholicus evaſit: inſomnes agebat noctes, nec inſomnes tantùm, ſed anxias. Febris aderat nulla,

ſed ingens ad ſcrobiculum ventriculi anxietas; quam vel cruciatibus redemiſſet: anorexia, imò & odium cibi enorme; dolores in cruribus atque femoribus ingentes: frigore importuno vexabatur; cùm ſubitò manè evigilanti tumere utrumque femur deprehenſum, cum ingenti titillatione quam unguibus ſcalpere ſumma ipſi voluptas erat; tantaque, ut indè concuſſo toto corpore, viro probo, modeſto, gravi, ſemen exiliret cum impetu.

Ea autem erat tumoris forma, cutis color vix mutatus erat, niſi quòd & nitorem & lævitatem amiſiſſet. Conſiſtentia autem ea erat, ut ligno quaſi aſſimilaſſes; adeò & intractabilis cutis & quaſi ad digitum ſonans erat. Muſculi ſub ipsâ liberi omnia motuum genera exequebantur. Sed ut volumen ferè duplo auctum, ea aſperitas in omnibus ejus glandulis erat, ut cutem rhinoceroti ſimilem, juraſſes. Pondus tibiæ & femoris immaniter auctum incedendi libertatem vix relinquebat. Intereà verò pruritus ita intolerabilis erat, ut conſtantiam viri fortiſſimi frangeret. Scilicèt huic uni operi intentus noctu diuque, femur utrumque vix enarrandâ violentiâ ſcalpebat. At brevì pòſt, femur omne, crus utrumque puſtulis latis replebatur, ſeu potiùs phlyctænis ichorem tenuem,acrem referentibus.Color phlyctænæ non adapertæ,fuit quaſi lividus. E ruptâ humor nunc ſanguinolentus, nunc omninò lymphaticus exibat; ſed fundus ſemper apparebat nigerrimus, renaſcens eodem modo bis terve, donec ipſa ſuppullularet granuloſa cutis. Exibat paucos poſt dies pellicula nigra quaſi à ſanguine

coagulato. Eadem quâ emicabant phlyctenæ proportione, femur detumeſcebat. Pruritus ad puſtulas ſolas pertinebat, eiſque cicatrice obductis, adhuc ſed levior ſupererat; undè ſensìm factum eſt ut optimâ frueretur ſanitate Vir omni virtutum genere præditus, quâ nunc etiam grandævus viget.

Hæc una eſt è viis quibus Melancholia quaſi impete facto è corpore eliminatur: altera eſt cùm in glandulas decumbit, ſed fatendum eſt quòd niſi puriſſimum corpus ſit, raró hic exitus felix evadat. Indurationes ſcilicèt quæ ab humore melancholico pendent, adeò compactæ ſunt, & glandulas arctè funditùſque ita obſtruunt, ut facilè imò ſæpè ſubitò in ſcirrhos degeneraſcant, iique quaſi in acutorum morborum ſpatio cancroſam naturam induant. Ubi verò id ſemel factum, jam non criſis facta dici debet, ſed adeſt novus morbo melancholico fomes, à quo ſi moveatur, in univerſas partes iterùm peſſimâ ægrotantis ſorte diffundetur. Si tamen mite fuerit malum, aliquandò ab illo fomite quaſi à fonte, puſtulæ melancholicæ erumpunt, quæ imminens malum poſſunt avertere. Imò & ſi omnimoda Antiquioribus fides adhiberi poteſt, anthrax ipſe inter melancholicos tumores numerari debet, quod hîc loci expendere, cùm ſit diſtinctus & naturam ſibi propriam habens morbus, operæ pretium non eſt.

His autem omnibus malis præter ſymptomata partis quam occupant, commune eſt; pervicacia eſſe, obſtinata & ad omnia remedia obſiſtere quæ aliundè Natura indicare videretur. 2°. Dolores

& ſymptomata quæcumque ad tumores pertinentia eo gradu procreare, ut nullatenùs aut cauſæ, aut tumori proportionalia judicentur. 3°. Verò non ſolùm totum corpus afficere, ſed mentem etiam invadere, ita ut queruli, inconſtantes gemitibus omnia impleant, amicis ſolantibus iraſcantur, Medicis diffidant.

Vidi ſic Granimenſorem quemdam ſexagenarium, religioſum virum, ſed triſtem atque melancholicum, jamque à longo tempore ſine ullo evidenti malo de ſanitate ſuâ plus nimiò ſollicitum, cui unica tantùm in dorſo prodiit puſtula. Vix attentionem poſtulare per ſe videbatur, fundus erat albicans cum aliquâ nigranti maculâ. Febris nulla: vix tamen crederes quantos ejulatus eliceret. Vix à delirio immunis erat æger. Totus quaſi perpetuò concutiebatur, nec niſi integro remediorum ad Melancholiam facientium apparatu, ſanari miſer potuit. Ut rectè ex Hippocrate concludi poſſit, quòd, cùm ſymptomata cauſæ evidenti non reſpondeant, aliquid lateat melancholicum, &, ut ait Ballonius noſter, cancroſum.

Supereſt ut jam Melancholiæ per alvum exeuntis expendamus ſymptomata. Non enim ſine ingenti corporis tumultu exit è corpore humor ater quicumque, morbuſque indè exoritur qui niger à Recentioribus, nomine, non re ab Hippocrate mutuatâ, vulgò vocatur.

Raròʼ nonniſi poſt longa Melancholiæ præliminia, corpore alioquin robuſto, cùm præſertim Melancholia non à nativâ temperie pendet, ſed aut mœrore, aut longis meditationibus conci-

liata eſt, exitus ille ſperari poteſt. Tum nauſea, cibi faſtidium, anxietas ſumma, jactatio, dolores artuum, & præcipuè crurum gravitas, ſalivæ exitus perennis, dentium ſtupor, omnia ſunt ſymptomata quæ ventriculum doceant vellicari & ab humore quidem melancholico. Efficacia autem humoris illius in tunicas nerveas & ſenſiles ventriculi, vicina omnia, jure viciniæ contrahit atque convellit. Hinc ad guttur & os ipſum, arctatio procedit. Hinc pulſus in epigaſtrio arterioſus. Hinc dolor atque anxietas quam miſelli omni corporis poſiturâ, omni movendi ſe formâ deprecantur; hinc indè ſe motantes, plicantes, quaſi hæreret ibi aliquid quod corporis motu poſſint avellere. Aliquandò etiam gravi per ſe malo gravior ſuccedit imaginatio, contineri intùs in ventriculo mordentem belluam. Verùm ſimul adſunt peſſima Melancholiæ ſymptomata, oculi torvi, truces, vultus luridus, decoloratus, reſpiratio ſuſpirioſa, anxia, ſed præſertim tranſitoria illa convulſio muſculorum in artubus crambe dicta; donec vomitu primùm tenui, poſteà vireſcenti, demùm verò nigreſcenti aliqua tantis malis quies primùm, dein etiam ſanatio omnimoda concilietur. Ea autem vomitûs nigri forma eſt. In humore per ſe aqueo atque limpido natant ramenta nigra, quaſi foliorum putrefactorum detrita, mixta ſimul pulveri tenuiſſimo ab ipſo liquore ſeparato, & per naturam ſuam ſejuncto, quaſi motu mixtus fuerit in aquâ; & ſi pauliſper materia vomitu rejecta quieverit ad fundum, partìm ſubſidunt, partìm ſubnatant. Ex hac mixturâ porrò quaſi atramentum fit quòd

vaſcula nigro colore tingit, imò & ipſi argento tincturam imprimit; facilè quidem delebilem, ſed ſatìs altè impreſſam, ut mordacem humoris naturam demonſtret.

Raro humor ille ſolus evomitur, ſed ſæpè cum pituitâ atque bile mixtus. Sæpiùs cùm indivulſis atque craſſis glutinibus, aliquandò cum ſanguine qui nullâ aliâ ratione cognoſcitur, quàm quòd lintea hoc humore imbuta aliquid rubræ tincturæ referant; & in hoc caſu quæ anteceſſerunt vomitum, eique quaſi præluſerunt ſymptomata, anxietas, jactatio, dolor, deſperatio & fortiſſima fuêre & maximi mali prænuntia. Imò aliquando ea eſt humoris noſtri acrimonia, ut ventriculi, aut vicinarum partium vaſa ſensìm eraſerit, undè ſtillans ſanguis in grumos ejicitur, ab ipsâ ſtagnatione concretus: grumus autem nunquam niſi cum ingenti vi liquidi cruoris ejicitur.

Hic quidem vomitus ſanguineus ſæpè à Melancholiâ tanquam à causâ pendet; aliquandò tamen nullatenùs ad eam pertinet; ſed repeti debet à cauſis externis, ut violentis concuſſibus, ictibus, nixibus violentis, undè vomitum ſanguineum, ſed nullatenùs melancholicum vidi ſæpiùs in aurigis, in iis qui equos deſultorios & celeres aſcendunt, uſu quotidiano; & quanquam uterque vomitus aſpectu idem eſſe poſſit, differunt tamen inter ſe, tum naturâ ægri, tum ſignis quæ præceſſêre, tum etiam odore; cùm fatendum ſit in vomitu melancholico ſemper aliquid acoris ſublatere. Nam quòd ad vultum luridum atque nigricantem attinet, quanquam propiùs ad Me-

lancholiam referatur, neminem tamen unquam vidi ſanguinem vomuiſſe, quin aſpectu torvo atque lurido fuerit & vultu nigricante. Illud eſt ventriculi in faciem imperium, quod nulla poſſit explanare rationalis Phyſiologia!

Mitiora omnia ſunt quoties per alvum fertur humor ater, aut ſaltem per alvum ſolam. Nam ſæpè impetus humoris per vomitum atque alvum ſubitò erumpit, quo in caſu à graviori ſymptomate, prognoſis deducenda eſt. Quanquam tamen nunquam certè ſine ſymptomatibus etiam formidandis, humor noſter è corpore exeat. Nunquam, v. gr., deeſt anxietas, quæ aut adeſt tempore exitûs humoris, aut aliquot diebus præceſſit. Adeſt ſæpè dolor enormis per inteſtina volutus & ipſum exedens podicem, aut aliquandò tantùm mediocris & quaſi obſcurè dyſentericus. Non una verò eſt forma humoris ipſius. Aliquandò enim grumoſus quaſi è ſanguine concreto formatus apparet, & reverâ ſanguini mixtus eſt. Altera, quâ exit humor, forma, ea eſt in quo ſincerus apparet, picis liquidæ figurâ, & ab aliis quibuſcumque humoribus diſtinctus atque diſcretus; ita ut quaſi ſeorſim in vaſe hæreat, ipſi arctè glutinoſo nexu adſtrictus & adhærens, à quo difficile eſt ipſum evellere & everrere. Rarò tum ſolus prodit, ſed ſecum abraſa ab inteſtinis glutina, & mucaginem loco nativam, avehit: cùm verò eâ ſub effigie conſpiciendum ſe præbet, rarò perdurat, ſed violentia ſymptomatum, mali durationem compenſat.

Vidi alterâ larvatum figurâ exire, ſcilicèt qualis evomitur, infrà exit, ramentorum nigrorum

ſummè dilutorum ſpecie. Raròque in hoc caſu ſine ſanguine & quidem ab atrâ materiâ diſtinctiſſimo, nec ſine dyſentericis doloribus, exit ab inteſtinis, & ſæpè ſine aliâ violentiâ ſymptomatum. Sed cùm priorem piceum rarò ultrà ſeptem dierum ſpatium perdurare viderim, menſes integros perduravit evacuatio poſterioris formæ, ab arte quidem delinita, ſed non prorsùs impedita.

Tertius demùm modus quem ſeptem omninò menſes perduraſſe vidi, eſt cum pulveris tenuiſſimi nigerrimi formâ, mixtus cum aliis alvi excrementis eliminatur, tunc ſymptomata ferè nulla ſunt. Sed antè hanc vacuationem corpus ad Melancholiam diſpoſitum erat, poſteà verò liberum relinquitur.

Fœminis natura aliam Melancholiæ criſin dedit, quam Hippocrates Melancholiam in utero vocavit, cùm ſcilicèt humor ater exit ab utero, modò non adſint ſigna quæ aliud malum deſignant. Hæ convulſivis atque hyſtericis ſymptomatibus anteà crudeliter vexatæ, paroxyſmumque nuper expertæ, exeunte humore illo liberantur: cujus fluxus rarò ſeptem aut novem dierum ſpatium excedit. Sed lintea atramenti formâ maculantur, nihilque ſanguinei referunt; niſi tempore menſtruorum, fluxus incœperit aut perdurarit. Tunc enim non ceſſare viſus eſt, ſed ſanguini intimiùs miſceri, quaſi ex iiſdem vaſis exeat.

Præterea verò rariùs quidem viris, fœminis contrà frequentiùs accidit, ut per veſicam & urinas Melancholia expurgetur; fluxu per aliquot dies perdurante, imò ſtatis atque certis horis reduci. Sed ubi hanc viam humor ille affectat, &

naturâ quidem tenuis,& ſuit parùm efficax lædere. Undè quaſi diſpoſitionem melancholicam ſanare natus eſt fluxus urinæ plus quàm ipſam Melancholiam.

At certè terque quaterque felices dicendi ſunt, quibus exitus quivis melancholici humoris horrenda tollit ſymptomata quæ morbum hunc conſtituunt, tam variâ ſcenâ, tamque multiplici ſpectaculo, ut nihil non inauditum, novum, abſurdum, ſymptomata hæc comprehendant. Quæ ſingula exequi ut operoſum, ſic omninò inutile. Summa tantùm capita aſſequi operæ pretium erit & totidem titulis exequi.

In enumeratione autem illorum ſymptomatum repetere debemus ibi præcipuè ſcenam ludi ubi centrum irritationis atque humoralis focus ſedet. Quos cùm tres præcipuè recenſuerimus, tres ſymptomatum articuli ſtatuentur. 1°. Ventriculi & Hypocondriorum. 2°. Totius corporis enumerabuntur. 3°. Demùm quæ ad caput pertinent exequi ordo indicat.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Symptomatibus Hypocondriorum & Abdominis.*

JAMDUDUM elanguêre concoctiones, jamdiu ructibus & flatibus vexatus æger aut malum neglexit, aut alia meditatus vix ſenſit; cùm anxietas tormentis pejor, moleſtia inexplicabilis, metui atque triſtitiæ juncta, non jam ſuſpicionem mali

Medico faciunt, ſed præ foribus adeſſe denunciant. Tum verò coſtæ utrinque attolluntur, quaſi à propriis muſculis retractæ atque ſublatæ, quod Hippocrati *Hypocondria ſublata* dicitur. Nec verò quòd nerveis melancholicis commune eſſe, in iſtis anguſtiis poteſt, fucum tibi faciat. Id humorali Melancholiæ proprium eſt, quòd nullum tempus à malo vaces, ſed plus minùſve ſemper afficiantur ægri, cùm contrà in malo nerveo intervalla ſint plus minùſve longa, quibus inculpata & illibata ſanitas ſentiatur. Creſcente in dies abdominali Melancholiâ, mirum eſt quantùm ſine ullo alio malo mens labaſcit, & cùm ibi non ſolùm pulſatio arterioſa atrox ad cæliacam ſentiatur, ſed etiam flatuum varia volutatio atque crepatio exaudiatur: mirum eſt niſi ibi aut reptare vermes, aut motibus variis agitari anguem ſibi falsò imaginentur, cùm & ſæpè bufones atque ranas in ipſis inteſtinis coaxantes exaudire ſibi videantur; multòque veriſimiliùs ſibi rem pingunt, ſi eodem tempore, ut in multis vidi, dolor ingens momentaneus excitatur. Tunc enim animalium morſus diſtinctè ſibi videntur percipere, nec ſibi hanc ideam eripi ullo pretio patiuntur, ſed incredulos oderunt Medicos, multòque magis deteſtantur, ſi falsò & cum mœſtitiâ imaginantes irrideant; quod ſemper inhumanum eſt. Status enim ille viris egregiè cordatis plus miſericordiæ quàm riſûs eliciet. Nec minùs intereà ructus atque flatus erumpunt ſæpè cum ingenti labore, ut quaſi retenti circum clauſtra ventriculi & inteſtinorum fremere videantur, contrà niti, tunicas diſtendere, verumque ad

exteriora tumorem efformare, quem dolori atroci junctum ſæpè compreſſione manuum tentant premere; ſæpè etiam ſitum curvum, doloris tempore affectantes, figuram hanc etiam ſervant cùm à malo minùs vexantur: tum verò ſi flatum emiſerint, rectè ſecum agi credunt. Sed hanc opinionem diù non retinent. Quod enim ſatìs demonſtret flatus hos non niſi ſymptomatum vicem referre, alteri ſuccedit alter, & aliquandò cum ſtrepitu atque murmure volvi per inteſtina videntur illi; aliquandò fixi atque uni loco adhærentes, indè nullâ arte dimoventur, quæ peſſima flatuum ſpecies & altiùs impreſſam convulſionem ſignificat, imò periculum intentat phlogoſeos: quin etiam & intùsſuſceptionem atque verum volvulum poſſunt occaſionari. Quod in junioribus præcipuè verum eſt.

Symptoma quidem illud æquè nerveæ Melancholiæ competit atque noſtræ: verùm hîc adeſt diſcrimen jam annotatum & ſæpiùs notandum in difficili diagnoſi; ſcilicèt non æquè fixum atque conſtans eſt in nerveâ quàm in humorali Melancholiâ, non tam acerbum. Adeſt aliundè in hac noſtrâ perpetuæ roſionis ſenſus, & profunda pulſatio quæ quoties in viris adeſt, rarò Melancholiam noſtram aut non comitatur, aut non præſagit. Pulſatio quidem illa ſæpè per totum abdomen ſenſu deprehendenda, viris quidem nonniſi melancholicis competit, ſed in fœminis malè menſtruatis ſæpè annotatur. In utroque caſu à ſpaſmo ramorum præcipuorum aortæ abdominalis pendet; cùm illa vectigal ſolitum in hoſce ramos effundere non poteſt; undè fit ut ſanguine

turgeſcat, nixuſque exerat majores, cordi quidem periodo proportionales, ſed vi ſibi propriâ, ſive ea à ſpaſmo ſit aucta, ſive ea ſit arterioſi momenti natura, ut non omne in parum reſiſtentem ſanguinem momentum impendatur, fiatque fortius, viribus quaſi in proprio penu reconditis, ſi validius ſit obſtaculum. Certè in œconomiâ animali innumera ſunt exempla pulſationum in arteriis fortiorum quam conditio cordis exigat; quòd & inflammatio & arthritis, attendenti demonſtrare valent.

Prætereà in morbis nerveæ atque ſentientis partis id peculiare eſt, ut in locis diverſis ſentiatur ſæpè ingens & in numerum cordi reſponſans pulſatio; vehemens illa atque fortis, licèt in pulſationis loco nullæ notabiles ſint arteriæ. Undè mihi ſæpè in mentem venit, an non nervis affectis ſua etiam ineſſet pulſatio; an verò ſenſus pulſationis à concuſſis nervis penderet, licèt longè alibi habitaret cauſa pulſans.

Ructibus atque flatibus melancholicorum nullus aliquandò odor ineſt, aliquandò merè ſingularis, & quem ad nullum alium cognitum referre poſſint. Sæpiùs tamen ova incubata referunt illi, hoſque ſummoperè timent. Sed ferè omnibus hujuſmodi ægris id commune eſt ut multò meliùs ſtatim à paſtu ſe habeant; cùm novo alimentorum proventu dulcior evadit, & quaſi mitificatur materia acris melancholica.

Alvi verò conſtipatio omnibus melancholicis quaſi communis eſt. Aſt aliquibus vidi ſemel in die exire alvum. His malum nullatenùs indè minus dici debet, imò ſæpè majus eſt. Sæpiùs ſeſe

dilui

dilui nullatenùs patitur materia tenax, ſed quaſi vernix inteſtinis obtenditur. Nec ſemel, ſed pluries vidi exteriorem ſcybalorum ſuperficiem glutinoſo piceo humore deliniri, cùm interiora eo ſint intacta & quaſi cortice tantùm obducta. In melancholicis verò in quibus liberior eſt alvus, ſcybalorum forma ſummè tenuis eſt & quaſi in filum tenuata, quòd tum univerſalem inteſtinorum ſpaſmum, tum peculiarem ſphincterum ani arguit. Si verò obſtipata ſit & difficilè omninò deponenda alvus, tunc quaſi ab humano caractere alienam formam videntur habere ſcybala, quæ dura, rotunda, percocta, ſolidiſſima, globulos referunt, & quaſi ovillo ſtercori ſimillima, niſi quòd craſſiora ſint. Durities ineſt quæ nec clyſteribus eluatur, nec ſero lactis, aut ſimilibus laxantibus. Hinc nixus ingentes & tremores artuum crurumque, præcipuè & femorum, dum omnes muſculi conatûs partem in ſe ſuſcipiunt. Imò ſæpè fit ut quandò ingens materiæ ſtercoralis vis per catharticum elicitur, ſcybala tamen eadem immutata prodeant ſejuncta, vix unita cum reliquis materiebus, duplexque ibi ſecretio facta videatur; altera liquidior, altera in craſſiorum inteſtinorum cellulis habitans, ibique quaſi compacta & coagmentata.

Omnibus verò ferè commune eſt melancholicis, ut ſtatim ab alvo depoſitâ in pejus ruere ſibi videantur, alvum ſcilicèt & motibus jactatam inconditis & tumentem, doloreſque atrociores ſtatim ab expulſis fœcibus queruntur: undè neſcii quid cupiant, quid ament, timent alvum conſtipatam, timent etiam laxiorem. Et reverâ ſi

irritatam atque mobilem inteſtinorum ſeriem conſideres, nixibus fatigatam, imò & aliquatenùs vacuatam, ſenties facilè quàm diverſus eſſe debeat aëris hinc & indè ruentis impetus; quàm difficilè amiſſum in contractis inæqualiter inteſtinis recùperet æquilibrium. Undè varii generis tormenta, dolores, tumefactiones. Vidi hominem exquiſitè melancholicum, cui poſt emiſſam alvum ſiniſtra pars abdominis tota quanta eſt ab epigaſtrio ad hypogaſtrium aëre turgeret, depreſsâ intereà dextrâ ejus parte. Undè & quare? Sensìm res ad ſtatum naturalem redibat. Nec mihi in œconomiâ animali ulla fax apparet, undè hujus phœnomeni poſſim rationem reddere. Idem prorsùs dicendum de aliis & multis quæ paſſim in melancholicis apparent, ſymptomatibus; ut nihil aliud ipſis in fœcum vacuatione commune ſit, quàm plus aút minùs à Naturâ recedere.

Hepar verò & lien aliquandò præcipuam in abdominali Melancholiâ ſcenam ludunt; quo in caſu, raròMelancholia ſimplex eſt, aut ſaltem brevì movetur, atque in alios morbos it degener. Pondus intolerabile, anxietas, ſitus difficilis in hoc illudve latus, dolores anxii, aut ſi vivaces ſint, quaſi membranei, ſymptomata ſunt quæ per ſe utrique viſceri competunt; ſi ſaltem ea ab aliis partibus ſejuncta ſpectaveris. Tum Colúm, Cœcumque, craſſaqúe his ſuppoſita inteſtina partem ſymptomatum in ſe ſuſcipiunt. Undè rugitus, borborygmi, tumefactiones doloriferæ, quas reclinato corpore deprecantur. Sed fatendum eſt quòd ſi ſemel unum aut alterum ex hiſce viſceribus occupaverit Melancholia, brevì

aut fauſto, aut infauſto exitu terminabitur.

Non idem dicendum eſt de utero. Nullibi enim aut lentiùs ſerpit, aut mitioribus primùm, ſe exerit ſymptomatibus malum. Mulieribus quidem atrociſſima ſæpè concitat ſymptomata; ſed Melancholia humoralis fœmineâ accepta in parte, longiſſima relinquit intervalla. Querulas quidem mulieres, inceſſui inhabiles, cruribus defatigatas, anhelas ad motum vel minimum relinquit. Quæ ſymptomata debiliſſimæ fœminarum ſtructuræ in univerſum & quaſi in quocumque morbo competunt. Sed mox atrociſſimè torquet; & quod maximè notandum eſt, dolores quidem in ipſo utero & in viciniâ ſæpè fortes ſunt, ponderoſæ, anxietati mixtæ; ſed quæ violentiſſima ſunt ſymptomata, in maximè diſſitis locis erumpunt.

Ubi igitur ſemel in uterum decubuit Melancholia, gluten ſcilicèt huic viſceri nativum, in propriis folliculis lacuniſque, quibus refertiſſimus eſt uterus, acorem ſimul & denſitatem contrahit. Tunc ſpaſmis, motibus inſolitis primò quidem parùm notandis, poſteà verò vehementiſſimis agitatur uterus. Hinc lumborum dolor acutiſſimus, aut femorum ad genu uſque imò & talum extenſus. Tum exitus fit per vaginam materierum acrium, pungentium, titillantium; undè ad fricationem partis vel reluctantes cogantur. Symptomata hæc, proximo menſtruationis tempore recrudeſcunt, acriores fiunt morſus, ſæpè cum indecorâ venereâ tentigine: exiſtentibus verò menſtruis deſæviunt.

Forſan objicies ſymptomata hæc ad uteri ſen-

ſilitatem æquè pertinere, nec eſſe ſatìs rationis undè humoralis arguatur Melancholia. Lux affulgebit ſi ad naturam humoris acris exeuntis attendas; tum & ad dolorem ſævitiemque cruciatuum, hi multò magìs pungitivi ſunt, & ad vicinas utero partes nec niſi viciniæ jure connexas extenduntur.

Inſtantibus verò menſtruis adeſt colicus dolor ſæpè immanis, qui ab utero quaſi à centro ſeſe undequaque diffundens, totum abdomen turgere, convelli facit; qui dolor colicus multis aliis uteri morbis communis, ſi à Melancholiâ ſolâ pendeat, unâ aut alterâ exeunte ab utero guttulâ liquidi ſæpè lymphatici, aliquandò atri, aliquandò ruſo-flaveſcentis, ſolvitur. Nihil magis addemus de colico hoc dolore qui fœminas adeò frequenter vexat, cùm ſi humoris vacuatio prædicta deſit, eum nullatenùs ut melancholicum agnoſcamus. Remanet hoc humore vacuato, pondus & Melancholiæ familiaris anxietas.

Sed quis rationem poterit reddere tot ſymptomatum, quæ in locis maximè diſſitis emicant. Prima mali labes in caput ipſum ſævit. Vix ulla eſt utero dolens, quæ non metu atque mœſtitiâ conficiatur, cui non à viſceris hujus malo ideæ corrumpantur. Poſtea adſunt ſuffocationes, ſtrangulationes, aſthmata convulſiva, artuum jactationes, ſtricturæ atque ſpaſmi, ut brachia quaſi ligni duritiem æmulentur. Sed pertinaciſſimus eſt lumborum atque femorum dolor ita utero proprius, ut non ſine ratione Duretus poſt Hippocratem dixerit *fœminas à lumbis convelli.* Nec minùs tamen ſæpe viris melancholicis, lumbago quaſi

rheumatica incumbit; ad femora etiam ſed poſticâ parte extenſa. Sæpe dolor in dorſo immanis & aliquando in renes ipſos melancholicè decumbit; ita tamen ut interiora præcipuè in viris pati, ut in fœminis exteriora videantur affici, pueris verò iiſque qui à nimio veneris uſu in Melancholiam inciderunt, roſionis ſenſus & quaſi motus in ipſam renum ſubſtantiam incidit quaſi violenter illi è ſuo loco deturbarentur, nihil indè mutatâ urinæ ſecretione, imò contrà auctâ. Ad teſtes uſque ſpaſmus ille fertur, iique ingenti ægrorum clamitatione ad pubim affiguntur, non ſine ſummis ſimul inteſtinorum volvulis; ſemen aliquod exilit, ſed purum ſemper & limpidum, & nullâ Melancholiæ labe contaminatum. Verùm ſine ullo levamine ſemen exit, cùm contrà quoties ex utero nigra exit amurca, ſcena componitur, & quaſi ſublatâ cauſâ omnia conquieſcunt.

Omnibus quidem melancholicis tum nerveâ ſimpliciter intemperie laborantibus, tum etiam humorali, commune eſt, ut urinæ frequentiſſimè exeant, ſed numquam in humorali Melancholiâ eâ exeunt frequentiâ quâ in nerveâ, niſi utraque ſimul conjunctæ ſint. Illud autem ſæpe in mulieribus contigiſſe vidi, quod & alii annotaverunt ut urinæ nigræ exeant; id nunquam ægræ proficuum; ſed nec nocuiſſe obſervavi.

Signorum quæ ab urinis petuntur, ſummum momentum, fecit ut diligentiùs illas inſpicerem, judicaturus an quid haberent criterium quo poſſit Melancholiæ humoralis præſentia in urinis diſcerni & diſtingui. Id autem melancholicis omnibus tùm viris, tùm fœminis commune viſum

eſt, Boerhaavio authore, ut vireſcerent urinæ: ſeu colorem è viridi flavum haberent; ita tamen ab aliis urinis diſtinctum, ut attento, coloris diverſitas eluceſcat. Qui quidem viror à miſcelâ quadam nigri humoris videtur pendere: quod nec mirum eſſe debet iis qui ſciunt lotium eſſe verum humani ſanguinis lixivium, quo tum ſales tum olea eluuntur. Hæc verò e multis & peſſimis quæ in abdominalia viſcera decumbunt ſymptomatibus viſum eſt ſeligere. Singula enim enumerare impoſſibile eſt. Satis ſit ſi ex modò dictis caracteres morbi diagnoſtici apprehendantur. Hi ſunt hypochondriorum ſublatio, pulſationes arteriarum profundæ, dolores erratici, aſſidui, enormes, nec tamen inflammatorii; ſimul cum metu, triſtitiâ, amentiâ; nigrorum exitus, & alia multa, quorum ſignorum in ſummo erroris metu, nullum eſt negligendum.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Symptomatibus partium in Thorace contentarum.*

Nulla eſt pars quàm intactam aut illæſam ſinat Melancholia: ſed ſumma hîc eſt confuſio, cùm vix ulla ſint morbi noſtri diagnoſtica indè repetenda ſigna; communia ſunt utrique Melancholiæ, vehementiora verò in nerveâ, cùm vix ad noſtram pertineant, ſtrangulatio illa famoſa, clamitationes ſibilantes, vox clangoſa, eaque omnia quæ mulierum & aliquandò etiam virorum

nerveas affectiones comitantur & laryngem vexant ; nec niſi in ſummo gradu ubi altera alteram parit, reperiuntur. In affectibus tamen uteri, & ubi humor ad uterum deſcendit, larynx vulgò afficitur ; indèque ortam non ſemel vidi ſine ullo tumore, aliquam anginæ ſpeciem quæ deglutitioni plus moræ quàm doloris injiceret, & ad omnia obſtinatior reſiſteret remedia, donec nigris ex utero purgatis, morbi cauſa tolleretur. Per decem menſes integros talem anginam perduraſſe, non ſine ſummo metu, in nobili muliere vidi, quam ſolveret plenior ac nigricans menſtruorum eruptio. Generatim verò conſenſus uteri cum larynge ille eſt, ut ab ejus morbis vox modulata ſæpè ſæpiùs mutetur. Id vel ipſæ fatentur Cantatrices. Suffocatio verò, tuſſis, anhelitus, quæ quidem omnia melancholicis ſuperveniunt, nihil indicant quoad diagnoſim, ſed contrà diagnoſi aliorum ſymptomatum egent, ut pro melancholicis agnoſcantur.

Aſthma tamen periodicum convulſivum ab humore atro melancholico pendere vidi, cujus quidem obſervationis cùm alibi mentio facta ſit, huic ampliùs inhærere ſupervacuum videtur. Generatim tamen ſciendum eſt quòd metu atque mœſtitiâ caput occupante, nunquam libera prorſus reperiri poſſit reſpiratio ; ſed frequentibus interrupta ſuſpiriis quaſi anxietatem corporis univerſalem partita. Nec minùs verò latitante in hypochondriis compreſſione, comprimuntur partes in thorace contentæ, undè nova reſpirationi labes infligitur. Quid ſi tota ſanguinis moles melancholica ſit, & ſpiſſa, atra ; nonne

concipi poteſt ingens per anguſtiſſima bronchiorum vaſcula tranſeunti ſanguini, mole & denſitate inſolitâ, difficultas; undè etiam ingens glutinoſi humoris in lateralia receptacula vis effundi debet, novamque ſuffocationi præbere occaſionem; humidæ quidem illi, ſed excreatione ſummè difficili præ exeuntis materiæ tenacitate indomabili.

Sed maxima ſymptomatum thoracicorum violentia, ſi quando adeſt, ab irritato atque convulſo diaphragmate pendet; eoque jure tam ad abdomen quàm ad thôracem refertur ſingultus. Convulſiones verò, clamores imò & rugitus, dolores, torſiones ad ſternum, imò & poſticè ad renes, familiaria ſunt melancholicis ſymptomata, vulgò ab irritato centro repetita & quæ ſæpè horrendum præbent ſpectaculum.

Suffocatio verò ſeu ſtrangulatio hyſtericis familiaris, à larynge pendet, quæ cùm Melancholiæ nerveæ quaſi indigena ſit, furorique uterino ita comes, ut nunquam ab eâ abſit, humorem nigrum etiam comitatur; ſi præſertim inſederit utero. Hinc mulieres illæ, ligaturas quaſcumque reſpuunt ſimul ac incidêre in paroxyſmum, & toto vultu rubeſcunt, violaceo quidem rubore, quaſi ligatis jugularibus venis; reſpiratioque fit alta, frequens, anxia; velut ſi reverà angerentur atque premerentur à conſtringente cordâ.

Eo autem plus terroris atque formidinis injicit illud ſymptoma, quo vitalia omnia organa partem laboris majorem in ſe ſuſcipiunt. Cor ſcilicet ipſum ſummâ ſimul violentiâ atque frequentiâ quaſi vincendis reſiſtentiis minus ap-

tum palpitat, & iteratos nixus efficit, nec ſolâ auricularum atque ventriculorum micatione, ſed quaſi totiùs ſubſtantiæ ſubſultu movetur. Nulla verò eſt Melancholiæ ſpecies in qua palpitationes cordis frequentes non ſint: ſive nervea ſit, ſive atra bilis ventriculi ſuperius orificium mordeat & vomitum minetur; ſive etiam delabatur in inteſtina, ibique diarrhœam aut dyſenteriam intentet, ſive demum nondum collecta, ſanguinem inficiat, aut latitet in uteris. Caſus penè ſingularis eſt, & nullibi aliàs vidi, aut artem faciendo, aut authores legendo, mulieris quæ melancholico humore vexata, ſimulque thoracis debilitate; ſputa nigra, pulvereque atro obſita longum per tempus expuit. Tuſſis importuna erat, anxietas ſumma ad ſcrobiculum cordis, ſuffocatio matutina ingens, quâ vim liquidi nigri ſummam ex pectore rejiciebat. Supereſt tamen, nec valet, ſed mutatâ ſorte in meliùs, adeoque mente magis hilari, jam ad temporis mulieribus critici limina pertingit.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Symptomatibus Capitis.*

Si partes in calvaria contentæ nullatenùs aut in ſuis functionibus læderentur, aut aliâ quacumque ratione paterentur, vix adeſſe Melancholiam dici poſſet. Cauſa morbi adeſſet: deeſſet verò morbus. Verùm nullibi ſymptomatum tanta varietas. Omnibus æquè competit metus atque mœſtitia; in confirmato morbo conſtans atque

gravis ; in incipiente levis atque fugax. Plurimis incipiente Melancholiâ vix aliud agnoſcas quàm quòd extrà ſe ferantur ſæpiùs, & quaſi exceſſu quodam laborent, nunc mœroris, nunc lætitiæ. Hos Melancholiâ nerveâ laborare pronunties. Noſtris nil niſi mœror atque mœſtitia incumbit. Ab hoc primo gradu alterum ſequitur, ſeu potiùs illum excipit : ſcilicèt præ metu, præ mœrore turbantur atque vacillant ideæ, & in omni melancholico leve delirium adeſt, dum ſuo de morbo loquitur. Omnia dira, exitioſa, ſibique crudelia, ſemper atque tædiosâ repetitione loquitur, vixque ſentit quantùm à ratione & à civilibus officiis alienum ſit tam abſurda loqui, nec ſolantibus Medicis credit, nec obſequitur amicis ſaniora ſuadentibus : & ſi præ verecundiâ de morbo aliquandò ſilet, aſpectu torvo, tetro, occupato, facilè demonſtrat ſe aliis vix moveri, hoc ſolum triſte objectum intueri. Proximum hoc eſſe delirio nemo non videt. Indè brevì in planum atque apertum delirium fit tranſitus. Et id habet peculiare illud, quòd de rebus ad ſe non pertinentibus nunquam delirent melancholici ; de ſe verò objectiſque ad ſe ſolos pertinentibus inſaniant. Pro gradu verò morbi adhuc varietas ineſt in deliriis. Si enim circà morbum ſolum delirent aut circà ejus gradum, ita ut quoties de eo cogitant præter conſtantiam virilem terreantur, levius eſt malum. Sed brevì excandeſcit illud, ita ut jam palàm, apertè, inverecundè omnibus ſuum terrorem effutiant ; ſeſe in aperta pericula præ metu mortis conjiciant : adeò miſerum eſt perpetuum ſepulchri aſpectum formidare,

ut ſatius foret ſemel illud animosè ingredi. Nec ſine aliquo horrore recordari poſſum mulierem miſerrimam, quæ plures per annos perpetuò aſtantes interrogabat an non inſaniret? an non ad mortem præceps ferretur? Perpetuâ formidine malum gravius reddente.

Delirii melancholici fons & principium eſt ipſa animæ debilitas quæ humore melancholico labefactata & infecta, alia prorſùs videt ac quæ vera ſunt; &, ut Veterum more loquar, atro fucata velamine & tetris obſcurata vaporibus. Imaginatio ſola deturbatur atque vacillat. Humor corporeus ipſam mentis arcem oppugnat. Hinc ſæpè ipſis plus prodeſt violentiùs obſiſtere, minis miſeros compeſcere quàm blandâ adulatione iis obſequi. Et imprimis nihil ſatius eſt quàm contemptu proſequi tot abſurda quæ vociferant illisque parum attentionis præbere. At jam altas radices ſumpſit veteraſcendo malum, cùm triſtibus occupata atque funditùs conturbata imaginationibus mentis ſedes abſurda ab ipſo morbo jam omninò diſſita animæ pro veris objicit, quæ miſerè amplectitur illa, quibus inhæret, ita ut meraco elleboro vix indè poſſit avelli. Sic ſeſe vincineos credunt, crura vitrea, caput plumbeum ſibi ita fingunt, ut alios ad ignem accedere, alios à ſedili ſurgere, alios caput attollere vix perſuadeas. Pleni ſunt auctorum libri ſimilibus exemplis, quibus inſiſtere ſupervacuum foret; cùm nihil ſit abſurdi aut temerarii, quod non ſuaſerit corrupta imaginatio. Circà omnia rectè, quanquam debiliter ratiocinantur & ad omnia vel maximè diſſita ter-

rorem atque ſuperſtitionem addunt. Sed ſi de ſeipſis ratiocinantur, tunc larva tollitur, apparet amentia. Longos quidem per annos tale ſubſiſtit nihil mutatum delirium. Poſtea tamen in veram inſaniam vertitur. Niſi aliâ de cauſâ ex ipſo morbi fonte petitâ priùs æger ſuccubuerit.

Verum aliud eſt delirii genus melancholicis etiam familiare, quod non ſemper, ſed intervallis repetitis, miſeros vexat, ſi quandò ſcilicet dilutus moveatur humor melancholicus, per intervalla tantùm, quod plurimis accidit. Tunc præ morſu ventriculi acri, ſubvertitur ratio; ſed eo genere delirii quod fugax dicitur, nec ad unum refertur objectum, ſed potiùs ad quamdam temulentiam pertinet; nec ultrà quoſdam temporis aut vehementiæ limites extenditur. Alioquin in meram phrenetidem lethiferam tranſiret, & febris vehementiſſima Melancholiam motam comitaretur; quod quandò accidere poſſit, alio loco à nobis referetur. In hoc delirii genere nec metus nec mœſtitia adſunt, cùm non ab ipſo humore melancholico pendeat, ſed ab acri in fibras morſu atque vellicatu. Nec adeò metuendum eſt, cùm cauſæ levi atque fugaci debeatur. Triſtior caſus eſt ſi uterque complicetur ſimul atque priori poſterius accedat.

Forſan vix à delirio differre credenda ſunt ea quæ oculis objiciuntur vana phantaſmata, cùm à vitiatâ potiùs imaginatione quàm ab acie oculorum læsâ pendeant. Qualem novi virum, qui fervidus irâ, innocuum occiderat hominem. Adſtitit ad lectulum tetra occiſi imago uſque ad mortem, que brevì melancholicè accidit. Ut &

ævi noſtri, divini ingenii hominem Paſcalium viderunt imaginem præcipitii ad cubile aperti, quanquam repugnante ratione, exhorreſcere. Sed nihil delirii ineſt in vertigine, ſcotomiâ, flammulis ex oculo erumpentibus, duplicatione objectorum, quæ ſæpè ex mutato muſculorum oculi tono oritur, aut à perverſo intrà cerebri vaſa ſanguinis influxu atque effluxu. Hæc enim omnia convulſivè peraguntur & in utrâque Melancholiâ frequentia ſunt. Facies quidem in melancholicis vulgò macilenta eſt. Aliquandò, tamen vix aliquid priſtini ſplendoris amiſit, niſi quòd triſtitiam exprimat, mœrorem, angorem internum, oculis ſimul aut fixis aut indeterminatè errabundis. Quid morer in variis faciei muſculorum convulſionibus? quæ ita diverſimodè agitantur ut videantur inſaniæ figmentum, cujus ſunt aliquatenùs præludium. Ab errore pariter animi ſæpè fit ptyaliſmus frequens. Sœpiùs tamen à cognitâ humorum ſpiſſiorum diatheſi pendet illa in univerſali Melancholiâ, quæ tenuiorum humorum conſortium ita reſpuit, ut immiſcibilia fiant quæ ſanguinis molem ingredi atque renovare nata ſunt, tenuiora chyli ſuppeditamenta. Undè fit ut ſæpè ſæpiùs in hiſce viris odorem atque ſaporem alimentorum ſaliva referat. Quod ſanis etiam aliquando accidere fatendum eſt, ſed nunquam niſi acribus atque volatilibus comeſtis.

At quod à nobis profundiorem expoſtulat meditationem eſt melancholicus capitis dolor, qui non eadem formâ nec iiſdem phœnomenis elucet in variis Melancholiæ ſpeciebus.

In omnibus enim morbi noſtri ſpeciebus caput grave eſt, præſertim à ſomno ſurgentibus, cùm ſanguis per ſe jam viſcidior, ſomno factus magis hærens, per arctiſſima menyngum vaſa parum fultus, ſomni temporis quàm quovis alio, magis hæſitet. Coryza levis iis etiam maximè familiaris eſt, tùm quia à craſſamento ſanguinis facilior, ut modò dicebatur, hærentia, tum quia ſegregantur faciliùs fluidiora, quibus in membranam Schneiderianam facilis eſt deſcenſus. In iis difficilior ad quæcumque ſeria objecta attentio, atque non niſi capitis dolore luenda. Vino vel mediocriter ſumpto, exceſſibus vel leviſſimis, caput impletur. Uno verbo adeſt hìc ſemper cauſa quæ capiti minas intentat & dolorem de leviſſimâ occaſione parit. In Melancholiâ verò univerſali cùm plus pateat cauſis incidentibus caput pro delicatæ ſtructuræ mollitie, plus patitur. Angitur magis quàm dolet caput, & in functionibus ſuis plus turbatur quàm in ſenſu cruciatur, ſi morbus capiti inſederit. Sed atrociſſimus eſt capitis dolor in illâ Melancholiæ ſpecie in quâ morbus hypocondriis inſidet. In illâ præſertim ſpecie, hemicraniæ feroces, dolores acutiſſimi plures per dies perdurant. At quod ſaltem aliquid miſeris ſolatii affert planè omninò ceſſant nec ſuperſunt miſeræ reliquiæ quæ, in caput inficiente Melancholiæ ſpecie, vitium in cerebro inhærere demonſtrant. Mirum eſt quantum ſit hemicraniarum cum Melancholiâ hypochondriacâ conjugium: facilis eſt illarum in hanc tranſitus, ita ut hemicrania frequens, nunc pro ſymptomate Melancholiæ hypochondriacæ, nunc pro cauſâ

habeatur. Novi hominem qui ſi vel leviter ſed plures per dies in victu peccat, exceſſu quidem, vel duriorum alimentorum eſu, qualia Quadrageſimæ tempore Catholico Romani edunt, fit melancholicus, ſe miſerum deflet, homines averſatur, ſilentium triſte ſervat. Quarto demum aut quinto die vividiſſima hemicrania hominem in diros dolores agit, vomituſque enormes, aut ſaltem nixus ad vomendum immanes concitat. Virideſcentia pauca aliquando cum aliquibus ſanguinis guttulis reddit. Dormit deinde, ſanuſque atque alacer ad priſtinum vigorem redit. En elementa Melancholiæ hypocondriacæ, à quibus ſartum tectumque facit hemicrania.

Et certè quidquid apud authores de ſtupendo hoc ſymptomate quod dimidiam capitis partem doloribus dividit, reperiatur; nondum ſatis conſtat à quâ potiſſimùm causâ pendeat. Qui fit ut in plurimis redeat ſingulis menſibus? Quare evaneſcente illo, raró non prodeat aliquis morbus à quo liberari corpus videbatur.

Ad ſymptomata capitis, cùm in eo ſenſorium commune latere receptum ſit, referentur quæ habitum melancholicorum ad appetitus externos conſtituunt; & certè maleſuada imaginatio in appetitu abſurdo ſibi vindicat omnia. Mulieribus & quidem ab utero laborantibus familiare eſt abſurda appetere alimenta, exquiſita verò atque melioris ſucci averſando rejicere. Quod malum raró in viros incidit. At ut in genere tenaces ſunt melancholici, atque propoſito plus quàm ratio ſuaderet inhærentes; quod ſemel concupivere, arctè oſculantur, & pro animi de-

bilitate quodcumque iis deeſſe videtur, amorem incutit & ſummum ſui deſiderium. Hinc in incipiente Melancholiâ utrique ſexui vehementer appetita Venus voluptatem ipſo temporis inſtanti fugacem, tormentis animi mille redimit. Ea verò morbo confirmato delira evadit. Ab eâ, ut in Capite de cauſis diximus, oriri poteſt malum, totaque penitùs concuti imaginatio; ſervat porrò Melancholia primævam undè orta eſt impreſſionem, & rarò ſi ab aliis cauſis incœperit, malo occupata & vexata mens, ſeſe veneri tradit. Quod autem hîc de venere dicimus, de aliis etiam appetitibus intelligendum eſt, quorum in mentem penitùs malo ſuo imbutam eique inhærentem, ſi non cauſæ perſonam luſerint affectus illi, parvum eſt imperium.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Symptomatibus externis Cutis & Artuum.*

Melancholicis cutis non nitet, nitore illo qui ſanitatem ſolam comitatur. Sed etiam rariſſimè aliquâ ditantur illi pinguedine, cùm ipſa quam adeps affert ſolidis lubricatio, tenſioni atque ſiccitati melancholicæ, & ejus effectibus repugnet. Vulgò melancholici macilenti ſunt, & morbo ipſo intus graſſante ferè ad ſceleti macilentiam evadunt, cum aliquâ ſimul cutis duritie quæ rugis ante ſenium deturpata corium videtur potiùs quàm cutis. Imò non color idem remanet, ſed

ſed nunc icteritiæ cutis ad inſtar flavo colore inficitur, nunc hypocondriis præſertim laborantibus, Malicorium, cutis vultûs atque manuum exprimit, reliquo corporis habitu intacto; ut potè quem ſemper ſublinit humor à veſtibus retentus. Aliquandò, nec raròtamen, aliquid ferruginei in vultu atque genis apparet, aut, ſi mavis, plumbei: quod ſubtus oculos naſcens per totam faciem extenditur, plus minuſve pro gradu morbi. Ipſe oculorum nitor aliquid nigricantis præ ſe fert. Sed quod non ſemel, ſed pluries vidi, ſapor in ore ferrugineus ſimul emicat, quo dentes hebeſcunt, queruntur que ægri quaſi de atramento dentes atque linguam inficiente, quanquam nihil mutati exteriùs appareat. Sapor ille importunus eò aliquando deductus fuit ut pro eo remedia ſibi expeterent. A cutis habitu ſi ad maculas devenimus, nulla eſt corporis diſpoſitio in quâ maculæ plures corpus deturpant, quarum quidem non una ſpecies eſt. Generatim tumores omnes duri ſcabritiei cuidam conjuncti, tenaces, rebelles, melancholicum quid latere, ſuſpectum faciunt. Tum ſi color cutis ſimul alteretur, & ad flavo-rufum ſeſe vertat, aut ad nigrum, (in locis in quibus nigredo naturalis non ineſt, qualis eſt in tumoribus qui glandulas cutis occupant & talpæ dicuntur), tunc jure melancholici habentur; & vidi in viro militari totum his occupari dorſum, qui tumores imprudentiùs cauteriis tractati brevì mortem attulere. Nec neceſſe eſt ut humor ipſe niger ſit. Aſſidet vulgò iſtis humoribus venarum nigra dilatatio, undè cancri nomen ſumpsêre. Verùm vel etiam ſine tumorum

exiſtentiâ, ſæpè in cutem ipſam efflorefcunt maculæ fuſcæ, rariùs nigricantes, innocuæ, indolentes; quod quidem Melancholiæ hypocondriacæ proprium eſt. Sæpiùs faciem occupant ſimiles maculæ, aliquandò manus etiam, imò totum vultum his conſperſum videre non adeò rarum. Dorſum his maculis, anguis ad inſtar diſtinctum aliquandò videtur. Quod macularum genus mulieribus multò magis familiare eſt. De maculis iſtis non leve judicium ferendum eſt. Confunduntur enim ſæpè ſæpiùs cum ſcorbuticis gravi ægrotantium detrimento. Noſtræ tamen magis ſuperficiariæ ipſum quaſi textum reticulare occupant. At contrà cùm ſcorbutici quid ineſt, profundiùs ſitas eſſe maculas neceſſe eſt. Præterea ſemel acceptum colorem noſtræ non mutant, qui variat in ſcorbuticis. Confuſio major eſt, ſi quandò ecchymoſeos ad inſtar intrà puſtulam levem ſanguis effunditur, non ſine dolore ingenti. Ater enim atque ſolutus cruor poteſt ut in ſcorbuto, ſic in Melancholiâ effundi. In ſcorbuto quidem cauſam præbet ipſa ſanguinis natura; in Melancholiâ, hærentia acris, & ruptura vaſorum ab acri erodente. Hinc in puſtulis nigris, melancholicis, ſanguis ater reperitur, ſed concretus, fundo ulceris ſano & brevì reſarciendo, niſi nova materies affluat; ſupereſt in ſcorbuto vis erodens, fundus ater, flaccidus. Præterea ſcorbuticis rarò ſolitarium hujuſmodi ulcus accidit, ſæpè melancholicis. Humor melancholicus decubitu in unam partem agit; cùm contrà ſcorbuticus, peculiarem ſi edat effectum, nihilominùs generali actione ſævit & bacchatur; quanquam cum Eugaleno non diffi-

teamur poſſe etiam ſcorbutum, quaſi criſi factâ, in unam alteramve partem decumbere. Sed hæc ſumma differentia atque diſcrepantia eſt, quòd in ſcorbuto omnia mollia ſint, atque ex ipsâ morbi naturâ flacceſcentia. Durities contrà ſumma, imò & ſcabrities, aſperitas, ligneaque quaſi coagulatio Melancholiam comitantur. Vidi, ut jam alibi dictum, femur totum ita induratum, ut tactum ſonaret, id mole duplo auctum puſtulis in ſummâ cute natis, ſensìm ad priſtinam mollitiem redigi & revocari. Si puſtula melancholica ſolitaria ſit atque ſejuncta, vicina omnia, non tumentia, non dolentia, ſed dura erunt. Vidi ſic hominem atrociter dolentem ex unâ puſtulâ levi ad dorſum ſitâ. Vix crederes puſtulam unicam tanto malo, tanto dolori ferè mortifero concitando parem. Tumor nihil maligni ad tactum præferebat, durioribus tantùm marginibus donatus erat. Latebat melancholicum quid. In quo quidem notandum eſt humorem noſtrum melancholicum non carere analogiâ cum humore venereo, ſed diſcrepantiis ſymptomatum ingentibus; undè tamen factum eſt ut naturam venerei fermenti ſcrutantes, ipſi aliquid acidæ indolis adſcripſerint multi.

Omnium verò peſſimæ ſunt maculæ quæ ex alto fonte deductæ, enervi & longâ confecto Melancholiâ corpore, in gangrænam, ſphacelum, aut, ut Veteres vocabant, in cancrum abeunt. Peſſimus Melancholiæ exitus quo cum ſcorbuto coit, & ſæpè confunderetur, ni irrita in morbo melancholico antiſcorbuticorum vis vanam medicantis operam eluderet.

Vidi ſic virum, gravem perpetuo operi ſemper deditum, poſtquàm involuntario imò & coacto otio per biennium integrum labefactatus fuerat, in Melancholiam incidiſſe. Crurum atque femorum debilitatio ſensìm ſine ſenſu aucta, cum vultu lurido, ſcorbutum adeſſe clamitabant, undè variis curatus eſt antiſcorbuticis; nihilominùs progrediente malo in gangrænam incidit ſiccam, quâ per triennium depaſtus occubuit. In hoc quidem exemplo varia ſimul aderant ſigna quæ enerve corpus fatiſcenteſque partes demonſtrarent. Diù enim vexabatur miſer antè gangrænæ exiſtentiam enormi Melancholiâ, dejectionibus nigris, tumore crurum atque pedum, & poſteà per totum morbi decurſum non ampliùs apparente, ſuffocatione & orthopnæâ enormi. Hæc omnia ad primum gangrænæ inſultum poſteà evanuere; relicto malo, per peſſimam criſin, dolores in pedibus horrendos inferente, deſinenteque poſteà in mortem certiſſimam & atrociſſimam. Verùm multis etiam ad exteriora ſanis aliquandò gangræna aterrima quaſi ſyderatis incidit, miſeroſque tridui ſpatio pulſu fatiſcente, urinis fœtidiſſimis, diarrhœâ enormi, delirio ſubobſcuro interfecit. Nec refert in quos artus incidat. A brachio oriri vidi eadem ſymptomata quæ à pede, eaque per textum celluloſum brevì communicata, undequaque vitam ſimul atque cadaver ericiebant. Hæc verò ſymptomata quantumvis gangrænæ nomine deſignentur, patet quantum habeant cum morbo noſtro analogiæ, qui ubi ad ſummum acrimoniæ evenit, peſſumdat omnia. Nec minùs tamen ad ſcorbutum etiam ſed peſſi-

mum, ſed atrabilarium revocari poſſunt, teſte Pouparto in Actis Pariſienſibus anni 1700. Sed quantumvis ferox ſit ſcorbutus, medelam faciliorem admittit, quàm humor melancholicus in bilem aterrimam verſus & veneni peſſimi nactus efficaciam.

Satis verò ex dictis patet quanta & qualia ſymptomata poſſint ex humore iſto in artus decumbere, ut plurimæ gangrænæ ab iſto fonte oriantur. Nec mirum ſi præcedere poſſint dolor, inflammatio, ſtupor, omniaque quæ hærentiam humoris in parte à corde diſſitâ demonſtrare poſſint, ſimulque confuſionem atque analogiam cum ſcorbuto parire: imò & ab humore noſtro etiam gingivæ aliquandò afficiuntur, fiuntque ulceroſæ nigræ.

Illud autem in ſummâ utriuſque morbi analogiâ, vereor ne fortè credatur dividi à me nimiâ ſedulitate in duos morbum unicum. Sed ſi in ortu uterque ſpectetur, utriuſque progreſſus perpendatur, quantùm diſcrepent inter ſe facile erit advertere. Nec minùs verò in adhibendis remediis diſcrepant, niſi tamen cùm eò ventum eſt, ubi ad ſphacelum omnia feruntur. Tunc enim medelam adhibendi eadem eſt methodus, via eadem, & æquè inutilis utraque, niſi ſecedat pars ſyderata, & vires vitæ valeant, quod raiò & feliciter in utroque caſu accidere poteſt; ſed remediis iiſdem.

Ea quidem præcipua ſunt Melancholiæ confirmatæ ſymptomata, quæ quidem ita evolvimus, ut nullatenùs de ſingulis dicere aut poſſibile,

aut propoſitum nobis fuerit. Satis erit ſi rem ita attigerimus, ut ab expoſitis multiformem & propè innumeram ſymptomatum farraginem, larvâ depoſitâ, comprehendere valeamus. Tertius gradus ſupereſt uno Capite comprehendendus.

# CAPUT VI.

## *De Melancholiæ humoralis in alios Morbos abeuntis, Symptomatibus.*

UBI jam Melancholia ita invaluit, ut in corpus fixas, firmaſque radices egerit, aut immutata perſtat & in hoc uno conſtans, quòd ægrum perpetuò & miſerè divexet, quam ſibi primò prætendit larvam, ſervat ad uſque extremum; vel decumbens in unam corporis partem idem conſtanter ſymptoma producit, liberis intereà reliquis partibus. Tunc verò mutato nomine, à prædominante ſymptomate novum nomen ſortitur, fitque quaſi novus morbus, tenacitate tantùm agnoſci ſe ſinens & inquilinâ ferocitate indubitatam prodens originem.

Ut autem intelligatur quâ ratione illa Melancholiæ in alios morbos contingat mutatio, tenenda ſunt quæ priùs expoſita fuêre principia; ſcilicèt ſemel enatam, ſuis de cauſis intrà corpus Melancholiam, poſſe has vel illas partes occupare, prout contulit ad hanc efformandam unaquæque ſymbolum, vel prout ad hunc decubitum variæ externæ cauſæ concurrunt: quales ex ſex rerum non naturalium perverſo uſu plures poſſunt aut jecur afficere, aut mentis arcem, cerebrum impetere, vel cuti & glandulis lymphæque receptaculis inſidere. Si porrò Melancholia ſenſìm intrà corpus invaleſcens, nec hujus innato

robore, aut Naturæ munere vacuata, tandem eò dominii pervenerit intrà corpus, ut humores & primarii & ſecundarii eo inficiantur, jam nutritionem fieri impoſſibile eſt, conſtare ac valere organa ſecretoria repugnat, indèque priſtinas elici functiones. Hinc priori morbo pejora mala addi neceſſe eſt, phtiſim ſeu maraſmum, hydropem anaſarcam, omniumque partium marceſcentiam. Hinc mors certa miſeriis finem imponit. Magis eſt in naturâ roboris, ſi avecta à corporis centro lues atra cutem glandulaſque occupaverit. Sed infelix illud robur non minùs funeſtus eventus excipit, cùm cancer atque ſphacelus in parte enati, vitam vix ſervare poſſint; ſcilicèt partes affectæ grande quidem malum per ſe efficiunt, ſed &, humore in parte affectâ pejorato, ſtillat in ſanguinem venenum acerrimum. Peſſimum forſan & ipsâ morte, miſerrimum magis eſt, ſi tenax illa materies non eò acrimoniæ pervenerit ut rodat, ſed eam ſervet efficaciam, ut functionem aliquam aliis illæſis turbet atque pervertat. Una enim ſupereſt quæ cæteris illæſis poſſit omninò concuti atque perturbari.

Cæteræ omnes functiones ſi turbentur in libero ſuî exercitio, mortem certiſſimam citiùs vel ſeriùs trahunt; at quæ ſenſibus internis præeſt omninò pervertitur, læsâ mente, illæſo corpore; nec alia ſpes ſupereſt niſi ex nativo Melancholiæ decurſu pernicies quaſi ex alio fonte advehatur; aut tandem lenta, tenax, nec niſi tardas quaſi meditata inſidias, efferata atque mobilis per inflammatorias cauſas reddita bilis atra, ſubitò acutiſſimos morbos mortemque invehat.

Hæc ſunt igitur Melancholiæ nimiùm perdurantis fata, ex ipsâ ejus eſſentiâ, deducenda. Degener fit ſcilicèt in phtiſin, hydropem, cancros atque gangrænas, de quibus hìc agere ſpeciatim ſupervacuum videtur, cùm ſymptomata eorum per ſe pateant: vel movetur, & acutiſſimos morbos parit, vel tutiùs, ſed infeliciùs ſenſus internos turbat, infertque inſaniam. Totidem igitur nobis incumbunt exponendi articuli. Primus de Inſaniâ aget, alter de Phtiſi & Hydrope; tertiò demùm expendemus Melancholiam motam ſive in acutis, quo potiſſimùm loco quales fuerint Veterum divitiæ mirabimur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Inſaniâ.*

Insania, ſive Mania, eſt corporis ægrotantis conditio illa, in quâ judicia à ſenſibus oriunda nullatenùs aut ſibi inter ſe, aut rei repræſentatæ reſponſant. Hinc vulgò apud Hippocratem in inſaniâ mens ægrotare dicitur; quanquam inculpabilis illa & nulli obnoxia mutationi, ægritudinem à corpore mutuari non poſſit. Sed in maniâ, ſeu, ut aiebant Veteres, in furore, vitiatur hujus cum corpore commercium, nexuſque quorum humano ingenio denegata eſt intelligentia, perveruntur. Senſorium commune afficitur, ejuſque partes præcipuè imaginationi atque memoriæ ſacratæ. Qui merè inſanit, ideas quidem aut novas ſuſcipere aptus eſt, aut priſ-

tinas memorari, ſed dum illas aliis nullatenùs inter ſe connexis conjungit, errat. Appingit ſylvis delphinum, aprum fluctibus. Felix ſi non omnibus aut objectis, aut memoratis, triſte animi pathema jungit, ſeſeque aut hoſtibus patentem, aut inſidiis circumventum obſtinatè credit.

Multiplex eſt porrò, ſi ab idearum diverſitate differentiam inſaniarum ſtatuere velis, illius morbi genus. Etenim ſi ab animi pathematibus, ut ſæpè fit, prima morbi origo fuerit deducta, totus homo eſt pathema. Iram alii præ ſe ferunt inextinctam; furorem immanem alii, quem nec verbera, nec compedes, nec fames aut ſitis, quam non ſentiunt, vincere valeat. Riſus & lætitia atque choreæ ita alios abſumunt, ut vix aut ſaltando aut cantando dies atque noctes ſufficiant. Si meditatione, præſertimque enthuſiaſmo excitata mania fuerit, quaſi ex ſcintillâ incendium; tùm de divinis ſemper multa effutiunt, divoſque de ſede dejiciunt, & in eorum ſe ſolio collocant; demùm, pro variis quæ mentem priùs turbaverunt cauſis ægrotant, ita ut ſingulas inſaniendi formas oratione perſequi impoſſibile ſit. Cùm verò nihil adeò mentem penitùs concutiat atque turbet quàm varia animi pathemata, imò & ipſa ubi præter modum atque rationem hominem invaſere, ſint, ut cum Philoſophis loquar, breve quoddam inſaniæ genus; facile eſt deducere quàm levis & facilis ſit ab ipſis in inſaniam aditus. Nec ſolus tamen, tanta eſt humana infelicitas; ſed eſt etiam mania quæ circa quæcumque objecta deliret æqualiter, nec ullam rationis particulam relinquat. Hi maniaci

nec feroces nec queruli, ſimpliciter à ratione dimoti ſunt, ut ſatis intelligatur, nec ſine aliquo formidinis ſenſu, quanta in miſerrimo malo varietas inſit.

Variæ tamen ejus ſpecies diſtinguendæ ſunt. Prima erit eorum quibus mens ultrà modum evecta, & quaſi extrà ſuos limites cauſis vehementibus diſtracta, pathemata animi vehementiſſima refert, & quaſi ſuo ipſo robore peccat. Altera contrà ſpecies eorum erit quibus fatiſcens atque depreſſum robur, animum quoque affigit humi. Undè iis etiam demiſſus animus, vires imbecillæ, timor, metus, obſcura vocum ſubmurmuratio. Ita ut dici poſſit quòd ſi per maniam priores, leones atque lupos feroces referant, ii damas imbelles atque cervos ad omnia expaveſcentes, actibus exprimant. Tertia illorum eſt ſpecies quibus organiſmo, ſine ullâ externâ causâ, vitiato, quaſi motu rotarum in machinâ mechanicâ ſublato, aut perverſo, inſaniunt. Qui ab eo ſequi debent effectus malè omninò atque contrà inſtitutum machinæ peraguntur.

Iis autem ſpeciebus inſaniæ omnibus æqualiter, id commune eſt quòd alia perpetuò & ſine ulla intermiſſione hominem angat & excruciet, eique ſemper inſideat; alia verò intervallis diſtinguatur, nunc longioribus, nunc brevioribus, nunc ſtatis atque certis, nunc contrà incertis atque erraticis, nunc propinquioribus, aut contrà ita diſſitis, ut idem homo bis terve in vitâ tantùm iis afficiatur; miſerrimâ pace quâ fit ut ad ſe redeuntes, mortem optent, dictaque atque facta in paroxyſmo deteſtentur; quorum infe-

liciores ſunt qui memoriam ſervant, cùm alii contrà omnium quæ egerunt obliviſcantur; indè ingentem cauſarum varietatem expectandam hîc eſſe, ſatis declaratur.

Nobis verò de eâ tantùm maniâ agendum incumbit quæ Melancholiæ ſuccedit. Hæc frequentiſſima quidem, quanquam non unica, eſt. Unde etiam factum eſt ut & Antiquorum plerique, ut Aretæus, & Recentiorum plurimi maniam Melancholiæ ſubjungant, de eaque ſimul tractent, nec de aliis ſpeciebus verbum addant.

Cauſæ igitur omnes quæ Melancholiam utramque invehunt hîc recenſendæ forent, ſi animus eſſet maniæ cauſas inveſtigare ſed actum ageremus. Satis erit ſi hîc recenſuerimus quarè ex melancholicis alii tam promptè in maniam incidant; alii contrà Melancholiam imò & deliria melancholica tandiu, intacto alioquin ſenſorio communi, ſervent. In eâ inſidiarum undi que humano generi circumtenſarum multitudine omnes æque homines impetuntur. Sed ea vis naturæ à ſummo rerum Conditore conceſſa eſt, ut repellat hoſtiles inſultus, noſque ſecuros præſtet ipſa corporis vivi fabrica; quæ ſi aliquâ in parte peccet atque vitietur, aditum mollem cauſæ hoſtili præbet, eo gradu quo aliquid de viribus decidit. Hinc in aliis Melancholiæ cauſa vix ipſam producit Melancholiam; in aliis ad uſque ſæviſſima ſymptomata in fœcundum mali corpus, cauſa debacchatur. In aliis alium ſortitur finem; in quibuſdam maniam miſerrimam inducit.

Corporis habitus in quo fibra tenſa atque de-

bilis eſt, ad omnia exteriora ſuſcipienda maximè aptus eſt atque idoneus, ita ut vividè afficiatur à quolibet objecto in ſenſus irruente & ſibi vix relinquat meditationi & comparationi objectorum tempus aptum. Is aliquid jam habet inſaniæ. Hinc ergò jure atque meritò inter prædiſponentes ad inſaniam cauſas, imaginationis vivacior impetus recenſetur. Huc quoque refertur ea animi impotentia quâ fit ut omnia objecta vividè imbelles concupiſcant, ardenterque expetant & quaſi eorum cupidine conflagrent. Quod cùm prædictis hominibus familiare ſit, eorumque naturæ concors atque conſentaneum; tum præcipuè educationis vitio atque inſtitutione minus ſeverâ altiùs ſerpit, & immedicabilem rationi labem intentat. Præterea huc etiam diſponunt ſtructuræ in partibus organicis peculiares, quas ita detegere ut ex ſtructurâ poſitâ morbus neceſſariò ſequatur, hucuſquè impoſſibile eſt. Imò veriſimile eſt aliquatenus nullam omninò dari, quâ poſitâ, mania ſequatur neceſſariò. Nemo enim maniacus naſcitur. Sed datur ea hominum ſpecies quæ tantam maniæ diſpoſitionem habeat ut ex eorum inſpectione, inauſpicatò certè omine, maniam prædixeris.

Ii ſunt quos ipſe intuitus prodit, oculis errantibus & nullam in partem fixis, aut fixioribus, ſed cum aliquâ violentiâ, ita ut ſi ſibi ſinerentur, errarent undequaque. Ii homines, geſtu, diſtorſionibus variis oris, muſculorum, faciei inſolitis, vel vulgatiora quævis exprimunt, meticuloſi, ad quemvis ſtrepitum exhorreſcunt, animi pathemata quævis toto habitu corporis

exprimere prompti. Tùm nil mediocre ſapiunt; vel ſi verbis indulgeant tot tintinnabula pulſari credas, vel ſi ſilentio ſeſe dedunt, in eo obſtinati atque pervicaces perſeverant. Soli, quaſi in cœtu atque concentu hominum vociferant, clamant, geſtus fortes faciunt, rurſuſque in medio hominum conſortio quaſi ſoli eſſent ſibi obmurmurant, atque reſpondent; & ad omnia alia diſtracti de eo ſolo ſomniant quod fortiùs mentem perculit, undè ſæpè viris doctis accidit ut à vulgo hominum pro inſanis acciperentur, cum pluſquam mortalibus conceſſum eſt, meditantes longè à communi tractu auferrentur. Hinc etiam iis pluſquam aliis metuendum eſt qui nullum in animi pathematibus à ratione frænum accipere volunt, ſed extrà ſe ita feruntur ut toti in amorem, iram, lætitiam verſi videantur. Sed quâ ratione, id dictu impoſſibile eſt, in tantâ animæ atque corporis commercii obſcuritate. Nec hìc aperturæ cadaverum proſunt, quæ id ſolùm docent in aliis bile encephalum lædi, in aliis aquam intra ventriculos effundi, in aliis ſpinam oſſeam intrà ſinus repertam fuiſſe, idque utilitatis tantùm inde reportatum, quòd plures eſſe inſaniæ cauſas demonſtret Anatome.

Mihi verò ſi ſincerè quæ meditatio obtulit, proferre licet, raro videtur primaria maniæ cauſa intrà cerebrum hoſpitari. Sed quantumvis lædatur illud, præcipuam maniæ melancholicæ cauſam in hypochondriis, utero, aliiſque Melancholiæ alibi expoſitis ſedibus latere, ſequentia attentè meditanti, apparebit.

1°. Mutatio corporea ſemel in cerebro facta

ſemper eodem gradu ſævire debet, cùm mechanica ſit, nec admittit intervalla. Quod in maniâ frequenter contrà accidit, ita ut aliquando periodica ſit illa, nec ulla occaſionalis ejus cauſa recenſeri tamen poſſit.

2°. Vix ad cerebri fibras revocari poſſunt omnia de tenſione atque debilitate fibræ phœnomena, quæ tamen numquam luculentiùs quàm in maniâ apparent.

3°. Multa ſunt venenorum genera quæ ſimul atque intra ventriculum admiſſa ſunt, maniam ilicò procreant. Habentur plurima hujuſmodi apud autores exempla nec ullatenus refellenda. Nec certè ſi actionem medicamentorum emeticorum aliorumque vehementium, expendas, minor eſt vis ventriculi ad totum concutiendum corporis organiſmum, quàm cujuſlibet aliûs viſceris.

4°. Demum ſi quandò ſanatur mania, actio medicamentorum, expulſâ ventriculi ſaburrâ, agit, & ad nitorem priſtinum redacto inteſtinorum tractu, diſpellitur mentis error; cùm fruſtrà medicamentis tentetur cerebrum. Nil igitur obſtat quin aliam quam quæ in cerebro reperiri poteſt, cauſam hîc admittamus. Et ne novus error veteri ſubſtituatur, aliquandò poſſe fieri ut à cerebro pendeat ſi fateamur; poſſe etiam à ventriculo atque hypochondriacis viſceribus repeti, concedatur.

Impendet ſcilicet mania primò melancholicis ab atrabile laborantibus; quoties hæc victu auſtero contracta, ſimul ſibi adjunxit exhauſtionem liquidi dilutioris & humores quaſi piceam

contraxere duritiem. Non enim ſatis imbuta ſalutari naturalique humore alimentorum maſſa, in durum atque leporinum ſtercus, ſenſim vertitur. Quoties exuſta omnia, nervos ipſos ſicciores vellicatu novo laceſſunt, quod ſemel imprudenti medicamentorum fortiter catharticorum uſui ſucceſſiſſe vidi. Quoties aëris inſolitus fervor acceſſit, quod accidiſſe dolui amico parcè atque durè viventi per orientales arenoſas ſole crematas regiones, cui ferendo fuit omninò impar ſeptentrionalis ejus temperies; undè ab inflammatione inteſtinorum malè ſanatâ, mania remanſit peſſima melancholica.

2°. Verò inſaniæ producendæ, conducit acre quodcumque interiùs natum atque aut impotens ad cutem naturali viâ ferri, vel ad alia emunctoria ablegari, aut à cute imprudenti medicatione retropreſſum, quod eas partes occupat quæ ſenſorio communi præſunt, & rationem diſturbat. Non ſemel enim indè enata eſt Melancholia, imò & promptiſſima mania ſubitòque invadens; qualis eſt ea quæ ſedem in cerebro fixit. Nec certè hìc adeò momentoſum eſt naturam humoris introrepulſi expendere, quàm ſedem in quam decumbit, cùm ab occupatâ ſede pendeat ſymptomatum natura. Hinc etiam ſi eadem cauſa ad alias partes feratur, alia mala producit; de quo quidem illuſtre exemplum nobis attulit Meadius: cùm fœmina ipſi nota à maniâ per hydropem ſanaretur, quâ, arte vel caſu levatâ, priſtinam recuperabat inſaniam. Huc etiam ſcabiei inſertio revocanda, aliquandò, ut legitur, cum ſucceſſu uſurpata.

3°. Verò

3°. Verò ad hanc etiam claſſem referuntur peculiares ſanguinis præſertim impuri plethoræ, quæ aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis, aut retentis menſtruis à parte in partem irrumpunt. Quod etiam manias ut & Melancholias producit: ſed fugaces quidem & eò minùs formidandas, quò cauſa levior & reſtituenda faciliùs.

Sed 4ª. feracior eſt inſaniæ claſſis, cùm jam inſani aliquid ſecum ferat, vel in ipſo ſuî principio. Ea eſt quæ per ſe hominem concutit, & extrà ſe fert, animi pathema, ex eo ſic dictum quòd in eo patiatur, non agat animus, aut agat ex impetu recepto, non ex rationis imperio. Illud porrò ſeu vividum ſit, ſeu lentum ultrà limites homines agit; & ſi quæ impreſſionem indè natam conſtantem faciat cauſa, à corpore mutuata; en merum habemus furorem, nerveum quidem: verùm ſi animi anxietati humor ater accedat, facilis eſt à ratione in inſaniam deſcenſus, & remeare gradum impoſſibile fit. Porrò ſine ullâ præviâ diſpoſitione, ex datâ vibrationum in fibris theoriâ, quâ ratione id poſſit fieri intelligitur, cùm mens in uno ſolo occupata alia negligat, ipſique ſordeſcant cætera. Hinc immoratur in objecto, fit tota unum illud, habetur inſania.

Verùm etiam ad eam claſſem inſanorum pertinent, quos altior de rebus extrà mentis captum poſitis meditatio à ratione dimovit, ut eruditis & librorum helluonibus quibuſdam accidit. Quos perculit amor inſanus, aut demùm quos mendax virtus miſanthropos, lycanthropos finxit: ab uno ſcilicèt dum decepti, cæteros homines horrent. Qui quidem error melancholicus falſæ rationis

adminiculis invaleſcens, plures olim quàm hodiè de civitatibus dejecit, & quos mente captos, locaque ſolitaria præprimis quærentes & quaſi à cacodæmone revinctos, inter ſepulchra atque monumenta mortuorum erraſſe, & veteres Medicorum hiſtoriæ, & ipſæ ſacræ paginæ teſtantur.

Aliam forſan in noſtrâ maniâ producendâ claſſem conſtituerent venena, quibus in furorem verſos homines multi aiunt. Sed quoniam hiſtoria hîc naturalis deeſt, fidem leviorem minùs periti Autores ſibi conciliant. Scimus ſcilicèt ex hiſtoriâ Mandragoræ atque Solanorum, ab eorum uſu mente captos fuiſſe homines, imò & quotidiana videtur ab abuſu vini inſania: nec ab eo exemplo negari poteſt, dari ſubſtantias quæ mentem funeſtiùs & conſtantiùs conturbent. Sed ut inter illa exempla plura ſunt autoritatis leviſſimæ, ita fidem demunt iis quæ de Lucretio inter alios poëtâ narrant, in furorem à ſanguine menſtruo epoto adactum, mortem ſibi ipſi conſciviſſe; adeòque huic cauſarum claſſi utpotè medelam de incognitis non admittenti, non inhærebimùs.

Sed undè fit ut aliqui ſint homines qui quaſi endemicè melancholico morbo correpti ſibimetipſis vulgò vitam demant, amentque mortem conſciſcere ſibi, lucem peroſi. Scilicèt ſine ullo alio morbo vitiantur eo gradu functiones, ut nulla ſuperſit vis ad vitæ munia exequenda. Nerveâ laborant Melancholiâ; infringitur undequaque tonus fibrarum, ſimulque ita intenditur, ut vel minimæ cauſæ contradicentis incurſum jam nullatenùs tolerare valeant. Hinc totidem inſidiis circumdati, nec ſe, nec reliquos ſuſtinere va-

lent. Faſtidium naſcitur circa quæcumque vitæ officia. Huic ipſa mors medela eſt. Intimo huic ſenſui jungitur quædam gloriolæ ſcintilla, tentandi inuſitata, philoſophica : hinc ſeſe è medio tollunt miſeri, præ animi impotentiâ. Quibus ſi temporis minutum ultrà peractam actionem concederetur, vellent in alto æthere & pauperiem & duros labores tolerare. Hoc certæ inſaniæ genus vix Melancholiæ gradum excedit, quanquam eventu funeſto.

Symptomatum verò maniæ duplex tantummodò claſſis conſtituetur, quorum altera incipientem, altera confirmatam maniam comitantur, ut indè deferamur ad ipſam morbi ſeu ſolutionem, ſeu finem qualemcumque.

Alia porrò in maniâ ſemper & ubique repeṙiuntur, alia in unaquâque diverſa ſunt. Commune eſt omnibus de re qualibet delirare, & quaſi in ſuo eſſent toti delirio, corpus ita mutatum habere, ut vix aliundè ſentiat. Hinc quicumque inſaniâ attingitur, quaſi nova machina eſt; ſuum habet ut cogitandi, ita externa omnia ſentiendi modum; & quæ nova nata eſt corporea conditio, aptos efficit ad ea tolerandum atque perpetrandum, quibus nullatenùs nata erat humanitas. Pulſus omnium altus, lentus, vehemens tamen ad tactum & quaſi durus; urinæ virideſcentes, copioſæ, & ſi quis antè inſaniam exiſtebat in corpore morbus, diſparuit ſæpiùs ad primum inſaniæ inſultum.

Incipientis maniæ atque confirmatæ vix ulla eſt differentia, niſi quòd incipiens intervalla lucidiora habeat, ſed delirium vehementius. Luc-

tatur contra inſaniam quod de ratione reliquum eſt : ac non omninò ad ſuum morbum homo indifferens eſt, & quamvis inexpectatò ut plurimùm mania evadat, eam hariolari nullatenùs difficile fuit ex prævio corporis ſtatu, ex pervicaciâ reſponſorum, inflexibilitate in creditis; & eâ menti ſervientium facultatum mutatione, ut aliquid in homine mutatum amici agnoſcant, dicantque aut aliquo animi affectu angi, aut brevì fore inſanum. His poſitis, morbus Vere potiſſimùm quia vere calor redit oſſibus, ſæpè poſt placidum ſomnum ſubitò erumpit, & ſæpiùs ſummâ cum violentiâ viginti-quatuor trigintaque horas, imò aliquandò triduum, eâdem vehementiâ mentem atque corpus affligit. Miteſcit poſteà, imò aliquandò perfectè ægri ad ſe redeunt, ſed oculis errantibus, vagis, nullum in punctum determinatis, extrà paroxyſmum lacrymantibus, mente adhùc ſemper aliquatenùs motâ, ſed placidè; verùm ſatìs, ut facile ſit hariolari morbum nondum finitum eſſe. Recrudeſcit poſteà paroxyſmus, ſed mitior atque temperatior, nunc lentos exprimens affectus, nunc feroces: ſæpè in lento atque tardo homine feroces, ſæpè in violento per ſe mites atque lentos, ita ut nullus ſervetur typus prioris caracteris à Naturâ impreſſi, ſed quaſi nova naſcatur Natura.

Si verò ea eſt maniæ natura, ut per intervalla tantùm recrudeſcat, vulgò liberum omninò exacto paroxyſmo relinquit corpus. Facilè tamen patet cùm miſeris ægris degenti latere aliquid inſani, incompoſiti eſt aliquid in vultu, in oculis, in geſtu; tanta eſt in corpus peſſimæ labis im-

preſſio ! Imò & aliquid abſurdi in facie manet totâ vitâ perdurans, licèt unâ vice tantùm homo inſanierit. Undè ſemper aſtantes de iis diffidentiam habent, nec certè extrà rationem, cùm non unâ vice acciderit, ut ter quaterve in vitâ morbus ſeſe exeruerit, hominem alioquin liberum relinquens.

At ubi nullum datur intervallum, & funditùs everſa eſt mentis humanæ cum corpore concordia, tunc omnia pariter in corpore mutari neceſſe eſt. Vires muſculorum prodigialiter auctæ, & tenſione quæ convulſionem æmulatur aſſiduâ, nixus enormes edunt. Quis crederet immotum poſſe noctes atque dies ſtatuæ ad inſtar plures per annos ſtare hominem; frigora, æſtum ſolis, ſine veſtitu ferre, nec de iis aut conqueri, aut ab iis immutari, victum duriſſimum tolerare, vixque, ſine macie, aliquid deglutire, ſtercoribus paſci ſine ullo faſtidio, urinam epotare, & validiſſimis medicamentis non concuti. Mutata eſt ſcilicèt non mentis arx ſola, ſed tota corporis machina. Verberibus, fuſtibus acti vix ſenſum queſtûs exprimunt; ac ſi ad inſtar belluæ ejulatum aliquem ediderint, nulla aut odii idea aut vindictæ cupido inceſſit, quamvis multi antè morbum utpotè melancholici, meticuloſi fuerint, & in incipiente maniâ perſtet adhuc metus ille & odium eorum qui eos duriùs exceperint. Mania tamen aliquandò eſt meticuloſa, quæ veniam ab omnibus ſæpè deprecatur. Sed eam indè leviorem judicaverim quòd quoſcumque ſic delirare vidi, ſemper reperi & à Naturâ minùs alienos & ciborum guſtum agnoſcentes. Uno verbo,

tot ſunt delirandi formæ quot ſunt mentis affectus : lacrymatur alius, alius timet, alius in riſus effuſos ſolvitur, ſed ab interiori mentis mutatione. Is enim ſæpè ridet qui à mœrore ægrotat; lacrymatur, quem mera lætitia ſuî impotentem fecit.

Scilicèt regitur & determinatur concordi mentis harmoniâ cum corpore, ſenſatio, irritabilitas, tonus denique, quem in corpus incurrentia externa ſtimulorum ſpecie nunc excitant, nunc leniunt, & ad uſus legitimos determinant. Turbato porrò ſenſorio communi, ab aliis organis omnia derivantur, & in unum coeunt interiori ſenſorii communis diſpoſitioni correſpondentem affectum; hinc omnibus externis impulſibus minùs patent maniaci; ſenſu integro non ſentiunt, & tota vis in objectum inſanum concentrata unitur. Muſculi totâ ſuâ vi gaudent, quæ quanta ſit innata iis, & vix unquam in actum deducta qui volet ab illuſtri Borello mutuetur; forſanque animali robori additur quod ſenſui demitur. Certè hæc eſt hominum alienatorum conditio, quam præcipuè hîc notari velim, eò quòd ſi aliqua ſeſe exhiberet ſenſum reddendi vivaciorem methodus: nullus dubito quin ad curandam inſaniam conferre poſſet.

Porrò cùm odii atque faſtidii idea circà alia omnia, præter illa quæ maniæ ipſius cauſam conſtituunt, quaſi omninò ſepulta ſit & ferè deſtructa; qui eos curandos ſuſcipiet, ſibi hanc operam debet proponere, quo delectentur, quid fugiant animadvertere. Quid igitur animadverterim dicam? Vix unum reperias qui tabaci pulvere etiam

antè inaſſuetus ſummoperè non delectetur ; vix unum quem non, momento ſaltem temporis, inſtrumenti muſici auditus non è ſtatu furoris dejiciat. Sunt quos metuendi quondam Præceptoris aut Ducis contineat præſentia, quaſi aliquis reconditus imbecillitatis ſenſus remaneat. Certè quanquam multa abſurda perpetrent, aliqua tamen non ſine conſcientiâ male facti agunt. Indè aut factum diſſimulant, aut ut faciant ſeſe occultant. Sic virum novi cui ab infantiâ id erat aſſuetum, ut cerearum candelarum molliorem partem comederet, ſeu potiùs dentibus manderet. Id ſæpiùs prohibitum in homine ad inſaniam diſpoſito, quandam aviditatem inſpiraverat. Adultus & grandior inſaniam contraxerat. Hinc veteris memor inſtituti, ſurripiebat ipſi ſibi cereas candelas. Sedulus occultabat, quas inſano furore totas ellychnio excepto vorabat ; & non mutatas ferè ejiciebat per alvum. Latet ergo in inſanis aliquis adhuc conſcientiæ ſenſus, qui ſi ritè & ſecundùm rationis normam excitetur, ad ſanitatem reſtituendam poſſit conferre.

Non longiores erimus in miſerrimâ enumeratione : nunc quid de inſanis fiat attendendum eſt.

Cùm ſemel è ratione decidit homo, nec poteſt ulla aut febris, aut plethora, aut demùm alia cauſa, extraneum quid intrà ſanguinem producens incuſari, ſed homo aliundè ſanus atque vegetus delirat ; tum attendendum eſt an paroxyſmus inſaniæ ſensìm increſcat, vireſque eundo ita acquirat, ut qui herì mediocriter & leniùs furebat, hodiè novum inſaniæ gradum acquiſiverit. Tunc enim ſperandum eſt morbum hunc, acuto-

rum more, brevì deſævire poſſe, & ſtadia ſua ita eſſe decurſurum ut reſtituatur æger in priſtinum ſanitatis ſtatum: & in eo quidem, notandum eſt ſervari varias acutarum ægritudinum periodos, finirique atque terminari inſanias diebus quos Antiqui judicandis atque abſolvendis morbis deſtinari obſervaverant. Hinc alia quarto, alia ſeptimo, alia decimo-quarto finitur inſania, alia ad uſque vigeſimum-primum extenditur. At quæ verò progreditur ultrà quadrageſimum, ad ſeptem menſes perduravit; imò probè novi hominem qui etiam nunc ſanus atque vegetus vivit. Hic per biennium integrum inſaniit, & convaluit tamen ſine ullo adhibito medicamine.

In eâ autem fugaci & brevi delendâ inſaniæ ſpecie, quanquam nulla febris adſit, pulſus tamen pleniores ſunt atque validiores, arteriæque tenſio quædam, non otiari Naturam deſignat. Ut verò ſæpè ſine ullo prævio ſymptomate adorta eſt, ita ſæpè ſine ullâ evidenti criſi finitur; quaſi ſenſus noſtros eludat ſubtile id quod totam penitùs concutere machinam aptum erat. Aliquandò tamen aliqua criſis erumpens inſaniam ſuſtulit. Quod mulieribus & virginibus præſertim commune eſt, cùm menſtrua erumpunt, aut in pueris factâ pubertate, quæ tamen ſæpiùs fatuitatem ſolvit quàm inſaniam, aut hæmorrhoidum fluxu, vel etiam ſolâ venarum tumefactione, vel largâ narium hæmorrhagiâ, ſi fauſtis auſpiciis fiat. Sed plurimos liberavit atra materies per anum plures per dies, imò & menſes continuo fluxu abrepta. Hic verò morbi exitus, ut frequentiſſimus eſt, ita & exoptandus maximè cùm & morbum tollat,

& metum recidivæ præcaveat, ingenteſque Arti Medicæ laboranti ſuppetias ferat. Ut autem dantur mulieres gravidæ quæ toto graviditatis tempore inſaniunt, ita & aliquandò factum eſt ut ab inſaniâ laborans mulier, graviditate liberetur. Sic raró puerperas à partu recentes inſanire compertum eſt; ſed factum contrà ſæpè ut à partu lac refluum aceſcenſque Melancholiam pariat atque inſaniam. Quanquam fatendum ſit pleraque inſaniarum harumce, quæ mulierculas laceſcunt, genera, ad nerveam furoris ſpeciem potiùs quàm ad noſtram referri.

Verùm quæ ſemel invaluit inſania, nec jam inter acutos morbos numerari poteſt, alia terminorum genera ſequitur, &, ut vulgatâ loquendi Scholarum formulâ utar, abit vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel mortem.

In ſanitatem quidem ſine vehementiſſimâ aliquâ mutatione quæ totum corpus convellat, & funditùs ſuſdèque vertat, inſaniam abire poſſe vix ſperandum eſt; cùm mutanda ſit tota corporis œconomia, quæ quaſi novum exiſtendi modum nacta eſt, nec poſſit niſi per nerveæ atque ſenſibilis fibræ validas impreſſiones deleri inſolita illa quæ totam mentem occupat phantaſia. Hinc raró in ſanitatem lentâ ſolutione terminatur mania melancholica, quod ei accidit quæ ab exhauſtione aut debilitate exorta eſt, & quæ ſolis roborantibus, aut ſolâ quiete ſanari viſa eſt. In ſanitatem tamen terminari dicenda eſt, ſi menſtruorum copioſorum nigrorum eruptioni ejuſmodi ſolutio debetur. Si hæmorrhoidum fluxui, notante ſic Hippocrate, ſive

diarrhœæ, lienteriæ ſeu artis, ſeu Naturæ viribus erumpenti cedat, ſi varices morbum auferant, aut alia quæcumque demùm vacuatio, quæ ſine ullo morbo, corpus omninò mutet. Non negaverim tamen vim eſſe quandam quæ ſaniorem animum faciat in ingenti corporis concuſſu. Vidi ſic juvenem ferè ab inſaniâ reſtitutum, dum longas terræ mariſque tractus peragravit; nec ita tamen ut potuerit aliquem in Republicâ locum nanciſci, aut recidivam paſſus non ſit. Audivi etiam fuiſſe aliquos quos ſevera metuendi heri tractatio, vi verborum atque jejuniorum ad priſtinam ſanitatem reduxerit. Sed hic curationis modus alibi expendendus eſt, nec, ſi agit, aliter agere cenſendus eſt, quàm mutationem enormem inducendo.

Sed plures ſunt qui inſaniam tollant morbi, ſi tamen horum nomine non comprehendi debeant quos modò recenſebamus, & qui, propriè loquendo, criſim inſaniæ conſtituunt, lienteria, dyſenteria, hæmorrhoides, menſtrua, hæmorrhagiæ. Sed quòd hydrops inſaniæ perſanandæ utilis ſit autor eſt graviſſimus Rich. Mead, ita ut hydrope ſanato inſania revixerit. Vidi juvenculam inſanam omninò, conſtitutâ phtiſi, perſanari, & ad uſque mortem ſputis erumpentibus purulentis ſanum judicium ſervaſſe. Quod etiam cancro ad mammas quaſi per criſim delato accidit, ut poteſt etiam fluentibus quibuſcumque abſceſſibus largis & corpus imminuentibus accidere. Uno verbo, quicumque morbus ita œconomiam corporis mutat, ita ut tollatur illa quæ inſaniam facit diſpoſitio; eam ſæpè magno corporis malo tollit, corpo-

ris, inquam, malo, quòd ferè nunquam ſanatur, niſi vehementiſſimis cauſis commoveatur inſanorum corpus. Hinc vulgatum eſt ad mortem proximos inſanos ab inſaniâ liberari, quod de omnibus non ſemper verum eſſe, aſſeverare poſſum; cùm viderim non unum plenâ inſaniâ morbo alieno laborare atque mori, nec ullo ratiocinii reſtituti indicio adſtantes ſolari; ſed contrarium de plurimis verum eſſe, teſtatur experientia. Imò quæ delirium & quaſi momentaneam inſaniam multis inducit febris, aliquandò rationem reſtituit, non in illâ noſtrâ de quâ loquimur inſaniâ, at in eâ quæ tantummodò à fibrarum imbecillitate pendet & fatuitati proxima eſt. Si verò ita intùs radices egerit inſania ut ſanum aliundè corpus aut criſin ſuſcipere impotens ſit, aut morbi adventum expectare nefas ſit, quid tandem de inſanis fiet. Longævos eſſe inſanos melancholiâ laborantes humorali, ſi juvenes morbo correpti fuerint, rarum eſt. Si enim morbus acutus inciderit, ex Melancholiâ motâ, moriuntur, ſymptomatibus alibi deſcribendis emergentibus. Et ſi morbus ille eorum auxilio non advenit, increſcente atque invaleſcente ſensìm inſaniæ causâ convulſionibus corripiuntur, & poſt inſultus aliquos epilepticos convulſi moriuntur. Aliquos apoplexia ſuſtulit. Encephalo ſcilicèt à causâ morbificâ tandem oppreſſo, morbus qui primùm ſenſorio tantùm communi inſidiabatur, poſteà auctus organa ſenſuum atque motuum opprimit. Sed multò plures, imò maximam eorum partem morte ſubitâ ſublatos vidi, ſcilicèt nullâ notâ præcedente, nullo mortifero ſigno mortis proximæ

dante indicia, placidè moriuntur. In aliquibus tantùm, aliqua præceſſit moroſitas, imò & aliqua ſanioris mentis indicia dantur, mœror, animi depreſſio, ſed à quibus mortem hariolari vel rerum peritiſſimo vix eſſet poſſibile : nec infrequens annumeranda hîc morbi ſpecies quâ ſibi mortem inſontes conſciſcunt, ſine ullâ legitimâ mortis optandæ, niſi quam ſuggerit inſania, ratione. Et eſt ſanè aliquod inſaniæ genus melancholicum verè, quod miſeros in hunc furorem præcipites agit. Taciturnum eſt illud atque moroſum, circà omnia externa inattentum, iiſque familiare, qui nimiâ meditatione morbum hunc contraxerunt, diciturque vicinis noſtris Britannis, genti ad Scientias promovendas natæ, familiare ; ita verum eſt, quod ait Plinius, quòd aliquis ſit morbus per ſapientiam mori.

Inſanorum morbo hoc aſſumptorum cadavera luſtrare vix mihi datum fuit. In uno aut altero vix aliquid circà cerebrum mutati apparuit. Gravitatem ſpecificam mutatam ita ut in inſanis levior ſit medullaris ſubſtantia, arguit Mekelius, Medicus Berolinenſis. In utroque mihi viſo lues hepati aut lieni affigebatur. Utrumque viſcus durum, omninò à Naturâ diſſidebat, colore atro, vireſcente. Diaphragmatis figura immutata retractionis ſigna dabat, ut in viventibus hypocondria ſublata ſunt. Flavo cerebrum colore infectum vidit Bonetus. Alii aquam intra ventriculos effuſam vidêre ; quod frequentiſſimum accidens pro effectu, non pro causâ habendum eſt. Superat indaginem noſtram cauſa nullatenùs intelligenda. Scimus quid agere poſſit : quomodò

verò poſſit agere ex datis comprehendere atque attingere vetuit Divina Providentia. Indè tamen liceat concludere plurimos ſanari potuiſſe inſanos & patriæ reddi, quos hominum ſocordia ſemper cæcutiens, miſerrimis carceribus negligendos, inutiles, imò noxios incluſit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Melancholiâ in hydropem aut phtiſim abeunte.*

Si vires eundo acquirat Melancholia, ſive cerebrum occupaverit, ſive in hepar aut hypocondriis latitantia viſcera depoſuerit impetum, ſeu univerſo infuſa ſanguini omnes æquè partes infeſtet, non poteſt non eò tandem devenire, ut ſecretionum ordinem interturbet, organa peſſumdet, adeòque labem inferat mortiferam. Et certè omnibus Melancholiæ generibus, quibus aut ars ſuppetias non tulit, aut benè efficax Natura criſin efficacem non fecit; finis ille ex rei neceſſitate contingit; qui finis ut quâ ratione obtingat intelligatur, pauliſper ad naturam humoris melancholici ſuperiùs expoſiti attendendum eſt.

A naturali humorum conſtitutione recedit humor ater duplici qualitate, quâ lædere natus eſt; piceâ ſcilicèt tenacitate quâ viſcera infarcit & acredine quæ minor aut major, eò tamen devenire poteſt ut quâ vi facit puſtulas, cancros, rodat interiora, nutritioni obſtet, adeòque duplici hoc malorum elemento tum hydropem, tum

phtiſim accerſat. Quos ſymptomatum fontes facilè à primævis caracteribus agnoſces, tum etiam ab iis quæ per totum morbi decurſum illum comitantur phœnomenis.

Hydrops naſcitur quoties hepar infarctum & humore melancholico quaſi induratum, regreſſum negat ſanguini per venam-portarum à variis abdominis viſceribus reduci. Cui quidem repagulo ſublevando auxilium aliquatenùs affert hæmorrhoidum eruptio, ſanguinis per illarum venarum tumores effuſio. Sed cùm vacuatio illa corpus à pondere inſueto & abdomen à plenitudine liberans, ſymptomati partìm tantùm medeatur, nullatenùs verò cauſæ; non mirum eſt ſi creſcente infarctu, lymphaticæ venæ turgeſcant, ſi ex Loweri experimento quo demonſtratur, ligatâ quacumque venâ, partem illicò tumere, hinc indè humor lymphaticus per tunicas facilè alluendas & perpetuæ ſtillantium humorum vi cedentes, exundet; collectio brevì fiat & hydrops immedicabilis. Addit etiam vires hydropi naſcenti effœta, cruda, indigeſta, chyli moles à bilis defectu non ſubacti, hinc lympham cum cæteris partibus malè mixtam habentis; adeòque partìm glutinoſus, partim lymphaticus liquor infarcit, obſtruit, inundat.

Quod de obſtructo hepate hîc dicimus, de alio quocumque abdominali viſcere dictum puta; modò ſit ita ſita obſtructio, ut reditui ſanguinis per venas obſtet, eique ita ſeſe opponat, ut tardiùs regredi debeat ille, adeòque aliquam ſtagnationem efficere.

Eſt & aliquod ſpaſmorum genus quod eundem

effectum quanquam leviori gradu producat, ſi ſpaſmo conſtricta abdominalis moles vaſa arctet, & obſtet ſanguinis regreſſui, ut vidi ad diaphragma ſitum ſpaſmum, abdominis molem arctare, & ſanguineo latici per totum ventris ambitum circumeunti obicem ponere, ita ut ab hoc ſolo ſpaſmo naſceretur hydrops, nullâ intereà ſenſibus patenti obſtructione, id ex aperto cadavere conſtitit. Verùm medetur vulgò ſpaſmodicæ ſtricturæ alluens ſuperfluus hydropis liquor. Hinc ſæpè naſcens morbus priorem ſanavit, niſi tamen ſalutari aquarum effectui obſtet, & ſpaſmum reviviſcere faciat humor niger, ater & ita conſtringens ut laxatio impoſſibilis fiat; quo in caſu fatendum eſt rarò aut ſcirrhos, aut cancros non adeſſe.

Symptomata hydropis qui à Melancholiâ pendet, vix ab iis differunt quæ ab aliis hydropibus accerſuntur. Id verò huic malo proprium eſt, quòd etiam à Melancholiâ ortus hydrops metum atque animi debilitatem tollat, & inducat animæ ſecuritatem quandam, à formidine prioris morbi prorsùs diverſam & hydropicis familiarem. Vulgò quæ per puncturam educitur aqua nigri aliquid, aut ſaltem vireſcentis in fundo ſervat. Aliundè verò hydrops poteſt varias ſubire diſcrepantias, quibus ſubjiciuntur reliqua horumce morborum genera & quæ hujus non ſunt loci. Hinc de illo ulteriùs agere ſupervacuum eſt.

Plùra de phtiſi dicenda erunt. Cùm enim non unum ſit illius genus, ſedulò diſtinguenda eſt ea quæ à melancholici humoris influxu pendere poteſt. Ea enim nec ſimplex, nec uniformis: ſed variè oritur, procedit variè, variè deſinit.

Quâ autem ratione phtiſis in genere oriatur enodare facile eſt. Quodcumque ſuccum alibilem è chylo, & primariò ex alimentis corrumpit ; quodcumque ſolidorum ſtamina ita arefacit & ſiccat, ut jam impervia tenuiſſimo rori fiant, neceſſitate materiæ phtiſim inducit. Quem quidem duplicem effectum habere debet humor, qui, nedum alluat, rodit, qui nedum reparet, corrumpit & eò quidem citiùs quò acrior & rodens magis eſt.

Et id quidem habet melancholicus humor qui ubi ad aliquem ſævitiei gradum pervenit, non ſolùm indomabilem acredinem concipit, ſed & naturâ ſuâ omnia ſolida indurat & ſcirrhodea efficit, aut ſi levior eſt, ſtypticorum corporum more conſtringit ita ut ad nutritionem jam hiare non poſſint. Hinc varia phtiſeos melancholicæ phœnomena ad duplex horumce ſymptomatum caput referuntur, roſionem atque indurationem : & prout humor aut indurat magis, aut contrà magis erodit, iiſdem orta principiis, poſteà in formas varias convertitur.

Phtiſis in genere ea tantùm corpora invadit, quæ ei quaſi ſeſe aperta præbent, & facilè cedunt cauſis impellentibus. In illa quidem corpora ſi inciderit humor melancholicus, non eundem effectum prodit ac ſi fortia invaderet ; in quibus vix mechaniſmo corporis nocet, nerviſque tantùm atque ſyſtemati ſenſibili inſidias ſtruit. Phtiſis verò tot induit formas, ut seriò attendenti quàm variè phtiſi pereant homines, nullatenùs tot ſpecies ab Hippocrate recenſeri miretur, quarum non unius phœnomena

vidiſſe

vidiſſe me in praxi, ut & Collegas alios conſentientes inveniſſe profiteor.

Verùm deſcriptiones illæ diverſæ ad duo tantùm capita poſſunt referri, ſaltem ubi de phtiſi melancholicâ agitur. Sicca alia eſt, alia non ſine ingenti humorum vi exeunte corpus perimit. Utriuſque deſcriptionem ex ægro corpore ad diem deſcriptam, liceat afferre, cùm impoſſibile ſit caſus omnes verbis comprehendere.

Sicca phtiſis corpus ſensìm perimens, vix aliud habet ſymptoma, in multis, plures per annos, præter mœſtitiæ conjunctam atque deſperationi marceſcentiam. Tetricâ atque mœſtâ fronte deformes, coloreque inſtar foliorum decidentium marcido, ſensìm ſimul colliqueſcunt. Languet appetitus, cibus in ventriculum delatus, plumbi inſtar, plures per horas manet; tuncque ingens vis ſalivæ tenuis effluit. Pars ſcilicet aquea levior à chylo recente accepta, recuſat cum piceâ humorum craſi, unionem contrahere. Hinc velut innatans reſinæ, per cola defertur. Poſt tres aut quatuor horas, aut lotium immani quantitate redditur, aut ſudatiuncula incipit, quæ ſæpè per totam noctem continuata viſcidi quid præ ſe gerit. Sed frequentiùs per urinæ vias tenuius quidquid eſt in ſanguine, abripitur. Quo tempore concoquitur, pulſus durus, tenuis & frequens, aliquandò palpitans, intermittens aliquando viſitur, reliquo tempore rarus, tardus & duriſſimus. Hæc omnia non ſine aciditatis aut ignis urentis importuno ad guttur uſque delato ſenſu in ſtomacho peraguntur. Sed familiare eſt iis qui ad phtiſim ſiccam melancholicam delabuntur, abſurda appetere, ut

cachecticæ ſolent mulieres, eaque ex genere acrium alcalinorum ut plurimùm. Verùm longè à paſtu alia malorum caterva excruciat, ſic manè ſurgentibus caput grave, crura vacillantia, cor palpitans, ructus vacui, λύγξ κενῆς, ſtomachi anxietas, nauſea. Tum verò omni tempore timor, metus, mœſtitia, animi languor & decidentia. Hæc omnia longo tempore peraguntur, & querelarum ægri importunitas id efficit, ut pro hypocondriacis rectè habiti quaſi deſerantur, undè etiam evenit ut tardiùs auxilium adhibeatur.

Verùm morbo inveteraſcente pedes intumeſcunt, imò & abdomen hydrope tentatur qui ſub finem morbi concitatus tragœdiæ dat exitum; vel anxietate circà pectus auctâ, non ſine ſanguineo demùm prodeunte ſputo ſuffocati pereunt; vel demùm deficientibus viribus, diarrhœâ è medio tolluntur. His omnibus dum ſensìm colliqueſcunt, antè morbi finem, functiones capitis aliquatenùs turbantur, non ita ut delirent, ſed ut erroribus mentis & puerili debilitate laborent. Aliundè verò nullo in alio ſtatu maraſmus & marcor diutiùs ſuſtentatur. Incedunt enim per vias, atque hominum ſocietatem non fugiunt, jam facie laborantes Hippocraticâ. Et cùm jam morbus ad finem vergit, omninò ferè diſparet, quæ huc uſque ſymptoma fuerat indivulſum Melancholia. Ultimo periodo comes accedit febricula, quæ in ſuâ origine vix ſenſilis, ægrum vexat. Hæc potiùs pulſûs frequentia quàm febris dici poſſit, cùm nullus calor imò & ſenſus frigoris per totam cutim perfundatur, & vix ſerò aliqua accendatur flammula, morbo ad finem vergente.

Phtiſis illa aliquandò quaſi ſubitò in humidam vertitur, tuncque leni titillatione, ſed importunâ, Trachæa arteria; fauces, tonſillæ irritantur, ingenſque exit aquæ vis: ut inunctione mercuriali ſalivantes crederes, non ſine ſummâ defatigatione. Hæc poſt paucos dies evaneſcit, & minùs importunè exit, indolem tamen magis magiſque acrem adipiſci, mutatione coloris videtur. Nec deſunt ſub morbi finem ſtriæ cum ſputis remixtæ ſanguineæ. Non illæ quidem ſigna per violentiam rupti vaſis præferunt, ſed per acredinem eroſi. Demùm, ut omnes alii tabidi, viribus emarcidis tandem elangueſcunt atque moriuntur ſuffocati. Exemplum ſiccæ phtiſeos, Melancholiam ſequentis, vidi ad plures annos dilatum in Viro clariſſimo. Sed ubi ſputa pro ſimplici catharro habita demùm prodiêre, brevì marcor & debilitas ſuffocationem ac mortem induxêre. Alium vidi qui ſine diarrhœâ atque ſputis moroſior atque moroſior factus, ceſſavit potiùs vitam quàm mortem obiit, quaſi diaphanus evadens. Intùs aperto cadavere omnia ſana, ſed ſicca, præter hepar atque veſiculam fellis atro felle plenam, inventa ſunt.

At multò magis variabilia ſunt quæ phtiſim humidam comitantur phœnomena.

Quibus phtiſis humida melancholica impendet, de partium in thorace contentarum dolore ne ſomniant quidem: ſed longo antequàm phtiſis immineat tempore, de ſtomacho conqueruntur, mœſti, deſpondentes animo, de omni re vel minimâ ſolliciti, uno verbo, melancholici. Tum caput ſæpè impletur, nares deſtillant; & quaſcumque partes

membrana Schneideriana circumveſtit, nares, pharynx, larynx, interiora aſperæ arteriæ ſæpè levi phlogoſi tentantur, quam ſimul eroſionis ſigna comitantur. Hinc à capite ad thoracem humores defluere, vetus fabula exindè deducta, quòd ſæpiùs à capite exortus mali; cùm ibi facillimè perſpiratio hæreat & ſæpiſſimè cum fluentis aquæ ſenſu, qui vel expertos fallat Medicos. Frigoris frequens ad frontem ſenſatio eſt; ſputatio à tonſillis incipit, quæ ſæpè ulcuſculis albis pallentibus conſperguntur, undè ora aphtoſa dicta Hippocrati. Ventriculus igitur & caput huc uſque labem paſſa ſunt. Sternutationes frequentes, ſputatio limpida, acore aliquo donata, morſus ad orificium ſuperius ventriculi *Soda* germanis dicta. Aliquandò fames immoderata vix ſatianda alimentis, alvi obſtipatio, ſed ita directa, ut brevì alvi fluxus eam ſolvat, irregularis & duritie alvi exceptus. Tum ſcenam implet tuſſis exaſperata, fatigans, vix ipſum thoracem attingens, & aliquid excernit quod nullatenùs puri ſimile ſit, ſed ſpumans atque viſcoſum & vitreum atris puncticulis reſperſum. Eroditur ſuperficies interna aſperæ arteriæ, fitque ſecunda mali periodus, in quo jam adeſt febricula levis, erratica, nondum continua, alimentorum coctionis tempore nata & ſuffocatione perenni ſtipata; anhelitus inter incedendum tunc incipit. Obſtruit enim æquè humor melancholicus atque erodit. Poſteà dentes obtunduntur & hebeſcunt, imò & decidunt, & acidi ſenſus versùs ventriculum per totum œſophagi tractum ſentitur. Aquæ fortis impreſſioni ſenſum hunc miſeri conferunt. Imò & facies decolorata

puſtulis, ſed levibus, fœdatur: & quaſi ſit mixtura cachexiæ atque pallentis icteri cum marcore. Rarò, ut facile eſt ſentire, bilis & ejus organa non aliquam mali partem ſuſcipiunt. Exeunt ſcybala dura, nigra, ingenti nixu; rarò, ſed ſæpè quarto, quinto aut ſeptimo quoque die alvus ſexties aut ſepties erumpit liquida, non ſine doloris anxii ſenſu totum inteſtinorum tractum occupante, cum flatibus undequaque frementibus. Tuſſis acris, importuna &, ut aiunt, quintana ſomnos turbat. Sudor aceſcens noctem excipit, tumor pedum, herpetum eruptio prurientium, de quibus omnia ſibi bona ominantur, dolor crurum & brachiorum erraticus quaſi punctorius, humoris errantis maximâ ſuî parte, ſed alterâ fixi, & in ipſo thorace cuniculos agentis, nova ſigna dant. Intereà marcor in dies augeſcit, non ut in vulgari phtiſi, fiduciam ſimul atque ſpem relinquens, ſed deſperationi perpetuæ conjunctus. Quò plus in morbo progredimur, eò plus & acidi circà dentes & ad maxillas doloris ſentitur, eò etiam plus variè rheumatici ſibi videntur: & ex eo dolorum errantium genere laborant, qui vel ad uſque ipſa oſſa pertingat. Hic dolor nullâ de ratione ceſſat, ſed mutatur alibi deferendus. Ubi verò ad tertium morbi gradum perventum eſt, tum omnia cæteris phtiſeon generibus communia ſunt. Sed id illi proprium noſtræ quòd dolores ad articulos ingraveſcente morbo ingraveſcant, quòd ingens ſputorum vis liquidorum, aceſcentium, exeat, & ſub finem tantummodò ſtriæ ſanguineæ ſputis remixtæ appareant. Quòd metus & timor ægrum nunquam deſerant. Quòd

ſuffocatione atque oppreſſione ferè nunquam ægri vacent, ita tamen mediocriter ut in lectulo in quamcumque partem proſtrati decumbant. Verùm hujuſce ſuffocationis anxietas intolerabilis ægrum miſerè divexat. Quòd hypocondria & in iis contenta viſcera partem mali in ſe ſuſcipiant, & in cadaveribus corrupta atque conſumpta appareant : ſimulque reperitur in eorum aperturâ ſuppurationi remixta ingens durities & quaſi ſcirrhoſa, grandinoſa, nec tamen quod oculo expertus facilè diſtinguat an ſcrophuloſa aut tuberculoſa ſint. Omnia verò quæ à bile tincturam accipiunt viridia ſunt aut atra, notamque morbi præ ſe ferunt.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Melancholiâ motâ, ſeu in Morbos acutos abeunte.*

Si melancholico humore corpus jam affectum, acuto corripiatur morbo, ita ut moles humorum acris atque tenax, repetito arteriarum ictu, caloreque indè atque motu aucto tenuetur & liqueſcat, perit quidem atque diſſolvitur tenax melancholica viſciditas, ſed quod viſciditati demitur, additur acrimoniæ. Hæc calore intenſo ad ſummum gradum adaugenda, perniciem viſceribus, deſtructionemque qualis ab aquâ ſtigiâ intùs receptâ naſceetur, intentare debet. Nec jam nativa humoris viſciditas metuenda eſt, ſed illa quam acidum virus, coagulo inducto, ſolidioribus humo-

rum particulis impertit. Hinc nullibi major infarctus, frictio ad vaſorum parietes major, calor ardentior, vehementior demùm omnium ſymptomatum excandeſcentia. Quæ quidem ſymptomata ex inflammatione atque eroſione concurrentibus ſibi mutuam vim præſtant, ita ut corpus jam Melancholiâ debilitatum corruat. Hinc rectè Duretus animadvertit non minorem eſſe differentiam inter Melancholiam & atram bilem motam, quàm inter carbonem extinctum & carbonem ardentem.

Peſſimos eſſe morbos, quotieſcumque atra bilis vel ſursùm, vel ſeorsùm exiret, jamdudum pronuntiavit Hippocrates & ſanxêre quicumque ab eo acceptam amplificavêre artem. Ingens quidem admittenda diſtinctio, inter ea quæ μέλανα dicuntur, & ſæpè fauſto emittuntur ſucceſſu, & atram bilem propriè dictam. Nigra enim ſive ab exuſto ſanguine, ſive à bile peruſtâ in ægri ſalutem ſæpè apparent ingenti cum ſucceſſu. Contrà verò nunquam niſi cum ſummâ ſymptomatum inflammationem comitantium vehementiâ atra bilis in acutis rarefacta atque ardentiſſima exit, undè meritò vix triduò ſupereſſe poſſe hominem Hippocrates pronuntiat, poſtquàm adeò certa ſuî indicia bilis atra dederit.

Summi igitur momenti eſt artem exercentibus ut noſcere poſſint an adſit in acuto morbo atra bilis effera, quam in eo naſci non crediderim; quamvis aliter cenſuiſſe videatur Galenus vetereſque Medici, utpotè qui bilem atram poſt Autorem Libri de Humoribus habebant pro nativâ ſanguinis parte. Ea, me ſaltem judice, in iis

tantùm reperitur qui antè morbum aut atram bilem experiebantur, aut ad eam ſummè diſpoſiti erant. Repugnat enim ideæ bilis atræ, ut in morbo acuto naſcatur, nec eſt illa cum denſo inflammatorio confundenda. Poſſe verò atram bilem commoveri noſces ex eo quòd illa priùs extiterit, atque ex dictis ſatìs cognita eam prodiderint indicia. Poſteà nullis in aliis morbis vultus magis decoloratus eſt, aut ſymptomata ardentiora. Ardor eſt quaſi ab oleo inflammato qui tangentis manum urat (*a*). Ariditas ipſi ægrotanti intolerabilis & quaſi ab igne intùs voraci concitata. Lingua arida, nigra, dentes ipſi nitore defraudati. Reſpirationis halitus urens, tum negata undequaque requies, anxietate ſummâ commutata; urina pauca, aut aquea, aut nigricans. Scybala aut nulla, aut dura & nigra; ſed brevi exaſperatio ſymptomatum nulli cedens auxilio mortem præſentem intentat. Nuſquàm alibi mors magis in vultu emicat. Lividior nunquam apparuit facies. Oculi concavi, nigricantes; palpebræ hiantes, atque fatiſcentes faciei muſculi: tum verò retracta hypocondria & furſùm ſublata, & muſculis omnibus conſtrictis, quaſi marcor ſubitus.

Porrò id in œconomiâ animali univerſum eſt, & ex ipsâ rerum naturâ deſumptum, ut qui chronicâ labe diù multùmque affecère corpus, morbi diuturni, ſi in acutos vertantur, & ſævitie & pernicie cæteros antecellant. Jam enim ipſa moles humorum peſſumdata atque corrupta celer-

(*a*) Vid. Galenum de atrâ Bile paſſim.

rimè debet in pejus ruere : ſed dirum magis ſi per ſe peſſimus humor acerrimus, denſiſſimus, eam adipiſcatur tenuitatem quâ ad ultima uſque canalium devehatur.

Sæpè ipſa in ſtomacho ſcena peragitur, undè vomitus atri, ſemper Hippocrati lethales habiti. Sic ego rem peractam vidi. Fœmina melancholica rigore horrendo, convulſione muſculorum, crurum præſertim & ſurarum corripitur. Vomit atram & piceam materiem, atramento ſimillimam, quæ fœtens, diluta vireſcebat, admiſsâ majori aquæ copiâ, dein flavida evadebat. A vomitu ſtatim in animi deliquium incidit, brevìque extrema frigida, liveſcentia, ſudore madentia, ſimul cum luctuoſo, livido, frigido vultu, urinis intereà nigris, delirio ſubobſcuro, evidenti gangrænæ locum cedebant, quâ ventre in tumorem ſublato è medio tollitur; at in extinctæ cadavere omnia ad ventriculum, hepar, lienem pertinentia, ſcirrhodeæ duritiei ſimul & eroſionis manifeſtæ, quaſi ſtigiâ aquâ tincta fuiſſent, ſigna præferebant. Vir mihi cognitus in ipſo vomitu olim extinctus, vix aliquod ſignum atræ bilis ferebat : imò & pro gangrænâ haberi potuit malum; ſi alia cauſa gangrænæ intùs ſpontè enatæ, haberi poſſit, præter atram bilem. Jure meritòque Galenus bubones peſtilentiales anthraceſque, quaſi atræ bilis proventum habet, non quòd ipſa peſtis cum atrâ bile confundi poſſit, ſed quòd miaſma peſtiferum bilem & peſſumdet, & in atram aut atræ proximam vertat : quod & frequentes in Maſſiliâ cadaverum aperturæ Medicis ad id deputatis probave-

runt. Viderunt ſæpè Medici poſt febrem convulſionibus atque deliriis ſtipatam, ſubitò parte aliquâ in ſphacelum concidente, reliquum corpus in integrum ademptâ parte reſtitui. Quod & ipſe vidi brachio ferè integro concidente. Id à mitiori bilis atræ genere repetendum duxi. Quamvis enim per morbi decurſum partium extremarum frigus, vacillans pulsûs conditio latere aliquid erodentis atque ſimul obſtruentis demonſtrarent, ſupererat tamen vis Naturæ undè hoſtem adeò formidandum à vitalibus fontibus arceret, non autem ipſa opprimeretur, quòd in ſummo veneni gradu contigiſſet. Sed nunquàm poſt longam dimicationem ſphacelus ſic prodit, ſed citò : cùm tanto hoſte intùs graſſante impoſſibile ſit quin citò prompta pernicies emergat. Hinc breviſſimæ ſunt febres illæ peſtilentiales quæ, etſi è putridarum claſſe ſint, plus tamen auxilii exigunt, quàm quod ſpondere poſſit tota antiputridorum remediorum claſſis. Patet indè quòd ab atrâ bile commotâ atque concitatâ pendere debeat malum illud, quod vulgari nomine Recentiores gangrænam intrà ſanguinem appellant.

Verùm non ſola putredo in hiſce morbis graſſatur, ſed etiam inflammatorius ardor. Hinc dyſenteria quæ ab atrâ bile naſcitur, non tormina ſolùm ſed ſæviſſimos cruciatus inducit, ſed diras convulſiones, ſolâ machinæ titubantis fatiſcentiâ compeſcendas. Quarto die morbus in mortem abit, nunquam ad ſeptimum extenditur. Vidi ab hujuſmodi excrementis cum horrore quodam refugere animalia ; aiuntque lotrices ma-

culas ab iis in lintea impreſſas nullo ſapone tanquam ipſa lintei ſubſtantia ab eo eroſa fuerit, expungi aut emundari poſſe. Vidi unum in quo venter ſic biduo conciderat, ut cutis quaſi affixa vertebris videretur, ita omnia retracta erant. Hinc hujuſmodi dyſenteria non inter malos, non inter ominoſos morbos ab Hippocrate recenſetur, ſed inter verè exitiales, nulli unquam parcentes, & mortiferos per ſe, ex Naturæ neceſſitate & humoris naturâ, (*a*) τοῦ δριμέος, τοῦ ὀξώδεος, τοῦ διαβρώτικου. Monet tamen, nec ſemel ex ipſo Hippocrate Galenus, non omne nigrum exiens eſſe pro atrâ bile habendum. Sunt enim aliquandò dejectiones nigræ ſalutiferæ, quas ex concomitante ſymptomatum catervâ facilè agnoſces.

In hypocondriis pariter inflammari poteſt bilis atra, ibique ſæviſſimum morbum facere, qui, ſublatis & extra retractis hypocondriis vehementiſſimum ſibi dolorem adjungit comitem; eo metuendum quòd ſi ceſſet, impetitur ſubitò caput, cervice primùm dolente & quaſi convulsâ, iiſque pus bile atrâ mixtum, biduò antequàm moriantur, infrà exit, longiore quidem infortunio, quòd & pars minùs exquiſito ſenſu donata ſit, & quòd humoris minor diffuſio puri locum det: indè fit ut pars aliquandò acerrimi humoris larvata cruorem & omnium humorum ſyſtema inficiat. Hæc porrò ad tenerrima cerebri vaſa delata ibi phrenitidem peſſimam inducit (*b*), quæ ſolvitur reſolutione totius corporis, & inteſtinorum eroſione, (*c*) vel rursùs atra exurgit dyſen-

(*a*) Aphor. XXVI. 4. XXII. 4. XXI. 4.
(*b*) Duret. 11. 18. (*c*) Ibid. 22.

teria morti præcinens; niſi tamen ad ſuperiora fiat, & ad parotidas abſceſſus per ſe necans, ſedato quidem erethiſmo, ſed eroſis vitalibus viſceribus. Et quidem hujus eroſionis ſymptoma non obſcurum præbere ſolet horrifica φρικώδες convulſio, cum παλμῷ, ceu palpitatione vehementi hypocondrii, quæ etiam eroſis vaſis atque arteriarum tunicis deſtructis atram hæmorrhagiam prænuntiat. Ex his herclè ſignis durum eſt, ſed ſaltem & arti honorificum, & Artifici utile mortem jamjam præſentem ſæpè incautis prædicere. Sed adeſſe debet ſimul cum exeuntibus nigris humoris atri particulis ſymptomatum indomabilis ferocitas; ita ut attendatur ad omnia quæ concomitantur atrorum egeſtionem. Nigra vomuntur, nunquam criticè, ſed ſaltem aliquandò cum levamine, ſi collectus humor colorem hunc induerit, ut aliquandò pulveris formâ, cum laudabilibus excrementis mixtus exierit. Exuſtas enim tantùm indicat partes atque quaſi calore concrematas, vel in quas effluit, vel undè excipitur. Sed, ſi ægro perhorreſcente nec ſuæ mentis, ſi cum frequenti leypothimiâ & ingenti virium proſtratione fit, tunc non πονηρον ſimpliciter dixeris, ſed θανάσιμον. Si præſertim fœtidus ſit & odoris quod putridum referat cadaver. Nec minorem atræ bilis morſum, ſanguineus vomitus exhibet, quamvis etiam & ab aliis cauſis poſſit pendere, quas ad ſuas claſſes facilè referre poteſt in Hippocraticâ arte quicumque fuerit verſatus.

Sputa etiam nigra aliquandò cum levamine fuiſſe excreta, non unum exemplum vidi; ſup-

preſſis præſertim hæmorrhoidibus, id malum accidiſſe ſcimus. Quanquam ea in genere lethalia pronuntiaverit Hippocrates. Sed pro axiomate haberi poteſt, nil ſolum & per ſe, nihil ſeorsìm ab aliis ſignis ſumptum, malum eſſe poſſe; & quanquam generatìm nigrum aliquid è corpore amandari latentis ingentis mali ſignum ſit, poteſt tamen bonis ægri rebus fieri, ſi totum ſimul malum averruncetur. Sed ſi erumpens in principio ſputum nigreſcens, dominatum tantùm humoris exhibet, undè totum corpus, modo ferali occupari ſignum ſit, quale exhibet bullula nigra πομφόλυξ ὑποπέλιος ab Hippocrate in peripneumoniis memorata; nil certè niſi ominoſum ſperare fas eſt: cùm omnia à Naturâ diſſidere totamque molem contaminari tabo atrabilario, talis vacuatio indicet; ſatìs ſit cùm in ingenti verſemur oceano, variiſque in caſibus bilis atra ſerie multiplici variam ſcenam agat, quod quotieſcumque thoracem occupaverit, ſcire immobiles fieri & quaſi lapideos pulmones; pertinaciſſimam adeſſe anxietatique mixtam ſpirandi difficultatem: undè inſpiratio duplò intrò revocata naſcitur, facilior expiratio. Hinc quaſi juncta peripneumoniæ orthopnæa compoſitum morbum facit Galeno, quem cita mors excipit.

Sed omnibus hiſce morbis ab atrâ bile pendentibus id commune eſt, ut mens ſui juris non ſit, licèt ſæpè à remotiſſimis partibus malum incœperit, ibique ſuam fixerit ſedem. Et certè res explicatu facilis eſt, ſi ſemel admiſſum fuerit, venenatas atomos aliquatenùs intrà ſanguinem reſorberi. Eorum enim erodentem acrimoniam à

tenerrimis cerebri vaſculis ſine imminenti deſtructionis diſcrimine tolerari non poſſe ſatis intelligitur. Sed ſæpè in hoc caſu Helmontio credendum eſt, nec ullatenùs neceſſe eſt ferri ad uſque cerebrum partes atræ bilis. Ipſa nervorum vacillatio mentis imperium deſtruit, & ſagittator in præcordiis habitat. Ut enim quotidiano experimento deprehendimus, vires ut corporis ſic mentis ab hoſpitante intra ventriculum ſubſtantiâ quâcumque proſterni; ut ex ſuperiùs dictis demonſtratum eſt, maniam melancholicam aliquandò longè extrà cerebrum reſidere; imò humoris atri præſentiam ſemper aliquid de firmitate mentis detrahere; ſic ſæpè atra bilis mota phrenitidem inducit, in ipſo ventriculo hoſpitium ſumens, quod & vomitus demonſtrat capitis ſymptomatibus, aliquam pro tempore ſedationem inducens.

Duplex igitur ab atrâ bile motâ pendere poteſt phrenitidis genus. Utrumque Hippocrati cognitum & Galeno (*a*) diſtinctè enucleatum, alterum cerebro proprium eſt & quaſi idiopathicum, alterum à partibus incipiens à cerebro diſſitis, ipſi tumultum ſuum communicat. Utraque phrenitis, ſi Galeno credendum eſt, à bile pendet. Mitior quæ à bile flavâ, pejor quæ ab humore nigro deducitur; peſſima quæ æruginoſam bilem pro principio habuit, ſi illa in atram bilem verſa fuerit (*b*). Nullo enim alio in caſu plus acidi erodentis eſt, cùm jam per ſe æruginoſa bilis manifeſta acoris indicia præ ſe

(*a*) Vid. Galen. de Phrenitide.

(*a*) Vid. Galen. de Cauſis Morborum.

ferat. Invaſio, ſine intervallis, ſi primariò cerebrum fuerit affectum, idiopathicam denotat; tuncque febris delirio ſuccedit, non delirium febri. At num ab atrâ, num à flavâ aut æruginosâ bile pendeat phrenitis, cognitus ſymptomatum ab iis humoribus inducendorum caracter, ſatìs denotat. Quis enim ex cognitâ atri humoris ferociâ ipſum poſſit aut non agnoſcere, aut, quod triſtius eſt, cognitum edomare. Primùm quidem æger jamdudùm nec pectore, nec oculis ſomnum accipit. Nullum, animo mordaci curâ anxio, lenimen accidit. Invadente morbo adeſt protinùs ferox ab homine moderato reſponſum, & nullo ferè intervallo convulſifica mentis emotio; quæ vinculis & robuſtiſſimorum hominum nixibus, in homine tamen aliundè infirmo, vix poſſit compeſci. Si non idiopathica fuerit phrenitis, præcedunt alia ſymptomata, ſequitur illa. Sed utroque in caſu quæ ab atrâ bile pendet, brevì mortifera eſt, ſive in tabum aterrimum reſolutis humoribus, ſive eroſis vaſis in lethargum gangrænoſum aut apoplexiam, deſinens.

Quid memorem alios humoris moti effectus qui quaſi cancer ulceratus & ſubitus omnia deſtruit, erodit & in ſphacelum vertit. Anthrax, gangræna, ſphacelus à cauſis internis ſubitò cùm ipsâ morte apparentes huc referri debent, cùm aliundè & ſaniori Phyſicæ repugnet, & cognitis œconomiæ animalis legibus, tantam poſſet perniciem intùs innocuam manere, niſi primò collecta, violentas illas nocendi vires quaſi adventitiâ corruptione acquiſierit.

*FINIS.*